Studio Addictus

44
220

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

THEOLOGIA DOGMATICA

CHRISTIANORUM ORIENTALIUM

AB ECCLESIA CATHOLICA DISSIDENTIUM

III

OPERA EJUSDEM AUCTORIS

I. Histoire du canon de l'Ancien Testament dans l'Église grecque et l'Église russe, Paris, G. Beauchesne, 1909, in-16 de 140 p.

II. Nestorius et la controverse nestorienne (fait partie de la *Bibliothèque de théologie historique* publiée sous la direction des professeurs de théologie de l'Institut catholique de Paris), Paris, G. Beauchesne, 1912, in-8° de 326 p.

III. La prière pour l'unité chrétienne : *Motifs spéciaux de prier pour le retour des chrétiens dissidents d'Orient à l'unité catholique*, Paris, Bonne Presse, 1920, in-12 de ix-356 p.

IV. Sd Jesse p.ho Maistre et l'Église gréco-russe, Paris, Bonne Presse, 1922, in-12 de xviii-198 p.

V. Homélies mariales byzantines. Textes grecs édités et traduits en latin dans la *Patrologia Orientalis* de R. Graffin-F. Nau, Paris, Firmin-Didot, fascicule i, 1922 (t. xvi de la *Patrologia Orientalis)*, 330 col. Fascicule ii, 1925 (t. xix de la *Patrologia Orientalis)*, 480 col.

VI. De Photii morali effigie (excerptum ex Bessarione, t. xxv 1921). Romae, Typographia pontificia in Instituto Pii ix, in 8°, 60 p.

VII. Julien d'Halicarnasse et Sévère d'Antioche (Controverse sur la passibilité du corps de Jésus-Christ), Paris, Bonne Presse, 1925, in-8°, 64 pages (extraits des *Échos d'Orient*).

VIII. Theologia dogmatica christianorum Orientalium ab Ecclesia catholica dissidentium : t. i. *Theologiae dogmaticae Graeco-Russorum origo, historia, fontes*, Paris, Letouzey et Ané, 1926, in-8°, 726 p.

IX. Œuvres complètes de Georges Scholarios, par Mgr L. Petit-X-A-Sidéridès ; M. Jugie : t. i. *Œuvres oratoires. Traités théologiques sur la Providence et sur l'âme*, Paris, Bonne Presse, 1928. Grand in-8°, lxiv-550 pages ; t. ii : *Traités et dialogues sur la procession du Saint-Esprit*, Paris, Bonne Presse, 1929, grand in-8°, xxx-496 pages ; t. iii : *Œuvres polémiques et apologétiques. Questions scripturaires et théologiques*, sous presse.

THEOLOGIA DOGMATICA

CHRISTIANORUM ORIENTALIUM

AB ECCLESIA CATHOLICA DISSIDENTIUM

Auctore MARTINO JUGIE

EX AUGUST. AB ASSUMPTIONE

TOMUS III

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ GRÆCO-RUSSORUM EXPOSITIO

DE SACRAMENTIS

WITHDRAWN
The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

PARISIIS

SUMPTIBUS LETOUZEY ET ANÉ, EDITORUM

87, BOULEVARD RASPAIL, 87

—

Omnia jura vindicabuntur

1930

Attenta relatione Nobis a censore deputato facta, t. III operis P. Martini Jugie, cui titulus : « Theologia dogmatica christianorum orientalium ab Ecclesia catholica dissidentium, » *editionem permittimus.*

Romae, 20 februarii 1929.

G. Quénard,
Augustin. ab Assumptione moderator generalis

NIHIL OBSTAT

Lovanii, die 4ª februarii 1929

P. Leonidas Guyo,
A. A., cens. Deput.

IMPRIMATUR

Parisiis, die 29ª octobris 1929

V. Dupin
C. h. Secr. Conc. Vig.

THEOLOGIA DOGMATICA

GRÆCO-RUSSORUM

DE SACRAMENTIS SEU MYSTERIIS

PRAENOTAMINA

Theologia græco-russica de sacramentis usque ad sæculum XVI in incunabulis prope remansit, nec ultra Patrum antiquorum dicta multum processit usque ad sæculum XIII; a quo tempore, sub influxu manifesto theologiæ latinæ, sacramentorum numerus certo jam definitus est. Inde vero a sæculo XVI, Græci et Kiovienses, ut Protestantium errores retunderent, nostrorum Scholasticorum vestigiis inhæserunt, permultaque ab eis mutuati sunt. Dum autem in studium doctrinæ catholicæ accuratius quam prius incubuerunt ritusque atque usus latinos pressius investigarunt, discrepantias non paucas cum propriis ritibus illatenus sibi ignotas detegerunt. Unde factum est, ut polemistæ antilatini novas criminationes in nostros inde hauserint; quarum tamen pleræque non tam ad dogma quam ad ritus et disciplinam pertinent. Recentiori vero tempore, quidam ex ipsis, Reformatorum placitis aurem faciliorem præbentes, sententias a suis antecessoribus sæculo XVII condemnatas libenter amplexi sunt.

Totum hunc de sacramentis tractatum in octo capita dividimus, scilicet :

Caput I : De sacramentis in genere;
Caput II : De Baptismo;

Caput III : De sacro chrismate seu Confirmatione;
Caput IV : De Eucharistia;
Caput V : De Pœnitentia;
Caput VI : De Ordine;
Caput VII : De Matrimonio;
Caput VIII : De Euchelaeo seu Extrema Unctione [1].

1. Recolamus hic præcipuos tractatus de septem sacramentis a dissidentibus conscriptos : 1° Primus est Jobi peccatoris, Ἰὼβ ἁμαρτωλοῦ τῶν ἑπτὰ μυστηρίων τῆς Ἐκκλησίας ἐξηγηματικὴ θεωρία καὶ διασάφησις (circa finem sæculi XIII); quem ex cod. 64 *Supplementi græci Parisiensis* plerumque citabimus; 2° Simeonis Thessalonicensis, *De septem sacramentis*, Περὶ τῶν ἱερῶν τελετῶν, in *P. G.*, t. CLV, col. 175-696, tractatus dogmatico-liturgicus, in quo etiam sermo est de quibusdam sacramentalibus; 3° Nicolai Cabasilæ, *De vita in Christo*, Περὶ τῆς ἐν Χριστῷ ζωῆς. Nicolaus ex professo tractat de tribus initiationis christianæ sacramentis, de baptismo scilicet, de Confirmatione et Eucharistia, quanquam septenarium sacramentale non ignorat; in *P. G.*, t. CL, col. 493-726; 4° Gabrielis Severi, Philadelphiensis, Συνταγμάτιον περὶ τῶν ἁγίων καὶ ἱερῶν μυστηρίων, Venetiis, 1600 et 1691; editum etiam a Chrysantho in Συνταγματίῳ περὶ τῶν ὀφφικίων, Tergovistæ, 1715; 5° Nicolai Bulgaris, Ἱερὰ κατήχησις ἤτοι ἐξήγησις τῆς θείας καὶ ἱερᾶς λειτουργίας, Venetiis, 1681, cujus primum caput inscribitur : Περὶ τῶν μυστηρίων, editionem, anno 1884, Hermupoli vulgatam plerumque citamus; 6° Ghermogen, episcopus, *De sanctis sacramentis Ecclesiæ orthodoxæ*, 2e édit., Petropoli, 1904 (russice), opus dogmatico-liturgico-canonicum; 7° Ignatius, archiepiscopus, *De sacramentis unius, sanctæ, catholicæ, apostolicæ Ecclesiæ*, Petropoli, 1863 (russice); 8° Eusebius, Vinitzæ episcopus, *Sermones de septem Ecclesiæ catholicæ orthodoxæ sacramentis*, Petropoli, 1860; 9° K. J. Dyovuniotis, Τὰ μυστήρια τῆς ἀνατολικῆς ὀρθοδόξου Ἐκκλησίας, Athenis, 1913; 10° Nectarius Kephalas, Μελεταὶ περὶ τῶν θείων μυστηρίων, Athenis, 1915; 11° Al. von Maltzev, *Die Sakramente der orthodox-katholischen Kirche des Morgenlandes*, in Introductione, Berolini, 1898; 12° M. Iastrebov, *De septem sacramentis* (russice) : articuli in *Trudy Academiæ Kioviensis*, 1907-1908, et præsertim, t. II, (1907), p. 481-504. Insuper notandum est opus Petri Arcudii, *De concordia Ecclesiæ orientalis et occidentalis in septem sacramentorum administratione libri VII*, Parisiis, 1619, 1626, 1672. Præter hos tractatus generales de septem sacramentis, occurrunt dissertationes speciales seu monographiæ de hoc vel illo sacramento; quæ suo loco indicabuntur.

CAPUT PRIMUM

DE SACRAMENTIS IN GENERE

Nostrorum theologorum instar, moderni compendiorum auctores apud Græco-Russos disquisitioni de singulis sacramentis quamdam de sacramentis in genere disputationem præmittere solent; quæm plus minusve protractam apud diversos auctores invenies, et in qua non paucas quæstiones a nostris motas incassum quæres. Cæterum, apud quosdam occurrunt sententiæ doctrinæ catholicæ omnino oppositæ, præsertim circa valorem sacramentorum a ministro hæretico collatorum, necnon circa existentiam atque indolem characteris a quibusdam sacramentis impressi. Totum caput octo brevibus articulis absolvemus. Sermo erit :

1° De notione *mysterii* in genere necnon de diversis speciebus mysteriorum seu sacramentorum;

2° De definitione, numero, ordine, multiplici divisione et convenientia sacramentorum Novæ Legis;

3° De constitutione signi sensibilis seu de materia et forma sacramentorum;

4° De auctore sacramentorum;

5° De ratione operandi sacramentorum;

6° De effectibus sacramentorum ac præsertim de charactere indelebili;

7° De ministro sacramentorum;

8° De subjecto sacramentorum.

ARTICULUS I

De notione mysterii in genere necnon de diversis speciebus mysteriorum seu sacramentorum.

Quod Latini *sacramentum* vocant, Græci μυστήριον, Russi *taïnstvo* nuncupant. Etymologice, vox μυστήριον (a μύω = *claudor, comprimor;* vel : *labia, oculos claudo, comprimo*) idem sonat ac *instrumentum initiationis;* unde in genere significat aliquid *sacrum* simul et *occultum;* quod potest esse res, vel ritus, vel doctrina. Hanc generalem significationem in Novo Testamento invenire est.

Apud quosdam Patres græcos, μυστήρια vocantur ea quorum aspectus mentem ducit in cognitionem rerum invisibilium et supernaturalium, jamque nostra sacramenta sub hac generica ratione comprehenduntur : sunt enim signa sensibilia invisibilis gratiæ. Mysterium adest, secundum Chrysostomum, « quando non quæ videmus, intuemur, sed alia inspicimus, et alia credimus. Talis est nostrorum mysteriorum indoles : de his aliter ego, aliter infidelis judicat. Audio ego crucifixum esse Christum, et ipsius erga homines amorem statim admiror; audit ille, et imbecillitatem arbitratur... Ille baptismum audiens, simpliciter aquam esse arbitratur; ego vero non simpliciter quod videtur aspicio, sed animi purgationem per Spiritum effectam contemplor. Ille lotum mihi corpus duntaxat existimat; ego et animam puram et sanctam esse credidi, et cogito sepulcrum, resurrectionem, sanctificationem, justitiam, redemptionem, filiorum adoptionem, hæreditatem, regnum cælorum, Spiritus erogationem[1]. »

In suo opere *De ecclesiastica hierarchia*, Pseudo-Dionysius ritus sacros ab episcopo peractos, inter quos veniunt quatuor sacramenta, baptismus scilicet, Confirmatio, Eucharistia et Ordo, diversis designat nominibus. Ea nempe

1. *Homil.* , VII, 1, *in I Corinth.*, *P. G.*, t. LXI, col. 55. Cf. Epiphanium, *Hæres.*, 40, 42; *P. G.*, t. XLI, col. 680.

vocat : τὰ ἱεραρχικὰ μυστήρια [1] — τὰς αἰσθητὰς εἰκόνας τῶν ὑπουρανίων [2] — τὰ θεῖα καὶ ἱερὰ σύμβολα [3] — τὰ αἰσθητῶς ἱερὰ τῶν νοητῶν ἀπεικονίσματα καὶ ἐπ'αὐτὰ χειραγωγία καὶ ὁδός, *sensibilia simulacra sacra intelligibilium, ad quæ manuducunt ac viam sternunt* [4] — τὰς ἱεραρχικὰς τελετάς. [5]. Eucharistia speciatim nuncupatur : τὰ τελεστικὰ μυστήρια — τὰ θεαρχικὰ καὶ τελειωτικὰ μυστήρια — τελετῶν τελετή [6]. Sacramenta tamen proprie dicta a sacramentalibus Dionysius non secernit. Inter μυστήρια enim seu ἱερὰ σύμβολα recenset chrismatis et altaris consecrationem, ritum consecrationis monachorum, ritum sepulturæ, in quo defunctus etiam oleo ungebatur. Neque ante sæculum XIII hanc definitam distinctionem inter sacramenta et sacramentalia apud Græcos deprehendimus.

Ex modernis compendiorum auctoribus pauci de diversis sacramentorum seu mysteriorum speciebus sermonem faciunt. Plerique de sacramentis Novæ Legis tantum loquuntur; neque ullum invenimus qui *sacramentum legis naturæ* memoret. Gabriel Severus meminit quidem de *mysteriis gentium*, « quæ non erant vera sacramenta, neque suscipientibus utilia » [7]; de eorum vero natura nihil dicit. Idem de sacramentis mosaicis non tractat; breviter tamen notat illa a Novæ Legis sacramentis multum distulisse : « Non enim beatos faciebant illis utentes, nec ad animæ libertatem aliquid conferebant; » quod Chrysostomi auctoritate firmat.[8] Dositheus, in *confessione fidei*, c. XV, Veteris Legis sacramenta habet ut *mera signa Dei promissionum.*

Sæculo XVIII, theologi russi de sacramentis Veteris Legis communiter tractabant. Quidam, ut Plato Levkhin [9] et Theophylactus Gorskii [10], duo tantum sacramenta hujus-

1. *Eccles. hier.*, I, 1. *P. G.*, t. III, col. 372.
2. *Ibid.*, I, 5, col. 376 D.
3. *Ibid.*, II, 1, col. 392 B.
4. *Ibid.*, II, 3², col. 397 C.
5. *Ibid.*, III, 1, col. 425 A.
6. *Ibid.*, col. 424-425.
7. *Op. cit.*, ed. Ven., 1691, p. 13.
8. « Ἀλλ'οὐ μακαρίους ἐποίουν τοὺς αὐτοῖς χρωμένους. » *Ibid.*
9. Ὀρθόδοξος διδασκαλία (versio Corai), ed. Ath., 1836, II pars, § 30, p. 137.
10. *Ecclesiæ orientalis orthodoxa dogmata*, ed. Mosquensis, 1831, p. 237-238.

modi, circumcisionem scilicet et agnum paschalem, recensebant; alii multo plura; inter quos invenimus Sylvestrum Lebedinskii, qui sacramenta Veteris Testamenti dividit in *ordinaria* et *extraordinaria*. *Ordinaria* erant : circumcisio, agnus paschalis, consecratio summi pontificis, panis propositionis, varii ritus purificationum. *Extraordinaria* fuerunt : transitus maris rubri (cf. I Corinth., x, 1), manna in deserto, aqua ex petra educta [1]. Lebedinskii multiplices quidem notat differentias inter utriusque Legis sacramenta [2]; eamdem tamen novis et veteribus tribuit efficaciam sanctificantem ac operandi rationem. Unde sub hac generali definitione hæc et illa comprehendit :

« Sacramentum sumptum in genere... est cæremonia vel ritus divinitus institutus, per quem, sub visibilibus signis, invisibilis gratia non solum significatur, sed etiam *confertur*, confirmatur et obsignatur... Nomine *invisibilis* gratiæ intelligitur gratiæ evangelicæ collatio et obsignatio. Ita circumcisio facit sigillum justitiæ fidei [3]. »

Objicienti : « Umbræ nulla est efficacia. Atqui sacramenta Veteris Testamenti sunt umbræ; ergo sacramentorum Veteris Testamenti nulla est efficacia », sic respondet :

« Sacramenta Veteris Testamenti partim sunt *umbræ*, partim *media gratiæ*. Sunt umbræ respectu futuræ incarnationis, passionis et mortis Christi, quam eminus adumbrarunt. Sunt media gratiæ, quatenus externa elementa, accedente verbo institutionis cum re cælesti conjuncta *regenerarunt*, *justificarunt*, *sanctificarunt*, *salvarunt* vi fœderalis promissionis divinæ [4]. »

Item objicienti : « Sacramenta Veteris Testamenti abrogata sunt propter inutilitatem (Hebr., vii, 28). Ergo non justificabant, non conferebant gratiam, » his verbis satisfacit :

« Paulus de cæremoniis, non de sacramentis loquitur. Et si loqueretur de sacramentis, abrogata sunt *non propter inutilitatem*, *sed propter adventum corporis Christi :* corpore enim præsente, umbra cessare debuit [5]. »

1. *Compendium theologiæ classicum*, ed. Mosquensis, 1805, p. 466.
2. *Ibid.*, p. 469-470.
3. *Op. cit.*, p. 454.
4. *Ibid.*, p. 464.
5. *Ibid.*, p. 472.

Hujus theologi sententia de efficacia salutari sacramentorum Veteris Legis ex hac circumcisionis definitione adhuc clare patefit :

« Circumcisio est sacramentum Veteris Testamenti a Deo institutum, quo ordinarie per Ecclesiæ ministrum homini masculo Ecclesiæ judaicæ inserendo, præputii cruenta resectione futuram sanguinis Messiæ in assumpta carne effusionem præfigurante, gratia fœderalis significabatur, *conferebatur*, obsignabatur, ad divinæ bonitatis laudem et hominis circumcisi salutem [1]. »

Neque illi opponas cicumcisionem fuisse opus legis omni vi justificativa vacuum; tibi enim respondebit : « Circumcisio, *ut est opus*, non justificat; sed ut habet annexam gratiæ promissionem, sic justificat : illud *legale*, hoc *evangelicum est* [2]. »

Hæc Sylvestri sententia de sacramentorum veterum efficacia paucis arrisisse videtur. Verum quidem est Platonem Levkhin ei potius favere; sed ab ea manifesto recedit Theophylactus Gorskii, qui optime explicat circumcisionem justificasse adultos *ex opere operantis*, pro parvulis vero fuisse medium regenerationis [3]. Ita etiam sentit Græcus Dyovuniotis; cui tamen non placet sententia theologorum scholasticorum sacramentis Veteris Legis tribuentium vim conferendi aliquam sanctitatem legalem mere externam [4].

De differentia inter sacramenta proprie dicta et sacramentalia quædam habent Malinovskii, Andrutsus atque Dyovuniotis. Malinovskii [5] quatuor inter utraque notat differentias : 1° Sacramenta Jesum Christum necessario auctorem habent; *ritus* vero (*obriady*) non ita; 2° Sacramenta sunt numero septem, nec plus nec minus, et tamdiu duratura, quamdiu ipsa in terris Ecclesia; rituum vero numerus crescere vel minuere potest pro temporum opportunitate; 3° In sacramentis, gratia divina cum visibili operatione necessario connectitur, atque sub sensibili signo suscipienti

1. *Compendium theologiæ classicum*, ed. Mosquensis, 1805, p. 467.
2. *Ibid*, p. 472.
3. *Op. cit.*, p. 238.
4. *Op. cit.*, p. 16-17.
5. *Summa orthodoxæ dogmaticæ theologiæ* (russice), t. II, Serghief-Possad, 1908, p. 325-326.

offertur; *obriady* sunt tantum signa gratiæ, neque eis necessario annectitur; 4° Tandem, in unoquoque sacramento certa dona divinæ gratiæ credentibus communicantur; quæ fructus sunt meritorum Christi redemptoris; in ritibus autem, quamquam gratia a Deo offertur, hæc tamen definitam non induit speciem sanctificationis. Ritus enim homini conciliant, etiam pro ejus vita exteriori et industria, Dei misericordiam atque benedictionem. Juxta Andrutsum [1], sacramentalia, αἱ μυστηριοειδεῖς τελεταί, in duas classes dividuntur : in *benedictiones* videlicet, εὐλογίαι, et in *consecrationes*, καθιερώσεις. Eorum fundamentum dogmaticum quærendum est in facultate qua gaudet Ecclesia impugnandi in nomine Domini potestates tenebrarum necnon res et personas divina protectione et auxilio muniendi. Cæterum, illorum operandi rationem *positive* definire impossibile est. Asserere satis sit hujusmodi ritus neque operari ut sacramenta, neque esse meras figuras quarumdam veritatum vel simplices orationum formulas; eorum vero efficaciam a dispositionibus suscipientium maxime pendere. Dyovuniotis tres μυστηριοειδῶν τελετῶν species distinguit : exorcismos scilicet, benedictiones et consecrationes; quarum hanc tradit definitionem : « Sacramentalia sunt ritus ab Ecclesia instituti ad malorum spirituum incursus repellendos necnon ad sanctificandam vitam humanam et ea quæ ad illam pertinent. Suos effectus producunt non *ex opere operato*, sicut sacramenta, sed *ex opere operantis* [2].

ARTICULUS II

De definitione, numero, ordine, multiplici divisione et convenientia sacramentorum Novae Legis.

I. — De definitione sacramenti.

Sacramenti Novæ Legis congruam definitionem apud Græco-Russos non invenimus ante sæculum XVI; quo tem-

1. Δογματική, Athenis, 1907, p. 317-318.
2. *Op. cit.*, p. 35, in nota.

pore illam, quam communiter tradunt theologi catholici, suam fecerunt, et ad nostra usque tempora retinuerunt. Verum quidem est quosdam auctores mancas habere definitiones, aut terminis impropriis uti; ex eorum tamen dictis apparet veram sacramenti rationem illos non effugere; omnes enim tenent sacramenta Novæ Legis esse signa sensibilia et efficacia gratiæ divinæ a Christo permanenter instituta. Jam Jeremias II, in *I Responso ad Lutheranos*, c. VII, hæc de sacramentis habet :

« *Mysteria* hæc dicuntur, quod sub sensibilibus signis intelligibilem et occultum habent effectum. Unumquodque eorum in sacris Litteris sancitum est; definitam vero materiam formamque habent, necnon efficientem, aut potius instrumentalem causam [1]. »

Meletius Pigas item illud vocat *mysterium*, « quod per visibilia signa perficitur et gratiam producit invisibilem [2]. » Gabriel Severus vero sacramentum ita definit : « Est res quædam sacra sub sensu cadens, in se habens divinam virtutem occultam, per quam salutem et ea quæ ad salutem pertinent hominibus tribuit [3]. » Accuratior et definitioni a nostris traditæ vicinior est definitio in *Confessione orthodoxa* occurens :

« Sacramentum est ritus quidam sacer sub visibili quadam specie producens et in animam fidelis inferens Dei gratiam, institutus a Domino nostro, per quem fidelium unusquisque divinam accipit gratiam [4]. »

Dositheus, in *Confessione fidei*, c. XV, Calvinistarum et Zwinglianorum errorem directe refellit, asserens sacramenta *non esse nuda signa divinarum promissionum, sed esse instrumenta gratiæ necessario efficacia* [5]. Philaretus Mos-

1. Gedeon Cyprius, Κριτὴς τῆς ἀληθείας, t. I, Lipsiæ, 1758, p. 36.

2. « Πῶς οὖν οὐ μυστήριον, τὸ διὰ ὁρατῶν συμβόλων τελούμενον, καὶ χάριν προξενοῦν ἀόρατον; » Ὀρθόδοξος διδασκαλία, ed. 1769, p. ροη'.

3. *Op. cit.*, p. 17.

4. « Τὸ μυστήριον εἶναι μία τελετή, ἡ ὁποία ἀποκάτω εἰς κάποιον εἶδος ὁρατὸν εἶναι αἰτία, καὶ φέρει εἰς τὴν ψυχὴν τοῦ πιστοῦ τὴν ἀόρατον χάριν τοῦ Θεοῦ, διαταχθὲν ὑπὸ τοῦ Κυρίου ἡμῶν, δι' οὗ ἕκαστος τῶν πιστῶν τὴν θείαν χάριν λαμβάνει. » *Confessio orthodoxa*, p. I, q. XCIX.

5. « Οὐκ εἰσὶ δὲ ψιλὰ σημεῖα τῶν ἐπαγγελιῶν τοῦ Θεοῦ. ... Ὁμολογοῦμεν δ'αὐτὰ εἶναι ὄργανα δραστικὰ τοῖς μυουμένοις χάριτος ἐξ ἀνάγκης. »

quensis in *Catechismo longiore* sacramentum sic *definit* : « Est actio sacra, per quam secreto modo in hominem operatur gratia seu, quod idem est, salutaris Dei virtus [1]. » Hæc definitio nimis vaga est; illam tamen orthodoxe explicant theologi russi. Malinovskii, in unum colligens diversas notiones in libris symbolicis occurentes, hanc tradit definitionem :

« Sacramenta sunt actiones sacræ ab ipso Jesu Christo ad salutem credentium institutæ et a legitima hierarchia perfectæ, quæ sub signo visibili continent et sub visibili signo communicant gratiam Dei invisibilem, ita ut in unoquoque sacramento in credentes inducantur certa gratiæ dona [2]. »

Athanasius Pariensis tres affert definitiones, ex quibus hanc transcribimus : « Sacramentum est signum materiale immaterialem Dei gratiəm continens, ad salutem hominum a divina lege efficaciter constitutum [3]. »

Quidam theologi protestantizantes in definitione sacramenti includunt notiones minus orthodoxas hæresimque lutheranam vel calvinianam de justificatione sapientes. Ita, v. g., Metrophanes Critopulus, qui hæc habet :

« Prædestinatos et electos secundum præscientiam per prædicationem Deus congregans sibique familiares efficiens per gratiæ suæ largitionem, hanc illis... per sensibilia quædam signa, tanquam certissima promissionis electis factæ pignora, communicare voluit... Per pignora illa Dei, quæ in sensus cadunt, *electi certiores redduntur se esse præcognitos et prædestinatos ad vitam æternam favore præ-noscentis et prædestinantis.* Alioquin enim illi fortasse dubitarent utrum jam electi fuerint, vel in posterum eligendi, an nequaquam [4]. » Ex quo quis inferre poterit sacramenta pro solis electis existere, in electis solis operari.

Theophylactus Gorskii, in hac sua sacramenti defini-

1. *Catechismus longior*, I p., *ad art.* X *Symboli.*

2. *Op. cit.*, p. 310.

3 « Μυστήριόν ἐστι σημεῖον ὑλικὸν τὴν ἄϋλον τοῦ Θεοῦ χάριν συνέχον πρὸς τὴν τῶν ἀνθρώπων σωτηρίαν δραστικῶς τεταγμένον ὑπὸ τῆς θείας θεσμοθεσίας. » Ἐπιτομὴ εἴτε συλλογὴ τῶν θείων τῆς πίστεως δογμάτων, Lipsiæ, 1806, p. 344.

4. *Confessio fidei*, c. v. Kimmel, *op. cit.*, t. II, p. 89-90.

tione, ad doctrinam lutheranam de justificatione item alludit :

« Per sacramentum proprie sic dictum intelligitur sacra et solemnis actio divinitus instituta qua Deus, interveniente hominis ministerio, sub visibili et externo elemento cum verbo institutionis conjuncto, rem spiritualem seu bona cælestia exhibet et dispensat, ad offerendam singulis utentibus, et applicandam et obsignandam *credentibus promissionem de gratuita peccatorum per Christum remissione* [1]. »

II. — De numero sacramentorum.

Dogma catholicum est a concilio Tridentino, sess. VII, can. 1 definitum, septem esse Novæ Legis sacramenta, nec plura nec pauciora, videlicet : Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pænitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium. Hanc doctrinam, inde a secundo dimidio sæculi XIII, Græco-Russi *expresse* tenuerunt, et *communissime* adhuc retinent. Quidam tamen, septenarium proferentes, in enumerandis sacramentis erraverunt; nostris vero temporibus, pauci jam in septenarium sacramentale tanquam in latinum commentum invehi non dubitarunt, opinantes vel sacramenta esse plura quam septem, vel matrimonium ad numerum sacramentorum non pertinere.

Notum est septenarium numerum sacramentorum neque in sacra Scriptura, neque in traditione octo priorum sæculorum occurrere, quanquam in utraque diserte memoratur unumquodque sacramentum singillatim sumptum. Ante sæculum XIII, vox μυστήριον apud Græcos suam latiorem significationem, quam in scriptis Patrum et speciatim apud Pseudo-Dionysium habet, servavit. Sæculo IX ineunte, Theodorum Studitam Dionysianum *mysteriorum* elenchum adhuc repetentem invenimus [2], quamvis sanctus hegumenus tria sacramenta in hoc catalogo silentio præterita, Euchelæum videlicet seu Extremam Unctionem, Pænitentiam et Matrimonium bene noverit; quippe qui *Euchelæum* ante

1. *Op. cit.*, art. VIII, p. 236.
2. *Epist.*, l. II, 165. *P. G.*, t. XCIX, col. 1524.

mortem ipse suscepit [1], et suis scriptis testatur secretam peccatorum confessionem a fidelibus suo ævo frequentatam fuisse [2]; item hoc eodem tempore, matrimonium apud Byzantinos suos ritus liturgicasque orationes jam habuisse certum est; ex quo illud pro sacramento tum habitum fuisse non obscure innuitur [3]. Scholastici occidentales primi fuerunt qui septem sacramenta diserte recensuerint, a sacramentalibus illa probe secernentes; quod non ante sæculum XII contigisse vulgo asserunt. Porro, ad Byzantinos per Latinos catholicos septenarium sacramentale (non utique sacramenta ipsa) pervenisse omnino certum est. Primum enim documentum authenticum hoc septenarium referens quod a Byzantinis sive expresse, sive tacite saltem, receptum fuerit, est *Confessio fidei Michaelis Palæologi dicta;* quam, ut bene notum est, Clemens papa IV jam anno 1267 Michaeli proponebat; cui deinde subscripserunt tum imperator, tum Græci qui unioni in concilio Lugdunensi II pactæ adhæserunt (an. 1274-1279) [4]. In hoc documento, septem sacramenta sequenti ordine enumerantur :

« Tenet etiam et docet eadem sancta romana Ecclesia septem esse ecclesiastica sacramenta, unum videlicet baptisma, de quo dictum est supra; aliud est sacramentum Confirmationis, quod per manuum impositionem episcopi conferunt, chrismando renatos; aliud est Pœnitentiæ, aliud est Eucharistia, aliud est sacramentum Ordinis, aliud est Matrimonii, aliud est Extrema Unctio, quæ

1. *Theodori Studitæ Vita*, I, 67, *P. G.*, *ibid.*, col. 325. Cf. col. 1845, et infra.

2. *Epistol.*, l. II, 162, *ibid.*, col. 1504-1516.

3. Cf. J. Pargoire, *L'Église byzantine de 527 à 847*, Parisiis, 1905, p. 338.

4. Synodus Cypria sub Germano Pessimandro, Paphi circa annum 1260 habita, septem sacramenta jam enumerat hoc ordine : matrimonium, Ordo sacer, baptismus, unctio per unguentum, communio, quæ et synaxis dicitur, pœnitentia seu Confessio, et unctio olei : γάμος, τάξις ἱερά, βάπτισμα, χρίσμα διὰ μύρου, κοινωνία, ὃ καὶ σύναξις λέγεται, μετάνοια ἤτοι ἐξομολόγησις καὶ χρίσις ἐλαίου. Affirmat insuper synodus esse septem sacramenta tantum et non plura. Haud dubium quin hanc circa sacramenta doctrinam adeo certam Græci Cyprii e latinis fontibus hauserint. Cf. *cod. Barb. græc.*, *390*, fol. 250.

secundum doctrinam beati Jacobi infirmantibus adhibetur [1]. »

Patriarcha Constantinopolis Joannes Veccus septenarium sacramentale item professus est in propria fidei Confessione ad papam Joannem XXI mense aprili anni 1277 missa, additis quibusdam explicationibus circa diversos usus utriusque Ecclesiæ in sacramentorum administratione receptos [2]. Atqui hoc observatione omnino dignum est, scilicet quod adversarii unionis huic sacramentorum seu *mysteriorum* catalogo neque *tempore concilii Lugdunensis, neque postea reclamaverunt vel contradixerunt;* sed ipsi exinde septem esse Ecclesiæ sacramenta docere consueverunt. Hujus primum testem habemus illum Jobum monachum, cujusdam dissertationis de septem Ecclesiæ sacramentis auctorem, quem eumdem esse ac Jobum Iasitam, Michaelis Palæologi et Joannis Vecci coævum, omnino probabile est. Hic tenet quidem septem esse Ecclesiæ sacramenta; verum, cum monachus sit, professionem religiosam seu *sanctum habitum*, τὸ ἅγιον σχῆμα, a numero sacramentorum excludere non vult; unde, ut septenarium servet, *Euchelæum* et pœnitentiam simul pro uno sacramento, ultimo scilicet, ponit. Sic enim opusculum incipit :

« Septem (τὰ ἑπτὰ) sanctæ Dei Ecclesiæ mysteria ordine sunt hæc : primum, baptisma; secundum, chrisma; tertium, communio sacramentorum (τῶν ἁγιασμάτων) vivifici

1. A. Theiner et F. Miklosich, *Monumenta spectantia ad unionem Ecclesiarum græcæ et latinæ*, Vindobonæ, 1872, p. 10. Versio græca hujus documenti latinitatem omnino redolet; ibi enim sacramentum Confirmationis vocatur μυστήριον βεβαιώσεως, et Extrema Unctio, τὸ ἔσχατον χρίσμα. *Ibid.*, p. 17-18.

2. In professione fidei Joannis Vecci, septem sacramenta iisdem nominibus designatur, quibus in versione græca Confessionis Michaelis, præter sacramentum Ordinis, quod hic vocatur « τὸ μυστήριον τῆς ἱερατικῆς χειροτονίας », illic vero « ἡ ἱερὰ τάξις. » Dum autem verba Confessionis explicat, patriarcha usus Ecclesiæ suæ memorat. Notat, v. g., apud Græcos τὸ μυστήριον τῆς βεβαιώσεως indifferenter conferri tum ab episcopis tum a presbyteris, παρ'ἡμῖν δὲ ἀδιαφόρως οἱ ἀρχιερεῖς καὶ πρεσβύτεροι τοῦτο ποιοῦσιν. Item, dicit Extremam Unctionem apud Græcos vocari « τὸ ἑπταπάπαδον », id est, sacramentum a septem presbyteris administratum. In utroque documento verbum latinum *transsubstantiari* redditur per verbum græcum μετουσιοῦσθαι, illatenus apud Orientales inauditum. *Ibid.*, p. 27-28.

corporis et sanguinis Christi; quartum, sacerdotium; quintum, honorabile matrimonium; sextum, habitus sanctus; et septimum, *Euchelæum* sive pœnitentia, καὶ εὐχέλαιον, ἕβδομον ἤτοι ἡ μετάνοια [1]. »

Quamvis autem Euchelæum et pœnitentiam pro uno sacramento numeret, utriusque tamen elementa non semel distinguit. Unum hunc locum exscribere sufficiat :

« Sanctum Oleum sanctificatur quidem a superna gratia per preces sacerdotum; quo sacramentum suscipiens ungitur. Indiget vero citra ullam excusationem et pœnitentia, quæ ex corde ipsius proficiscatur, et compunctione, et ferventibus lacrymis perfectaque vitiorum exstirpatione, et odio et pœnitudine priorum delictorum jam omnino præcedente, vel simul tunc concomitante sincera peccatorum confessione, προηγουμένης ἤδη πάντως ἢ ἅμα τότε συμπαρακολουθούσης καὶ τῆς καθαρᾶς ἐξαγορεύσεως τῶν ἁμαρτημάτων [2]. »

Jobi tractatus theologi considerationem aliunde meretur. Ex professo enim inquirit ille utrum alii quidam ritus sacri inter sacramenta deputandi sint. Primum quidem quæstionem ponit pro virginitate (ἡ ἱερὰ καὶ ἰσάγγελος παρθενία), respondetque illam in *sancto habitu* revera includi. Secundo, interrogat de consecratione et dedicatione ecclesiæ; quam ad sacramentum τοῦ ἁγίου μύρου seu Confirmationis reducit. Ipsa vero chrismatis consecratio non ad Confirmationem, sed, quod mirum est, ad Eucharistiam annectitur [3]. Quarto, aquæ consecratio solemnior, quæ in Epiphaniæ festo agitur quamque Græci τὸν μέγαν ἁγιασμὸν appellant, ad baptismum non ægre refertur, quippe quæ Christi baptismum revocet. Minor autem aquæ consecratio seu simplex benedictio, ὁ μικρὸς ἁγιασμός, quæ quovis tempore peragi potest, non ad unum ex sacramentis reducitur, sed ostendit, ait monachus noster, « gratiam seu benevolentiam sanctissimæ Deiparæ, indigentibus multum con-

1. *Cod. 64 Supplementi græci Paris.*, fol. 239.
2. *Ibid.*, fol. 243 *b*.
3. « Ἡ μὲν τοῦ μύρου τελετὴ συμπίπτει καὶ συμφωνεῖ τῇ μυσταγωγίᾳ τῶν ἱερῶν ἁγιασμάτων, καὶ ὑπὸ τῷ τρίτῳ τῶν μυστηρίων, τῇ μεταλήψει συνέρχεται· ὅθεν καὶ ἐν μόνῃ τῇ μεγάλῃ πέμπτῃ τελεῖσθαι τῇ Ἐκκλησίᾳ εἴθισται, ὅτε καὶ ἡ ἐξ ἀρχῆς παράδοσις τοῦ μυστηρίου τῆς μετάλήψεως. » *Loc. cit.*, fol. 254.

ferentem et in mundo magnopere potentem [1]. » Demum, sacramentale vulgo dictum *Elevatio Sanctissimæ*, ἡ ὕψωσις τῆς παναγίας [2], ad Eucharistiam refertur.

Contra sanctum Theodorum Studitam, qui docuerat *habitum sanctum*, τὸ ἅγιον σχῆμα, esse unum, sicut et baptisma [3], Jobus in hoc *mysterio* distinguit quasi tres gradus, scilicet, 1° τὸ μικρόσχημα, seu μικρόσχημον, vel ῥασοφόρον (= *Parvus habitus*); 2° τὸ τῆς κουρᾶς τέλειον ἅγιον σχῆμα (=*Tonsuræ perfectus sanctus habitus*); 3° τὸ ἀγγελικὸν seu μέγα σχῆμα (= *angelicus sive magnus habitus*) [4].

Jobus monachus suæ sententiæ de sacramento sancti Habitus sequaces vix habuit. Theologi enim sæculi XIV et sæculi XV septem sacramenta Catholicorum communiter recensent. Ita Manuel Calecas [5], Josephus Bryennius [6], Simeon Thessalonicensis, qui integrum tractatum dogmatico-liturgicum de septem sacramentis conscripsit [7]. Cognovisse quidem videtur Simeon Jobi dissertationem; eodem enim ordine ac ille, septem sacramenta recitat; sed loco τοῦ ἁγίου σχήματος pœnitentiam ponit, et ad eam sanctum

1. *Code 64 Supplementi græci Paris.*, fol. 253 *b*.

2. Ritus τῆς παναγίας in monasteriis Græcorum perficitur post prandium in hunc modum : Panis triangulus, in quodam vase παναγιάριον vocato positus, ab uno ex monachis sanctissimam Trinitatem primùm, deinde sanctissimam Deiparam, τὴν παναγίαν Θεοτόκον, invocante, in altum elevatur, et fratribus ad esum distribuitur. Juxta Jobum, hæc elevatio panis in memoriam fit tum celebrationis sacræ Liturgiæ, quæ tempore apostolorum post prandium vel cœnam agebatur, tum assumptionis Deiparæ in cælum.

3. « Οὐ δοίης ὅπερ λέγουσι μικρὸν σχῆμα, ἔπειτα μετὰ χρόνους ἕτερον, ὡς μέγα. Ἓν γὰρ τὸ σχῆμα, ὥσπερ καὶ τὸ βάπτισμα, καθὼς καὶ οἱ ἅγιοι πατέρες ἐχρήσαντο. » *Epist.* l. I, 10, *P. G.*, t. XCIX, col. 941.

4. « Ἔτι γνώμης οἰκείας ὁρμῇ [sacramentum pluries recipi potest], ὡς ἐπὶ τοῦ ἁγίου σχήματος, τριχῶς καὶ τούτου προβαίνοντος, καὶ ἀπὸ τοῦ ἐλάττονος ἐπὶ τὸ τελεώτερον προχωροῦντος· ἀπὸ μικροσχήμου καὶ ῥασοφόρου καλουμένου εἰς τὸ τῆς κουρᾶς τέλειον ἅγιον σχῆμα· καὶ ἀπὸ τούτου πάλιν εἰς τὸ ἀγγελικὸν μέγα καλούμενον σχῆμα, τὸ τελεώτατον. » *Loc. cit.*, fol. 247.

5. *De principiis fidei catholicæ*, c. VI, *P. G.*, t. CLII, col. 597-610. Hic sacramentum Ordinis vocat τὸ μυστήριον τῶν τάξεων,, col. 608C.

6. *Sermo* I *De mundi consummatione. Opera*, ed. E. Bulgaris, t. II, p. 198 : « Μυστήρια τῆς Ἐκκλησίας ἑπτά· Βάπτισμα, χρίσις μύρου, ἅγιον ἔλαιον, ἐν Κυρίῳ γάμος, χειροτονία, ἐξομολόγησις καὶ μετάληψις. »

7. *P. G.*, t. CLV, col. 175-696. »

Habitum reducit [1]. Item, sicut ille, de quibusdam tractat sacramentalibus, quin ea sacramentis proprie dictis æquiparet, v. g., de consecratione chrismatis, de consecratione altaris et templi dedicatione, de chrismatione imperatoris, de oratione dominica necnon de horis canonicis, de ritu τῆς παναγίας, de officio sepulturæ, de colybis, etc. Nota præterea in concilio Florentino nullam inter Græcos et Latinos de numero sacramentorum disceptationem ortam fuisse.

Certum est tamen quosdam Byzantinos circa numerum sacramentorum dubios hæsisse, inter quos est Joasaphus ille hieromonachus et protosyncellus, qui et postea metropolita Ephesi renuntiatus est; cujus A. I. Almazov 54 *Responsa canonica* nuper edidit. Responsum ad interrogationem quadragesimam septimam : *Quænam sunt septem Ecclesiæ sacramenta?* sic se habet :

« Ut ego opinor, Ecclesiæ sacramenta non sunt septem, sed plura : Audi vero : 1° sacramentum illuminationis; 2° divinæ sumptionis pretiosi corporis et sanguinis Christi; 3° ritus divini unguenti; 4° sacerdotalium perfectionum; 5° consecratio templi; 6° matrimonium in Domino; 7° ritus super eos qui pie obdormierunt; 8° sacramentum Euchelaei; 9° Habitus monachorum; 10° sacramentum Confessionis. Hæc sunt Ecclesiæ sacramenta [2]. »

Sæculo XVI, Damascenus Studita († 1577), in quodam sermone de Epiphania Domini, Jobo monacho ex parte assentit, dum pro sexto sacramento dat professionem reli-

1. *P. G.*, t. CLV, col. 197 A, 489-503. Ostendit Simeon professionem religiosam Christum habere auctorem.

2. *Responsa canonica Joasaphi, metropolitæ Ephesi* (russice et græce), Odessae, 1903, p. 38 : « Μυστήρια τῆς Ἐκκλησίας γοῦν οὐκ εἰσὶν ἑπτά, ὡς ἐγὼ νομίζω, ἀλλὰ πλείω, καὶ ἄκουσον· α'. μυστήριον τοῦ φωτίσματος. β'. τῆς θείας μεταλήψεως τοῦ τιμίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ. γ' τῆς τελετῆς τοῦ θείου μύρου. δ'. ἱερατικῶν τελειώσεων. ε'. ἡ καθιέρωσις τοῦ ναοῦ. ς'. γάμος ἐν Κυρίῳ. ζ'. τὰ ἐπὶ τῶν ἱερῶς κεκοιμημένων γινομενα. η'. τὸ τοῦ εὐχελαίου. θ'. τὸ τῶν μοναχῶν. ι'. τὸ τῆς ἐξομολογήσεως· ταῦτά εἰσιν τὰ μυστήρια τῆς Ἐκκλησίας. » Hic Joasaphus sæculo XIV non antiquior est; probabilissime ille est Joasaphus quem Lequien immediate ante Marcum Eugenicum inter metropolitas Ephesios recenset, *Oriens christianus*, t. I, p. 691-692. Obierit ergo anno 1437.

giosam, τὴν καλογερικὴν ἥγουν τὸ μέγα σχῆμα [1]; ab eo vero recedit quatenus 1° de pœnitentia nullam facit mentionem; 2° ut sacramentum habet tantum *magnum Habitum*, τὸ μέγα σχῆμα,, dum Jobus, ut mox diximus, tres gradus in sancto Habitu distinguit; 3° item inter sacramenta recenset solum *primum matrimonium*, τὸν πρῶτον γάμον, cui quartum locum assignat. Huic ultimæ opinioni suffragatur etiam Metrophanes Critopulus [2].

Mox tamen Jeremias II, in *Responso I ad lutheranos*, doctrinam orthodoxam de septem sacramentis diserte prædicat, verbis utens Simeonis Thessalonicensis; et non solum affirmat ea esse septem, *sed et non esse nisi septem, nec plura, nec pauciora;* quod hac ratione firmat :

« Quod vero hæc sola sint nec plura numero, etiam divisione clarum fit. Mysterium enim aut generationem hominis respicit, et est in Christo conjugium,; aut salutem, et est Ordo sacrorum (ἡ τάξις τῶν ἱερῶν), et quæ per ipsa et in ipsis exercentur. Et quædam sunt omnibus utilia, scilicet Baptisma, Unguentum, Communio; iis vero qui Deo consecrati sunt, ordinatio, ἡ χειροτονία, sicut laicis conjugium; illis autem qui post baptisma peccaverunt, pœnitentia et consecrati olei unctio, καὶ ἡ τοῦ ἡγιασμένου χρίσις ἐλαίου; quæ aut remisionem peccatorum largiuntur, aut sordes animæ inhærentes expurgant [3]. »

Eamdem doctrinam retinent ac firmiter propugnant theo-

1. Θησαυρός, λόγος γ' εἰς τὰ ἅγια θεοφάνεια, Venetiis, 1550, p. 43. Hujus homiliarum collectionis inter Græcos modernos vulgatissimæ antiquæ editiones auctoris textum in hoc loco immutatum exhibent; in quibusdam tamen recentioribus editionibus, v. g., in Atheniensi anni 1910, p. 35, loco verborum : ἕκτον, ἡ καλογερικὴ ἥγουν τὸ μέγα σχῆμα, legitur : ἕκτον, ἡ μετάνοια; sed ὁ πρῶτος γάμος semper remanet. Cf. Allatium, *De consensione*, l. III, c. XVI, 4, col. 1258.

2. *Confessio fidei*, c. v. Kimmel, p. 93. Attamen, c. XII, p. 150, Critopulus loquitur de secundis et tertiis nuptiis ut ab Ecclesia toleratis. Notandum est hunc auctorem in quibusdam protestantizare. Ad sacramenta quod attinet, in duas classes illa partitur, in necessaria videlicet, quæ sunt : Baptismus, Eucharistia et Pœnitentia, et *in alios quosdam ritus mysticos, et ipsos ab Ecclesia sacramenta homonyme vocatos*, ut sunt chrisma sanctum post baptisma statim susceptum, ordo sacerdotum, primæ nuptiæ, Euchelæum. C. v, p. 93.

3. *Responsum I ad Tubingenses*, c. VII. *Loc. cit.*, p. 36.

logi sæculi XVII contra Cyrilli Lucaris negationem, qui in c. XV suæ *Confessionis fidei* hæc dixerat :

« Credimus evangelica sacramenta esse in Ecclesia, quæ Dominus tradidit in Evangelio, et ipsa esse duo. Tot enim nobis tradita sunt, et eorum institutor non plura tradidit [1]. »

Huic anathema dicunt tum synodus Constantinopolitana anni 1638 [2], tum synodus Iasiensis (1642) [3], tum Hierosolymitana (1672), in qua Dositheus iterum affirmat septenarium sacramentale his verbis :

« Credimus evangelica sacramenta esse in Ecclesia, eaque esse septem. Nec minorem majoremve in Ecclesia sacramentorum numerum admittimus; siquidem alius sacramentorum numerus quam septenarius hæreticalis est dementiæ fœtus. Septenarius autem a sancto Evangelio statuitur, et ex ipso colligitur, sicut et cætera catholicæ fidei dogmata [4]. »

Septenarium item expresse docent tum *Confessio orthodoxa* Petri Moghilæ [5], tum synodus Constantinopolitana anni 1672, sub Dionysio IV patriarcha [6]. Nec illud respuunt theologi russi sæculi XVIII et sæculi XIX ineuntis, quamquam quosdam loquendi modos Lutheranis solennes aliquando usurpant [7]. *Communissime* etiam huic doctrinæ addictos invenies theologos quum russos tum græcos nostri ævi. Silentio tamen prætereundum non est recentiores quosdam theologos russos septenarium sacramentale labefactare jam

1. Kimmel, *op. cit.*, t. I, p. 34.
2. *Ibid.*, p. 404.
3. *Ibid.*, p. 414. *(Epistola synodica* Parthenii I ad synodum Iasiensem).
4. « Ἐλάττονα γὰρ ἢ μείζονα ἀριθμὸν μυστηρίων ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ οὐκ ἔχομεν· ἐπειδὴ ὁ παρὰ τὸν ἑπτὰ τῶν μυστηρίων ἀριθμὸς αἱρετικῆς φρενοβλαβείας ἐστὶν ἀποκύημα. Ὁ δὲ τῶν ἑπτὰ παρὰ τοῦ ἱεροῦ εὐαγγελίου νομοθεῖται καὶ συνάγεται, ὡς καὶ τὰ λοιπὰ τῆς καθολικῆς πίστεως δόγματα. » *Confessio Dosithei*, c. XV. Kimmel, p. 448.
5. I p. q. XCVIII. Kimmel, p. 170.
6. Kimmel, t. II, p. 216-218.
7. Quidam, ut Plato Levkhin, *op. cit.*, p. 138, Lebedinskii, *op. cit.*, p. 474, Methodius Smirnov, *De rebus in primitiva Ecclesia gestis*, Mosquæ, 1805, p. 192-217, baptismum et Eucharistiam vocant *primaria ac præcipua sacramenta.*

incepisse, eique dogmatis titulum denegare. Anno 1841, W. Palmer Russiam peregrinanti presbyter Fortunatov acute dixerat : « Septem sacramenta ab initio exstabant, et nos a principio illa habuimus; decursu vero temporis, Papa nobis illa numeravit [1]. » Porro, cum Slavophilis invisum sit quidquid Occidentem et latinismum redolet, quibusda mjam septenarium sacramentale non placet. Anno 1903, Petropoli, cum authentica Censuræ synodalis approbatione nomineque scriptorum commentarii theologici *Missionerskoe Obozrênie* nuncupati, editum est opusculum cujusdam hieromonachi Tarasii inscriptum (russice) : *Theologia Veliko-Russorum et Malo-Russorum sæcul.* XVI-XVII [2], in quo auctor definitionem sacramenti vulgo receptam districte carpit, asseritque hujusmodi definitionis partes aliis sacris ritibus præter septem sacramenta convenire, qui momento ac dignitate quædam ex septem forte superent :

« Determinatio numeri sacramentorum, inquit, eorumque definitio prorsus arbitrariæ sunt ac fictitiæ (*proizvolno i iskutsvenno*) ex Scholastica latina ejusque juridismo directe fluentes. Exstant enim in ecclesiastica praxi alii ritus sacræque actiones inter sacramenta non relatæ, quæ divinitus institutæ sunt, gratiam invisibilem visibiliter significant, majorisque sunt momenti quam quædam ex vulgo dictis sacramentis. Ita, v. g., professio religiosa habenda est tanquam magna manifestatio magnumque divinæ gratiæ symbolum, Baptismi, Eucharistiæ ac Sacerdotii instar; Scholastici tamen illam infra simplicem confessionem, immo infra Euchelæum collocant. Professio religiosa vocatur *sacramentum* in ipso ritu ingressus in religionem et hoc etiam nomine designatur tum a Dionysio Areopagita, tum a Theodoro Studita et a Jobo monacho. Exinde constat non recipiendas esse ut veras et in re fundatas notas tum externas tum internas, quibus illi sacramenta ab aliis sacris officiis seu ritibus secernunt. Judicium de majori vel minori unius alte-

1. W. Palmer, *Notes of a visit to the russian Church*, 1840-1841, ed. Newman, Londini, 1882, c. LXVII, p. 324.

2. Hujus opusculi nova editio, Varsaviae, anno 1928, vulgata est sub novo titulo. Cf. *Orientalia christiana*, t. XII, p. 289-296.

riusve sacramenti necessitate omni fundamento caret; siquidem salus perficitur non quibusdam ritibus sacris separatim sumptis, etiam illis qui maximum habent momentum, sed unione cum tota vita Ecclesiæ, in qua nihil invenitur quod sit minoris momenti. Magna aquæ sanctificatio (= ὁ μέγας ἁγιασμός), habitus religiosi susceptio, exsequiarum ordo non minorem efficaciam vel momentum habent quam pleraque sacramenta... Monachus Jobus Pænitentiam et Euchelæum unum et idem sacramentum esse pronuntiat; et fatendum est in horum duorum sacramentorum ratione multa inveniri quæ hanc sententiam commendent probabilemque reddant. *Longior* Philareti *Catechismus* necnon *Orthodoxa Confessio* sacramentis annumerant matrimonium, phænomenum sane nullum certum habens respectum ad religionem, et seorsim a religione in societatibus irreligiosis existens. »

Additis vero quibusdam aliis commentationibus, Tarasius ad hanc tandem devenit conclusionem :

« Ad doctrinam de septem sacramentis quod attinet, pronuntiandum est eam vita et efficacia donari non posse; quippe quæ ex hæreticorum operibus hausta fuerit. Praxis Ecclesiæ universæ orientalis per angustas *theologiæ classicæ* [1] semitas nunquam incessit, atque aliis ritibus sacris ac precibus magnam semper agnovit efficaciam [2]. »

Nec solus est hieromonachus noster qui nunc inter Russos ita sentiat. Jam ante bellum, Antonius Khrapovitskii, metropolita Kioviensis, qui synodo Ecclesiæ russicæ extra patriæ fines dispersæ (ex parte saltem) hodie præest, in suis scriptis septenarium sacramentale Scholasticorum non semel impetiverat, sacramento matrimonii præsertim detrahens, in cujus locum tonsuram monachalem sufficiebat [3]. Verum quidem est hunc præsulem in novissimo *Catechismo* suo,

1. *Theologiæ classicæ* nomine Tarasius designat doctrinam contentam in compendiis a Synodo Dirigente pro clericorum institutione approbatis.

2. *Op. cit.*, p. 120-125.

3. Cf. K. Smirnov, *De novationibus liturgicis*, in commentario *Viestnik sanctissimæ Synodi Ecclesiæ orthodoxæ russicæ* (= *Ecclesiæ Renovationis* dictæ seu *synodalis)*, n. 12-13 (1926), p. 29. Cf. etiam n. 16 ejusdem commentarii (1927), p. 15 sq.

anno 1924 Karlovitzii edito, septem sacramenta, prout in *Confessione Dosithei* recensentur, retinere, et hoc, inquit, « propter auctoritatem, quam hoc documentum, etsi novissimæ est originis, in universa Ecclesia adeptum est. » Postquam tamen septem sacramenta enumeravit, hæc subjecit :

« Cæterum, quidam alii maximi momenti ritus tum apud Patres antiquos, tum in officiis liturgicis *sacramentorum* nomine nuncupati sunt : scilicet sanctificatio aquæ in die baptismi (= ὁ μέγας ἁγιασμός), orationes flexis genibus recitatæ, Pentecostes die; item consecratio templi, tonsura monachorum. Sed ad doctrinam pietatis, nobis operæ pretium est cognoscere septem sacramenta supra nominata... Nullum productum est decretum antiquæ Ecclesiæ de septenario numero sacramentorum, et revera nullum exstat hujusmodi [1]. »

His verbis satis ostendit Antonius se non habere persuasum septem tantum sacramenta esse; cui assentiunt alii Russi nostri ævi [2].

III. — De ordine sacramentorum.

In septem sacramentis enumerandis non eumdem semper ordinem servaverunt, nec adhuc servant Græco-Russi. In hoc tamen inter se conveniunt et a nostris differunt, quod Euchelæum seu Extremam Unctionem ultimo loco ponunt [3]. Inde a sæculo XVII, communior est ordo in *Confessione orthodoxa* Petri Moghilæ occurrens; quem etiam retinet *Catechismus* Philareti : 1° Baptisma; 2° sacrum Unguentum seu Chrisma; 3° Eucharistia; 4° Pænitentia; 5° Sacerdotium; 6° Honorabile conjugium; 7° Euchelæum. Jobus monachus, Simeon Thessalonicensis, Jeremias II, Athanasius Pariensis hunc ordinem sequuntur : 1° Baptisma; 2° Sacrum Unguentum; 3° Eucharistia; 4° Sacerdotium; 5° Matrimo-

1. *Opyt khristianskago pravoslavnago katikhizissa*, 1ª ed., Carlovitzii, 1924, p. 65 et 141.

2. K. Smirnov, *art. cit.*, sententiam Antonii omnino approbat.

3. Excipiendus est Josephus Brynenius, *loc. cit.*, qui *Communionem* in fine ponit.

nium; 6° Pœnitentia (apud Jobum = τὸ ἅγιον σχῆμα) 7° Euchelæum [1]; cujus rationem sic reddit Jobus :

« Medium exstat sacerdotium tanquam vertex, et chori dux, et auctor, et rex; quippe quod, utpote omnia alia perficiens, idem est et primum et medium et ultimum, centri rationem, ut in circuli ambitu, ad cætera sacramenta retinens; ad quod extrema undique vergunt et unde incipiunt; quod, dextra quidem manu, ut in chori forma, tria prima ex sacramentis tenet, et per immaculatorum sacrorum communionem sacrumque Unguentum usque ad sanctum baptisma procedit, seu etiam incipit; sinistra vero, cætera tria sacramenta complectitur, et per honorabile et immaculatum conjugium angelicumque Habitum ad Euchelæum usque seu pœnitentiam pervenit [2]. »

IV. — De sacramentorum multiplici divisione.

Septem sacramenta multiplici divisione ab invicem distingunt quidam theologi; ex eis tamen nullus tot divisiones adinvenit, quot Jobus monachus, qui non minus quam decem habet :

1° Sacramenta dividit, *ex extensione subjecti*, in *communissima*, *communia et particularia*, εἰς κοινότατα, κοινὰ καὶ ἴδια. *Communissima* sunt tria prima, Baptismus scilicet, Confirmatio et Eucharistia, quæ etiam a parvulis rationis usu carentibus et immatura morte præventis recipiuntur.

1. Gabriel Severus primùm Simeonis ordinem servat; postea vero, c. IX, *De sacramentis in genere*, sacerdotium ponit tertium, ante Eucharistiam. Malinovskii, *op. cit.*, II, p. 317, pœnitentiam ponit tertio loco, ante Eucharistiam.

2. « Τούτων τῶν ἱερῶν ἑπτὰ μυστηρίων μέσον, ὥσπερ τις κορυφαία καὶ χορηγὸς καὶ ἀρχηγὸς καὶ βασιλίς, ἡ αὐτὴ καὶ πρώτη καὶ μέση καὶ τελευταία, ἡ τελεσιουργὸς πάντων ἱερωσύνη καθέστηκε, κέντρου λόγον, ὡς ἐν κύκλου περιγραφῇ, πρὸς τὰ λοιπὰ τῶν μυστηρίων ἐπέχουσα· εἰς ἃ τὰ πανταχόθεν ἄκρα συννεύει, καὶ ὅθεν ἄρχεται· τῇ μὲν δεξιᾷ χειρί, ὡς ἐν χοροῦ σχήματι, τὰ πρῶτα τρία τῶν μυστηρίων κατέχουσα, καὶ διὰ τῆς μεταλήψεως τῶν ἀχράντων ἁγιασμάτων καὶ τοῦ θείου μύρου εἰς τὸ ἱερὸν βάπτισμα προϊοῦσα, εἶτ' οὖν ἀρχομένη· τῇ δὲ δευτέρᾳ χειρὶ τὰ λοιπὰ τρία τῶν μυστηρίων περιλαμβάνουνα, καὶ διὰ τοῦ τιμίου καὶ ἀμιάντου γάμου καὶ τοῦ ἀγγελικοῦ σχήματος εἰς τὸ εὐχέλαιον, ἤτοι τὴν μετάνοιαν, καταντῶσα. » *Cod. cit.*, fol. 242 *b*.

Commune est pœnitentiæ seu Euchelæi sacramentum, quo indigent omnes adulti, si solam excipias beatissimam Deiparam, quæ nullum unquam commisit peccatum. *Communia* etiam vocari possunt quatuor prima sacramenta, videlicet tria communissima una cum pœnitentia. *Particularia* sunt alia tria, scilicet honorabile connubium, sanctus Habitus et sacerdotium. Et sacerdotium quidem coexistere potest in eodem subjecto cum conjugio; item sacerdotium cum sancto Habitu; nullo autem pacto sanctus Habitus cum Matrimonio [1];

2° *Ex ordine susceptionis*, tria prima ante alia necessario suscipienda sunt, et quidem hoc ordine : Baptismus, sacrum Unguentum, Communio; post quæ, septimum, Euchelæum scilicet seu Pœnitentia, solum venire potest; sed sequi etiam statim potest : *a*) sive Matrimonium, et post hoc, etiam sacerdotium; *b*) sive Sacerdotium, et post hoc, etiam sanctus Habitus, sed nullo pacto Matrimonium; 3° sive sanctus Habitus, et post hoc, etiam sacerdotium, sed nullo pacto matrimonium; 4° sive Matrimonium, et post hoc, etiam sanctus Habitus, post mortem scilicet conjugis, vel ex mutuo consensu facta separatione [2];

3° *Ex ordine ad invicem*, sacramenta dividuntur in duas triades inter se a sacerdotio in medio exstante conjunctas. Prima trias complectitur Baptismum, Chrisma, Eucharistiam; secunda constat Matrimonio, sancto Habitu et Euchelæo seu Pœnitentia : quod mox explicatum est;

4° *Ex gradu cooperationis in subjecto requisitæ ad consequendum finem sacramentorum :* Quædam sacramenta, prima trias scilicet, sunt merum Dei donum et gratia; ad quæ suscipienda ex parte nostra sufficit bona voluntas ea recipiendi; alia vero, præter hanc voluntatem, exigunt nostram cooperationem, ut suum sortiantur finem. Ita, matrimonium exigit commistionem sexuum, ut proles nascatur ; Habitus sanctus, post sacram cæremoniam, virtutum varia certamina et exercitia requirit, ut monachus vitæ futuræ primitias hic jam consequi valeat; Oleum Sanctum vero,

1. *Cod. cit.*, fol. 239-240.

2. *Ibid.*, fol. 240*b*-242*a*. Hæc omnia dicuntur secundum disciplinam Ecclesiæ orientalis.

ut divinam ei, qui ungitur, conferat gratiam, ab eo postulat veram cordis compunctionem peccatorumque detestationem cum sincera eorum confessione conjunctam. Sacerdotium item, præter episcopi χειροτονίαν, præparatione indiget et prævia purificatione [1];

5° *Ex parte propriæ electionis*, sacramenta dividuntur in ea quæ cognitione carentibus conferri possunt, et ea quæ postulant in suscipiente liberum propositum sincerumque desiderium. Prima sunt ipsa initiationis christianæ sacramenta; seu prima trias; quatuor alia ad alteram classem pertinent [2];

6° *Ex relatione ad naturam*, dividuntur *in sacramenta supra naturam*, *sacramenta secundum naturam*, et *sacramenta in natura*, τὰ ὑπὲρ φύσιν, τὰ κατὰ φύσιν, τὰ ἐν φύσει. Sacramenta supra naturam sunt : baptismus, sacrum Unguentum, Communio, sacerdotium; quorum scilicet effectus est omnino supernaturalis, et sola fide percipi potest. Matrimonium vero ex parte quidem est supernaturale propter cælestem gratiam et virtutem conjugibus obvenientem; ex parte autem est *secundum naturam*, propter filiorum procreationem. Duo vero alia sacramenta, sanctus Habitus scilicet et Euchelæum seu Pænitentia, dicuntur esse *in natura*, « quia qui de peccato commisso non dolet, neque per sinceram pænitentiam erigitur ac emendatur, hunc extra naturam esse judicamus et jure declaramus [3]; »

7° *Ex parte iterationis*, sacramenta dividuntur in *iterabilia* et *non iterabilia*. Unum sacramentum tantum novit Jobus *non iterabile*, scilicet Baptismum; revera tamen de sacerdotio idem sentit, cum doceat unum et eumdem gradum sacramenti Ordinis, v. g., diaconatum vel presbyteratum, non posse eidem pluries conferri; quod et de singulis gradibus sancti Habitus affirmare videtur. Ad Confirmationem autem quod attinet, asserit hoc sacramentum iterari

1. *Cod. cit.*, fol. 243-244 *a*.

2. *Ibid.*, fol. 244 *b*-245 *a*.

3. *Ibid.*, fol. 245-246 *a* : « Τὸν μετά τι πτῶμα ἢ ὅλως ἁμάρτημα μὴ μεταμελόμενον, μηδὲ διὰ μετανοίας ἀψευδοῦς ἐπανορθούμενον, παρὰ φύσιν τοῦτον κρίνομεν εἶναι, καὶ δικαίως ἀποφαινόμεθα. « Hæc ratio petitur ex principio : *Peccatum est quid contra naturam;* unde peccato desistere est *secundum naturam.*

tum iis qui fidem abnegarunt, quando ad Ecclesiam revertuntur; tum imperatoribus, in ritu coronationis; *tum etiam apud quosdam iis qui episcopali dignitate insigniuntur* [1].

8° *Ex sexu suscipientium :* Sex sacramenta quum viris tum mulieribus conferri possunt. Unum sacerdotium viris reservatur, quamvis pars quædam sacerdotii, gradus scilicet subdiaconorum et diaconorum, sacris virginibus olim concessa fuerit usque ad septimam synodum œcumenicam, quæ hoc institutum merito suppressit, ne Ecclesiæ, Christi sponsæ immaculatæ, a quibusdam crimen inferretur [2].

9° *Ex tempore quo sacramenta conferri possunt*, dividuntur in sacramenta quæ omni tempore et suscipientium ætate administrari possunt, et in sacramenta, quorum susceptio a diversis circumstantiis temporis, ætatis, conditionis, etc., pendet. Ad primam classem pertinent *tria sacramenta communissima;* ad alteram quatuor alia. Pœnitentiæ quidem, sicut et Baptismo, omne tempus omnisque locus videtur convenire; oportet tamen optimam eligere occasionem horamque opportuniorem tum pro pœnitente, tum pro Patre spirituali. Atqui, secundum David, confessioni peccatorum magis congruit matutinum [3].

10° Tandem sacramenta dividi possunt *ex proportione quam habent ad invicem* necnon *ex similitudine finis singulorum.* Ita, primum et ultimum sacramentum, Baptismus scilicet et Euchelæum, inter se conveniunt, eumdemque finem habent, remissionem nempe præcedentium malorum delictorumque perfectam deletionem. Sacrum Unguentum item et Communio consonant, et scopum habent eumdem, qui est nos cum Deo intime conjungere et unire. Quintum et sextum sacramentum, Matrimonium scilicet et sanctus Habitus, etsi videntur sibi invicem contraria quantum ad

1. *Cod. cit.*, fol. 245 *b*-247. Cum in ritu byzantino, episcopatus conferatur absque unctione chrismatis, Jobus alludere videtur sive ad ordinationes Latinorum, sive ad ordinationes Armenorum. Vide quæ dicuntur infra, p. 410.

2. *Ibid.*, fol. 247. Alludit ad diaconissas.

3. *Ibid.*, fol. 247-248.

tempus, modum et subjectum, attamen sub aliquo respectu quandam similitudinem et proportionem ad invicem retinent, quatenus utrumque ad eumdem finem respicit : ad securam nempe suscipientium tranquillitatem et salutem [1].

Alii theologi unam tantum alteramve divisionem proferunt. Gabriel Philadelphiensis sacramenta dividit in *necessaria* et *utilia*, τὰ ἀναγκαῖα, τὰ χρήσιμα.. *Utilia* dicuntur sacrum Unguentum, Euchelæum et Matrimonium. Notat tamen Gabriel matrimonium esse necessarium sub aliquo respectu, nempe ad generis conservationem. Solum Baptismum habet ut simpliciter et absolute necessarium [2].

Sylvester Lebedinskii non solum dividit sacramenta in *primaria* et *secundaria* — quod et faciunt communiter theologi russi sæculi XVIII — sed etiam *in sacramenta omnibus necessaria*, et *in sacramenta liberae electionis*. Prima sunt : Baptismus, Eucharistia, Chrisma et Pænitentia; alia sunt : Ordo, Matrimonium et Extrema Unctio [3]. Docet præterea baptismum, Confirmationem et Ordinem iterari non posse [4]. Hanc ultimam sententiam propugnant multi theologi, ut Antonius Amphiteatrov [5], Mesoloras [6], Andrutsus [7], Dyovuniotis [8]. Cæterum, de hac quæstione rursus sermo erit infra, ubi de charactere.

Metrophanes Critopulus ut necessaria habet tria tantum sacramenta : Baptismum scilicet, Eucharistiam et Pænitentiam [9], dum polemistæ russi contra rascolnikos propugnant absolutam necessitatem Baptismi, Confirmationis et Eucharistiæ [10]. Dyovuniotae vero non placet distinctio in

1. *Cod. cit.*, fol. 249.
2. *Op. cit.*, p. 33.
3. *Op. cit.*, p. 474.
4. *Ibid.*, p. 475.
5. *Theologia dogmatica (versio græca Valliani)*, Athenis, 1858, § 281, p. 331.
6. Συμβολική, Athenis, 1904, t. II², p. 154.
7. Δογματική, Athenis, 1907, p. 313-314.
8. *Op. cit.*, p. 23-30.
9. *Confessio fidei*, c. v. Kimmel, t. II, p. 90-93.
10. Cf. Plotnikov, *Enchiridion confutationis russici schismatis* (russice), 4ª ed., Petropoli, 1897, p. 237-239.

sacramenta necessaria seu obligatoria, ὑποχρεωτικά, et in *sacramenta liberæ electionis*, προαιρετικά. Secundum hunc theologum, omnia sacramenta sub aliquo respectu dicenda sunt obligatoria et necessaria [1].

V. — De sacramentorum convenientia.

De sacramentorum convenientia Græco-Russi ea communiter referunt argumenta, apud nostros Scholasticos jam dudum trita, quæ tum ex hominis natura composita, tum ex collatione vitæ supernaturalis cum vita naturali desumuntur. Quidam alias rationes promunt. Ita Plato Levkhin, qui dicit sacramenta esse media quibus nostram profitemur fidem coram omnibus hominibus, de Dei promissis certiores reddimur, inter nos intimius conjungimur; quibus etiam Ecclesia ab omni alia societate religiosa secernitur [2].

De convenientia septenarii sacramentalis multa habet Gabriel Severus, ex quibus quædam sunt magis ingeniosa quam in re fundata. Septem sunt sacramenta, ait ille :

1° *Quia septem sunt virtutes*, tres nempe theologicæ, et quatuor morales : Fidei respondet baptismus, spei pænitentia, Eucharistiæ charitas, sacerdotio prudentia, justitiæ Confirmatio, temperantiæ matrimonium, Euchelæo fortitudo;

2° *Quia septem sunt dona Spiritus Sancti* [3], *totidem vitiis capitalibus seu mortalibus opposita.* Timor, qui superbiæ adversatur, baptismo respondet. Pietas, invidiæ opposita, Confirmationi congruit. Sapientia est contra iram et ad Eucharistiam; fortitudo contra acediam et ad sacerdotium; consilium contra avaritiam et ad pænitentiam; intellectus contra gulam et ad matrimonium; scientia contra luxuriam et ad Euchelæum;

3° *Quia septem sunt columnæ*, supra quas Sapientia, quæ Christus est, suam ædificavit Ecclesiam;

4° *Quia septem sunt tubæ*, quarum sonitu muri Jericho

1. *Op. cit.*, p. 23-24, nota 3.
2. *Op. cit.*, I p., § 30, p. 137.
3. Hanc rationem jam profert Simeon Thessalonicensis, *op. cit.*, col. 177; quam repetunt Jeremias II, *I Responsum ad Lutheranos*, c. VII, et *Confessio orth.*, I p., q. XCIX.

eversi sunt : per septem sacramenta, Novæ Legis sacerdotes septem cornua bestiæ, id est septem virtutes mortalium vitiorum, confringunt salvantque Rahab meretricem ejusque cognatos, id est animam ejusque facultates una cum corpore et sensibus.

5° *Quia septem sunt lampades, quas vidit Zacharias propheta super candelabrum positas* (Zach., IV) : candelabrum Ecclesiam, septem lampades septem sacramenta, duæ olivæ hinc inde positæ hilaritatem et longanimitatem Ecclesiæ significant;

6° *Quia septem sunt stellæ, quas vidit Joannes in dextera Filii hominis* (*Apoc.*, I) : quarum mystica significatio, ad sacramenta quod attinet, fuse evolvitur;

7° *Quia septem fuerunt in Jordane Naaman Syri lavationes*, septem sacramenta præfigurantes (IV *Reg.*, c. V). Quemadmodum enim per has septem lavationes, Naaman caro sicut caro pueri parvuli restituta est, ita et nos per septem Ecclesiæ sacramenta ad statum unde excidimus revertimur, et omnino purificamur, pulchritudinem a Deo datam, sanitatem continuam, castimoniam, fortitudinem, puram conscientiam, libertatem, pietatem, charitatis in Deum fervorem recuperantes;

8° *Quia septem sunt species operariorum in vinea Domini laborantium*, ingredientium videlicet, militantium, pondus diei portantium, stantium, proficiscentium, ministrantium, et vineam augere volentium : ingredientibus datur baptismus, militantibus Confirmatio, operæ insudantibus Eucharistia, otiose stantibus pœnitentia, proficiscentibus Euchelæum, ministrantibus Ordo, vineam augere volentibus matrimonium [1].

9° *Quia septem sunt charismata et dona, quæ post ex hac vita discessum recepturi sumus;* quorum tres animæ erunt ; corporis quatuor, scilicet : rationabilis animæ partis perfecta cognitio ac scientia; irascibilis tranquillitas, quies paxque perpetua; concupiscibilis perfecta satietas; corporis immortalitas, agilitas, subtilitas et claritas gloriosa [2].

1. Hanc rationem fusiori calamo item explicat Gabriel.
2. *Op. cit.*, c. V, p. 19-33.

ARTICULUS III

De constitutione signi sensibilis seu de materia et forma sacramentorum.

Duplex elementum in signo sensibili sacramentorum communiter distinguunt Græco-Russi : *rem* scilicet *materialem* adhibitam vel *actionem externam* seu *gestum* a sacerdote factum, et *orationem* seu *epiclesim* super hanc materiam recitatam, vel hanc actionem huncve gestum comitantem; diversis vero terminis, temporum decursu, usi sunt ad designandum hoc duplex elementum.

Per totam epocham byzantinam, terminos scholasticos : *materia* et *forma* (ὕλη, μορφὴ seu εἶδος), omnes fere ignorarunt[1]. Hujusmodi termini non occurrunt neque apud Jobum, neque apud Nicolaum Cabasilam, neque apud Manuelem Calecam[2], neque apud Simeonem Thessalonicensem. Casu quidem apud eos et apud alios vocem ὕλη invenies; sed hujusmodi ὕλη *philosophice* non opponitur alicui formæ; plerumque enim significat rem materialem, puta aquam, oleum, etc., in quibusdam sacramentis adhibitam; quandoque etiam ponitur pro toto signo sensibili, Hoc ultimo sensu vox ὕλη legitur apud Jobum monachum, qui tamen sæpius utitur voce ὁ τρόπος. Distinguit siquidem hic theologus in unoquoque sacramento sex circumstantias seu potius *circumstantia*, ἓξ περιστατικά, scilicet 1° *personam ministri*, τὸ πρόσωπον τὸ ποιοῦν, et *personam suscipientis*, τὸ πρόσωπον τὸ δεχόμενον; 2° *effectum* seu *rem a suscipiente receptam*, τὸ προαχθὲν ἤτοι τὸ πρᾶγμα, ὃ ὁ δεχόμενος δέχεται; 3° *tempus quo recipit;* 4° *modum per quem recipit, seu materiam*, καὶ τρόπον δι' οὗ δέχεται ἤτοι τὴν ὕλην; 5° causam

1. Synodus Cypria sub Germano voces ὕλην καὶ εἶδος jam usurpat : « Ἕκαστον δὲ τῶν μυστηρίων τεθεσμόθηται μὲν παρὰ τῆς Γραφῆς, ὡρισμένην δὲ ὕλην καὶ ὡρισμένον εἶδος ἔχει, ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ ποιητικὸν ἢ μᾶλλον ὀργανικὸν αἴτιον ὡρισμένον. » *Loc. cit.*, fol. 250.

2. Saltem in opere cui titulus : *De principiis fidei catholicæ*, P. G., t. CLII; potuit enim Calecas, qui fuit catholicus et in theologia latina bene versatus, terminos scholasticos adhibere in suis operibus nondum editis.

propter quam recipit; 6° *locum in quo recipit.* Quid autem sit *modus* seu *materia* per quam effectus sacramentorum transit, exemplis illustrat Jobus : Ὁ τρόπος baptismi est *aqua, et Spiritus, et trina immersio cum mysticis sacerdotis verbis*, τρόπος δι' ὕδατος καὶ Πνεύματος καὶ τριττῆς καταδύσεως σὺν μυστικαῖς ἱερέως φωναῖς. Ὁ τρόπος sive ἡ ὕλη sacri Unguenti est « multiformis unguenti unctio » et in certis membris, et cum alia verborum formula, μύρου πολυειδοῦς ἐπίχρισις, καὶ ἔν τισι μέλεσι, καὶ μὴ κατὰ παντὸς τοῦ σώματος, ὡς τὸ βάπτισμα, καὶ ἄλλῃ μυστικῇ φωνῇ. Modus sacerdotii est « gratia Spiritus cum verbis manum imponentis et vestimentis sacris, ἡ τοῦ Πνεύματος χάρις σὺν τῇ φωνῇ τοῦ χειροτονοῦντος καὶ τοῖς ἱεροῖς ἀμφίοις. » Modus matrimonii est « nuptialis benedictionis oratio cum coronis et osculo et communi poculo et aliis, ἡ τῆς γαμικῆς ἱερολογίας εὐχὴ σὺν τοῖς στεφάνοις, καὶ τῷ φιλήματι, καὶ τῷ κοινῷ ποτηρίῳ καὶ τοῖς λοιποῖς [1]. » Modus sancti Habitus est « oratio et tonsura et crux et ipsius habitus diversæ partes, et quæcumque fieri solent. » Modus Euchelæi « fit per unctionem olei sanctificati, per orationem et benedictionem [2]. » Ex his patet τὸν τρόπον de quo Jobus loquitur, materiæ simul et formæ Scholasticorum fere respondere.

Inde a sæculo XVI usque ad primum dimidium sæculi XIX, tum Græci tum Russi terminis scholasticis *materia* et *forma* uti consueverunt. Sic Jeremias II in *Responsis ad lutheranos* [3]; Gabriel Severus in suo *Enchiridio de septem sacramentis*, passim; Petrus Moghila tum in *Trebniko* seu *Euchologio* [4], tum in *Confessione orthodoxa*, ubi hæc leguntur : « Ad sacramentum tria requiruntur : 1° Materia idonea, ὕλη ἁρμόδιος, ut aqua in baptismo, panis et vinum in Eucharistia, oleum et reliqua juxta cujusque sacramenti ritum; 2° sacerdos rite ordinatus, aut episcopus; 3° Invocatio Sancti

1. Alludit ad diversos ritus in cæremonia coronationis seu τοῦ στεφανώματος apud Græcos usitatos.

2. *Loc. cit.*, fol. 249*b*-252.

3. « Ἕκαστον τῶν μυστηρίων τούτων ὡρισμένην ὕλην καὶ εἶδος ἔχει. » I *Resp.*, c. VII. Hæc verba a synodo Cypria mutuatus est Jeremias.

4. *Trebniko* suo, Kioviæ, 1646, Petrus Moghila tum introductionem generalem ad septem sacramenta, tum introductiones speciales ad unumquodque eorum inseruit. Vocem *forma* reddit per voces slavicas *obraz ili soverchenie*, id est : *forma* seu *complementum.*

Spiritus et forma verborum, quibus sacerdos sanctificat sacramentum virtute Spiritus Sancti, accedente ipsius determinata intentione illud sanctificandi, ἡ ἐπίκλησις τοῦ ἁγίου Πνεύματος καὶ τὸ εἶδος τῶν λογίων, μετὰ ὁποῖα ὁ ἱερεὺς ἁγιάζει τὸ μυστήριον [1]. »

Cæterum, in determinanda materia et forma singulorum sacramentorum theologi dissidentes quandoque erraverunt, ut infra videbimus. Theophilus Papaphilus non invenit materiam, ὕλην, in tribus sacramentis : pœnitentia scilicet, sacerdotio et matrimonio [2]. Sylvester Lebedinskii, e contra, optime notat in quibusdam sacramentis « res sensibiles (seu materias) et verba non semper proprie et stricte sumenda esse, sed aliquando etiam *analogice* et *minus proprie*, pro eo quod verbis et rebus respondere potest. Ita in matrimonio, nutus etiam possunt esse loco verborum, quia muti etiam nutibus non invalide contrahere possunt matrimonium. In sacramento quoque pœnitentiæ, actus externi pœnitentis locum tenent rei sensibilis seu materiæ [3]. »

A secundo jam dimidio sæculi XIX, theologi russi terminis scholasticis valedicere inceperunt, materiamque et formam sacramentorum appellatione *partis visibilis* sacramenti (*vidimaia storona*) designare consueverunt [4]; et quidam sane hoc fecerunt, quin modum loquendi Scholæ improbarent; alii vero non ita. Philaretus Gumilevskii, v. g., declarat voces scholasticas esse minus proprias, et accuratæ expositioni doctrinæ potius officere; quod ut statuat, hæc verba Maldonati laudat, quæ communi nostrorum theologorum loquendi modo adversantur : « In rebus, id quod videtur est *materia*, significatio vero, *forma*. In verbis

1. I p., q. c. Kimmel, p. 171.

2. « Δὲν ἔχουν ὕλην. » Ταμεῖον ὀρθοδοξίας, ed. Ath., 1908, p. 19. Patet Theophilum vocem ὕλη usurpare non in sensu philosophico, sed in sensu omnino vulgari et materiali.

3. *Op. cit.*, p. 458.

4. Ita, v. g., Philaretus Gumilevskii, Macarius, Malinovskii. Antonius Amphiteatrov specialem habet loquendi modum : *Materiam* appellat id quod nos vocamus *materiam remotam*, v.g., aquam in baptismo; materiam vero proximam nuncupat *externam actionem* (ἐξωτερικὴν πρᾶξιν), v. g., trinam immersionem in baptismo. Loco *formæ*, simpliciter ponit *verba*. Cf. *op. cit.*, § 284, p. 332-333.

id quod auditur, materia; significatio, forma. Ergo in toto sacramento, id quod videtur et auditur simul, res et verba, *materia;* significatio, quæ neque videtur, neque auditur, *forma* [1]. »

Quibusdam item Græcis recentioribus materia et forma Scholasticorum non amplius placent. Andrutsus, post Veterem-Catholicum Friedrich, pronuntiat hos terminos esse superfluos omnique fundamento carere :

« Superflui sunt, quia eorum defectus nullo pacto obscurat verum conceptum essentiæ et operationis sacramentorum, ut patet ex traditione antiquæ et indivisæ Ecclesiæ, in qua ignoti erant. Fundamento carent, quia terminus *materia* ansam præbet inutilibus quæstionibus theologiæ scholasticæ, quæ baptismum tanquam typum cæterorum sacramentorum sumens, ad hoc devenit, ut materiam et formam sacramentorum præcise determinare voluerit. Atqui pænitentia, matrimonium et sacerdotium materia omnino carent. *Forma* vero (ἡ μορφὴ ἢ εἶδος) aristotelica opinamenta revocat circa inanimæ materiæ formationem per speciem seu formam, quæ vitam ei et figuram tribuat; sub hoc autem respectu, supernaturali sacramentorum effectui cedit, gratiæ scilicet Spiritus Sancti, quæ secundum divinam promissionem confertur [2]. »

Andrutso omnino assentit Dyovuniotis, qui insuper affirmare non dubitat præfatos terminos Ecclesiæ orientali esse ignotos [3]. Loco autem materiæ et formæ, vagam denominationem *signa sensibilia*, τὰ αἰσθητὰ σημεῖα, hic eligit, dum Andrutsus signum sacramentale *partem externam sive visibilem sive etiam naturalem*, τὸ ἐξωτερικὸν ἢ ὁρατὸν ἢ φυσικὸν μέρος, appellare mavult. Alii theologi, ut Mesoloras [4], antiquum loquendi usum in *Confessione orthodoxa* ratum adhuc retinent.

1. *Dogmatica* (russice), t. II, p. 128, n. 3.

2. Δογματική, p. 297 : « Ἀποφεύγοντες τοὺς σχολαστικοὺς ὅρους ὕλη, εἶδος ἢ μορφή, τοὺς καὶ ἐν ταῖς παρ'ἡμῖν Δογματικαῖς καὶ ἐν ταῖς κατηχήσεσιν ἀνεξαιρέτως φερομένους, ὡς περισσοὺς καὶ πάντη ἀσυστάτους. »

3. « Εἶνε ἄγνωστοι τῇ ἀνατολικῇ Ἐκκλησίᾳ. » *Op. cit.*, p. 15. Concedit tamen in quadam nota : παρά τισι τῶν ἡμετέρων ἐγένοντο δεκταί.

4. *Op. cit.*, t. II², p. 157, 164.

ARTICULUS IV

De auctore sacramentorum.

Dominum nostrum Jesum Christum esse omnium sacramentorum Novæ Legis auctorem uno ore docent Græco-Russi, si eos forsitan excipias qui septenarium sacramentale impugnant. Necessitatem autem divinæ institutionis obvia ac trita ratione adstruunt : Deus solus gratiam alicui signo sensibili adnectere potest. Communiter item sacræ Scripturæ testimoniis apud nostros vulgatis Christum singula sacramenta instituisse demonstrant. De Euchelæo Gabriel Severus dicit quidem Christum hoc sacramentum *instituisse* (ἐνομοθέτησε) per Jacobum, fratrem Domini [1]; verum de promulgatione potius quam de vera institutione illum loqui intendisse omnino probabile est. Juxta Malinovskii [2], divina institutio sacramentis adeo essentialis est, ut distinctio a quibusdam introducta inter sacramenta a Christo et sacramenta ab apostolis instituta omnino rejicienda sit. Dyovuniotis item falsam et nullo fundamento innixam habet eorum opinionem, qui originem quorumdam sacramentorum non a Christo, sed ab Ecclesia ipsa repetunt [3].

Pauci quæstionem tangunt a nostris theologis agitatam : utrum scilicet Christus *in genere* tantum, et non *in specie*, quædam sacramenta instituerit. Responsio affirmativa Dyovuniotæ non displicet [4]; ei aperte suffragatur Andrutsus [5]. Plerique de hac re silent.

1. *Op. cit.*, c. VIII, p. 39.
2. *Op. cit.*, p. 315.
3. *Op. cit.*, p. 11.
4. *Ibid.* Nota tamen theologum græcum confundere institutionem *immediatam* cum institutione *specifica*, et institutionem *mediatam* cum institutione *generica*. Porro institutio generica remanet sub aliquo respectu (id est, quantum ad rationem fundamentalem sacramenti), etiam *immediata*. Cæterum, differentia est potius de verbo.
5. *Op. cit.*, p. 296-297. Andrutsus in eamdem incidit confusionem quam apud Dyovuniotam notavimus.

Præcedenti quæstioni affinis est illa quæ ad potestatem Ecclesiæ in sacramenta refertur. Inter recentiores neminem invenimus qui hanc ex professo tractaverit. Initio vero sæculi XIX, Sylvester Lebedinskii hanc thesim catholice sonantem in suo *Compendio* propugnabat :

« Ecclesia nihil mutare potest in substantialibus sacramentorum; gaudet tamen libertate aliquid mutandi in circumstantiis eorumdem. »

« *Probatur, quoad primam partem :* Quia Ecclesia non est domina sacramentorum ideoque essentiam sacramentorum... mutare non potest : v. g., calicem a Christo institutum non potest Cœnæ adimere. Sed utitur Christus Ecclesia 1° ut nuncia promulgatrice institutionis semel a Deo factæ; 2° ut thesauraria, quæ κειμήλιον tantum conservat et ad posteritatem transfert; 3° ut magistra œconoma efficace (sic), per quam Christus operatur (I Corinth., III, 9; IV, 1); 4° ut ordinatrice quoad externam solemnitatem et cæremonias circumstantiales.

« *Probatur quoad secundam partem :* Ecclesia habet potestatem disponendi, ut omnia decenter et secundum ordinem fiant (I Corinth. XIV, 40). Sic Ecclesia christiana in gratiam ægrotorum, quorum infirmitas immersionem baptismalem non sustinet, recte immersionem in ablutionem sive effusionem aquæ mutavit. Grassante Sabellio, qui sacrosanctam Trinitatem impugnabat, trinæ immersionis ritus singulari cura observatus fuit, licet antea unaquaque immersione sive ablutione baptismum peractum fuisse ex historia liquido constet [1]. »

Simeon Thessalonicencis non solum docet Christum septem sacramenta instituisse, verum etiam probare conatur ipsum ea omnia recepisse, non quidem propter seipsum sed propter nos. Primo quidem, Christus suscepit baptismum, qui inter dona spiritualia primum locum tenet, quando in Jordane a Joanne baptizatus est [2]. Chrisma pariter suscepit in ipso baptismate, quando Spiritus Sanctus in columbæ specie super eum descendit. Ad hoc etiam refe-

1. *Op. cit.*, p. 460-461.

2. Idem docet Damascenus in l. IV, *De fide orthodoxa*, c. IX, *P. G.*, t. XCIV, col. 1124.

runtur Scripturæ textus, ubi sermo est de unctione Christi per Spiritum Sanctum, ut Is., LXI, 1; Act., X, 38; item Col. II, 9. Tertio, sacrificium sui sanctissimi corporis et sanguinis ipse perfecit ac celebravit nobisque celebrandum reliquit, pontifex factus secundum ordinem Melchisedech in æternum. Quarto, pontifex ordinatus est, ἀρχιερεὺς κεχειροτόνηται, tum in ipso baptismate, cum Joannes in ipsum manum extendebat, tangens eum, et Spiritum ipse recipiebat, Patre dicente : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui;* tum rursus et clarius ordinationem suscepit in monte transfigurationis per Patrem in Spiritu Sancto, quando media nube, quae Spiritum Sanctum præfigurabat, eadem vox Patris audita est, cum hoc additamento haud parvam vim habente : *Ipsum audite.* Quinto, matrimonium suscepit, quatenus 1° nuptiis in Cana Galilææ benedixit; 2° ipse a virgine desponsata genitus est; 3° est Ecclesiæ sponsus sibique sponsat et unit animas justas, secundum illud : *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (II Corinth., XI, 2). Sexto, pœnitentiam suscepit, quatenus illius opera propter nos exercuit (non quod ipse pœnitentiam egerit; quippe nullum unquam commisit peccatum); et pontificibus potestatem ligandi atque solvendi peccata concessit; et formam vivendi monachorum non solum verbis suis, verum etiam proprio exemplo nos docuit. Septimo demum, Euchelæi oleo Christus unctus est, quando mulier illa in civitate peccatrix pedes ejus unguento unxit, lacrymis rigavit, et capillis tersit; quæ etiam a Christo plenam suorum delictorum veniam tunc accepit [1]. »

Hæc quidem a Simeone pie dicta non est cur improbemus, dummodo non nimis urgeantur, et in sensu ab eo intento accipiantur [2]. Etenim de vera et proprie dicta receptione sacramentorum ab ipso Christo, si Eucharistiam excipias, non potest esse quæstio.

1. *De sacramentis*, c. XLIII-LVI, *P. G.*, t. CLV, col. 185-206.

2. Arcudius, *op. cit.*, p. 10-11, sententiæ Simeonis acriorem censuram agit.

ARTICULUS V

De ratione operandi sacramentorum.

Protestantium gravis error fuit negare sacramenta esse *veras* et *directas* gratiæ *instrumentales causas*, atque ea tantum habere vel ut meros ritus externos, quibus christiani ab infidelibus distinguantur; vel ut quædam incitamenta suscipientis excitantia fidem, per quam *directe* gratia conferatur; ita ut dicenda sint gratiam producere solummodo *indirecte*, seu *ex opere operantis;* contra quos Ecclesia catholica docet sacramenta esse veras gratiæ causas instrumentales, id est, Deum per sacramenta vere nobis offerre gratiam, et per ea etiam illam nobis vere conferre, statim ut signum sensibile, quod sacramenti rationem habet, a ministro confectum fuerit; dummodo tamen suscipiens ex parte sua gratiæ non ponat obicem sitque rite dispositus. Totam hanc doctrinam hac brevi formula expressit concilium Tridentinum : « Sacramenta Novæ Legis *continent gratiam, quam significant, eamque ex opere operato conferunt non ponentibus obicem* » (sess. XII, can. 7 et 9). Quidquid Lutherani aliique Protestantes in Ecclesiam catholicam calummiose protulerint, hæc nunquam docuit sacramenta justificationem operari et gratiam conferre quasi *magice* ac *mechanice* iis qui debitis dispositionibus carent, qui fidem abnegarunt, peccatis non renuntiant et male vivunt. Si hæreticis fides adhibenda esset, is genuinus esset sensus formulæ *ex opere operato*. Nedum autem necessitatem bonarum dispositionum neget ad salutarem ac fructuosam sacramentorum receptionem, Ecclesia catholica docet malas dispositiones esse gratiæ sacramentalis obices; bonas vero non solum esse necessarias ad gratiam recipiendam, verum etiam *regulariter* aliquid conferre ad mensuram (seu quantitatem, seu intensitatem) gratiæ receptæ; ita ut is qui melius fuerit dispositus ampliorem gratiam sit recepturus : « In nobis enim, ait Tridentinum, justitiam recipimus, unusquisque suam, secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, *et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem* » (sess., VI, c. 7).

Hæc præmittenda erant, tum ut clare appareat verus de hoc capite consensus Græco-Russorum cum Ecclesia catholica, tum ut statim dissipentur falsæ interpretationes illius *ex opere operato*, quas recentiori tempore quidam dissidentes, præsertim ex Russis, suis compendiis aliisve scriptis inseruerunt, a Protestantibus illas mutuati. Jam vero utriusque Ecclesiæ consensus circa rationem operandi sacramentorum manifestus evadit ex iis quæ supra de definitione sacramentorum Novæ Legis prolata sunt. Etenim tum libri symbolici Ecclesiæ græco-russicæ, tum ejus privati doctores et theologi unanimiter contra Protestantes docent sacramenta esse signa gratiæ efficacia, gratiam continere, gratiam rite dispositis directe conferre, statim ut a ministro legitimo collata fuerint. Unde multi theologi diserte probant formulam Latinorum *ex opere operato*, illamque rite explicant. Ita Andrutsus, cujus verba referre juvat :

« Ecclesia occidentalis non ita intelligit τὸ *ex opere operato* (ἐξ ἔργου εἰργασμένου), ut bonam excludat suscipientium dispositionem, sicut constat ex authentica interpretatione, quam in concilio Tridentino dedit. Hoc sensu acceptus, terminus *ex opere operato* nihil sane habet quod minus congruat, et ab Orthodoxis sit rejiciendum. Quidam theologi orientales hunc loquendi modum perperam interpretantur [1]. »

Dyovuniotis etiam, qui primum formulam carpserat [2], eam postea laudavit : « Sacramenta operantur, ait ille, non solum *ex opere operantis*, sed etiam *ex opere operato*, ut optime accipit Ecclesia occidentalis [3]. » S. Balanus, e contra, eamdem formulam declarat esse periculosam [4], dum Mesoloras eam aperte damnat, quia illi tribuit significationem a Protestantibus adinventam [5].

1. Δογματική, p. 311-312. Cf. ejusdem *Symbolicam*, p. 256-258.

2. In opusculo : Ἡ δογματικὴ τοῦ Χ. Ἀνδρούτσου κρινομένη, Athenis, 1907, p. 51.

3. Τὰ μυστήρια, p. 35-36.

4. Κρίσις τῆς δογματικῆς τοῦ Χ. Ανδρούτσου, in commentario Νέα Σιών,, 1907, p. 698.

5. « Τὸ δόγμα τοῦτο εἶνε Ἰουδαϊκὴ δοξασία· ἤτοι τὸ πιστεύειν, ὅτι διὰ μόνης τῆς τελετῆς δικαιούμεθα, ἄνευ ἀγαθῆς διαθέσεως τῆς καρδίας, ἄνευ πίστεως. » *Op. cit.*, t. II², p. 176.

Reformatorum calumniam contra illud *ex opere operato* potissimum iterarunt Russi recentiores. Programmati theologiæ polemicæ adversus Confessiones occidentales caput istud insertum fuerat; unde communiter tangitur in compendiis theologiæ polemicæ. I. Perov, v. g., Ecclesiæ romanæ sequentem tribuit doctrinam :

« Sacramenta producunt suum effectum *ex opere operato*, suscipientibus conferunt gratiam per solam actionem externam. Si minister sacramenti intentionem habuerit faciendi quod facit Ecclesia verbaque debita recte protulerit, et si subjectum recipere intenderit id ad quod Ecclesia sacramentum confert, neque e parte sua ejus operationi obicem posuerit, *tunc gratia infallibiliter communicatur homini sacramentum recipienti, etiamsi ne fidem quidem habuerit...* Igitur Ecclesia romana introducit operationem gratiæ prorsus mechanicam et ab omni interna relatione cum dispositione animæ hominis independentem; admittit passivam gratiæ receptionem ex parte suscipientium sacramentum... Doctrinam de operatione mysteriorum ex opere operato ratam habendo, romana Ecclesia sibi proposuit non quidem veritatis christianæ austeram gravitatem, sed, sicut solenne illi est in cæteris suis novitatibus, scopos mere practicos, hoc scilicet exoptans, ut laici quam frequentissime sacramenta (præsertim confessionem et Eucharistiam) recipiant, etiamsi mere passive hoc fecerint : quod sane in cleri commodum cessit [1]. »

Calumnia etiam occurrit in quibusdam compendiis theologiæ dogmaticæ, v. g., in opere Malinovskii [2].

Qui tam acriter Ecclesiam catholicam reprehendunt ob formulam *ex opere operato*, quam perperam intelligunt, requirunt utique rectas dispositiones in suscipientibus sacramenta; verum in hac ipsa re illos non raro deficientes deprehendimus. Sæpe enim inter debitas dispositiones tantummodo requirunt fidem, vel una cum fide sincerum desiderium sacramenta recipiendi [3], quod sane non satis est ad

1. *Enchiridion theologiæ polemicæ* (russice), 6ª ed., Tulæ, 1905, p. 73-74.

2. *Op. cit.*, t. II, p. 325. Cf. etiam Iastrebov, *De sacramentis*, in *Trudy, Academiæ Kioviensis*, 1907, t. II, p. 485-486.

3. Cf., v. g., Malinovskii, *op. cit.*, p. 325.

receptionem illorum sacramentorum quæ nostri theologi vocant *sacramenta vivorum* [1]. De fide potissimum loquuntur theologi russi protestantizantes sæculi XVIII. Unus audiatur Sylvester Lebedinskii, qui relationem inter operationem sacramentorum et fidem subjecti illa recipientis ita definit :

« Fide justificamur ut *instrumento receptivo*, sacramentis autem ut *instrumentis offerentibus gratiam*. Fides est quasi manus nostra, qua beneficia evangelica accipimus; verbum autem et sacramenta sunt quasi manus Dei, quibus offeruntur et applicantur nobis beneficia illa [2]. »

Gratiæ mensuram in sacramentis regulariter conferri pro portione bonarum dispositionum cooperationisque suscipientium aperte docet Michael Glykas in *capite* LXII *De difficultatibus sacræ Scripturæ :*

« Secundum dilectionem, inquit, et fidem, quam ad Dominum habemus, ab eo dona recipimus... Remissio peccatorum datur secundum uniuscujusque bonam voluntatem et fidem; quod liquido apparet ex iis, quæ Dominus dixit : « *Confide, filia; fides tua te salvam fecit; vade in pace* (Marc. v, 34). Hoc idem existimare debes et de immaculatis Christi mysteriis [de Eucharistia scilicet] et de omnibus aliis, quæ a Salvatore nostro Jesu Christo ad sanctificationem nobis data sunt [3]. »

De natura causalitatis sacramentalis, utrum videlicet sit physica, vel moralis tantum, vel intentionalis, vix aliquid habent moderni compendiorum auctores. *Confessio orthodoxa* et Gabriel Severus, in definitione sacramenti supra tradita [4], causalitati physicæ aperte favent. Item Sylvester Lebedinskii sententiæ Thomistarum accedit, ubi hæc scribit :

« Res externæ *per se* et *vi sua naturali* internum hominem nulla in re juvare possunt, sed *vi supernaturali*, quam habent ex dispositione Dei, institutione Christi et operatione Spi-

1. Hanc divisionem in *sacramenta vivorum* et *sacramenta mortuorum expressis verbis* non invenimus apud theologos dissidentes. Multi tamen æquivalenter docent id quod præfata divisione innuitur.

2. *Op. cit.*, p. 463.

3. Εἰς τὰς ἀπορίας τῆς θείας Γραφῆς κεφάλαια, ed. S. Eustratiadis, t. II, p. 156-157.

4. Cf. supra, p. 13.

ritus Sancti, hoc valent... In sacramentis, Deus *ut causa principalis* abluit; sanguis Christi *ut meritoria;* sacramenta expiant peccata *organice;* Deus confert gratiam *principaliter;* sacramenta, sumpta pro symbolis externis, conferunt gratiam *instrumentaliter* [1]. »

Ad controversiam de hac quæstione inter Thomistas et Scotistas vigentem alludunt Audrutsus [2] et Dyovuniotis [3]. Andrutsus illam habet ut *dogmatice superfluam et omni momento carentem.*

ARTICULUS VI

De effectibus sacramentorum ac praesertim de charactere indelebili.

Secundum communem doctrinam theologiæ catholicæ, tres sunt sacramentorum effectus, scilicet gratia *habitualis* seu sanctificans, gratia *sacramentalis* et *character indelebilis.* Gratia habitualis est effectus omnibus sacramentis communis; quam vel nondum habitam conferunt, vel amissam restituunt, vel jam habitam augent. *Per se* baptismus gratiam nondum habitam primum confert; paenitentia amissam restituit; quinque alia sacramenta jam possessam adaugent. De natura gratiæ sacramentalis non plene consentiunt inter se theologi catholici. Non pauci docent gratiam sacramentalem *proprie dictam,* quatenus a gratia habituali communi distinguitur, nihil aliud esse quam *jus ad gratias actuales tempore opportuno a Deo conferendas.* Communius alii per gratiam sacramentalem intelligunt ipsam gratiam habitualem speciali indole seu vigore indutam secundum uniuscujusque sacramenti propriam rationem propriumque scopum; quæ etiam jus fundet ad gratias actuales opportunas. Tertius effectus non est omnibus sacramentis communis sed tribus tantum proprius, baptismo videlicet, Confir-

1. *Op. cit.*, p. 463-464.
2. Συμβολική, p. 255-256. Δογματική, p. 298-299 : « Καθ'ἡμᾶς, τὸ ζήτημα τοῦτο δογματικῶς εἶνε σχολαῖον καὶ ἄνευ τινὸς σημασίας. »
3. *Op. cit.*, p. 17-18, in nota.

mationi et Ordini, et vocatur *character indelebilis*, qui communiter definitur : « Signaculum quoddam spirituale et indelebile in anima impressum, quo homines apti efficiuntur ad aliquid sacri suscipiendum vel agendum. » De natura hujusmodi signaculi disputant quidem inter se theologi catholici; ejus vero existentia extra omnem controversiam posita est a concilio Tridentino, cujus definitio est hæc : « Si quis dixerit in tribus sacramentis, baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit » (sess., VII, can. 9).

Jam vero hujusmodi claras distinctiones apud Græco-Russos ægre et raro invenies. Docent quidem isti sacramenta gratiam conferre; sed *gratiæ* nomine non necessario intelligunt gratiam habitualem, sed quandoque gratiam actualem; quandoque etiam potestatem aliquid sacri operandi : quod nos tribuimus characteri. Antiqui theologi byzantini de charactere vix aliquid habent. Multi recentiores, inde a sæculo XVIII, de eo omnino silent; alii illum diserte negant vel pro quocumque sacramento, vel pro uno alterove ex tribus supra dictis. Sæculis vero XVI et XVII, Græci et Kiovienses doctrinam catholicam de charactere indelebili pro tribus sacramentis communiter amplexi sunt; quorum sententiam multi adhuc retinent.

I. — De gratia sacramentali.

Existentiam alicujus gratiæ sacramentalis, id est alicujus effectus supernaturalis cuique sacramento proprii et ab effectu alius sacramenti distincti, communiter docent Græco-Russi, et hac ratione probant : « Si eadem gratiæ dona a singulis sacramentis conferrentur, septem sacramenta necessaria non essent, et unum tantum ad vitam spiritualem hominis sufficeret [1]. » In determinanda autem hac gratia sacramentali, perfectus consensus inter eos desideratur. Jobus monachus loquitur de *renovatione* baptismi, de *sigillo* sacri Ungenti, de *illuminatione* Eucharistiæ, de *fortitudine* sacerdotii, de *gratia* et *virtute* matrimonii, quæ decus et

1. Cf. v. g., Malinovskii, *op. cit.*, p. 317.

integritatem.ei conferunt, de *instauratione* vitæ spiritualis per sanctum Habitum et per pænitentiam seu Euchelæum [1]. Sylvester Lebedinskii gratiam cujusque sacramenti minus feliciter statuit :

« Nomine visibilis gratiæ, inquit, intelligitur gratiæ evangelicæ collatio et obsignatio... Ita, per baptismum regeneramur, per Eucharistiam accipimus remissionem peccatorum; per unguentum Chrismatis confirmamur in fœdere pacis, in pacto gratiæ, in possessione fidei, et in promissione, in obedientia. Per Ordinem seu sacerdotium, homines ad pænitentiam et fidem in Christum perducuntur et cum Deo reconciliantur. Per matrimonium, genus humanum secundum ordinem a Deo præscriptum propagatur, in sanctitate et castitate conservatur; simul etiam conjunctio illa matrimonialis imago est arctissimæ sanctissimæque unionis, qua Deus cum hominibus uniri cupit [2]. »

Philaretus Drozdov in *Catechismo majore* hæc habet :

« In baptismo, homo mystice nascitur vitæ spirituali. In Confirmatione, accipit gratiam spiritualiter regenerantem et confortantem. In Communione, spiritualiter nutritur. In pænitentia, a morbis spiritualibus, id est a peccatis, curatur et sanatur. In sacerdotio, accipit gratiam spiritualiter regenerandi et educandi alios per doctrinam et sacramenta. In matrimonio, accipit gratiam sanctificantem conjugalem unionem et naturalem generationem educationemque prolis. In Euchelæo, curatur etiam a morbis corporalibus per sanationem a spiritualibus [3]. »

Andrutsus gratiam sacramentalem dividit in gratiam per quam justificamur (Baptismus, Confirmatio); in gratiam per quam nutrimur et vivificamur (Eucharistia); in gratiam per quam recuperamus justificationem et quoad utrumque [corpus et animam] sanitatem (Pænitentia, Euchelæum); et in gratiam per quam aptamur ad officia proprii ordinis seu conditionis (Sacerdotium, matrimonium) [4].

1. *Cod. cit.*, fol. 245-246.
2. *Op. cit.*, p. 454-455. Memento Sylvestrum esse sub influxu scholasticæ protestanticæ.
3. I p., *ad art.*, x Symboli.
4. Δογματική, p. 298.

II. — De charactere indelebili.

Quanquam sanctus Joannes Damascenus, in suo opere *De fide orthodoxa*, de charactere sacramentali omnino silet, et in aliis scriptis suis ad eum vix alludit [1], attamen Patres græci sæculi IV existentiam alicujus sigilli spiritualis (σφραγίς) a tribus sacramentis, baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine, impressi sat aperte affirmarunt [2]. Cyrillus Hierosolymitanus de charactere baptismi vel Confirmationis (vel utriusque simul) loquens, hunc indelebilem in æternum esse declarat [3], et ita a gratia justificationis, quæ amitti potest, illum sufficienter secernit. Sanctus Basilius item asserit characterem baptismi esse infrangibilem [4]. Porro mirum est, post sæculum IV, doctrinam de charactere sacramentali in Oriente nil aut parum profecisse, immo vero, decurrente tempore, plus minusve oblivioni traditam fuisse. Byzantini characterem raro memorant, neque eum a gratia perspicue distinguunt. Ita Jobus monachus, qui characterem baptismi et sacerdotii ignorat, quamvis doceat baptismum et singulos gradus sacramenti Ordinis iterari non posse. De charactere vero seu sigillo (σφραγίς) Confirmationis haud semel quidem loquitur, eumque a gratia sanctificante discriminare videtur [5]; verum illum in apostatis obliterari insinuat; unde dicit sacrum Unguentum super apostatas iterari [6]; item imperatorum et quorumdam

1. De charactere Confirmationis loqui videtur in *Comment. ad Ephes.*, I, 13; IV, 30, *P. G.*, t. XCV, col. 825, 845.

2. Cf. Tixeront, *Histoire des dogmes*, t. II, Parisiis, 1912, p. 166-167, 172, 190-191.

3. Πνεύματος ἁγίου σφραγῖδα δώῃ ἀνεξάλειπτον εἰς τοὺς αἰῶνας. *Procatech.*, 17, *P. G.*, t. XXXIII, col. 365.

4. *Homilia in sanctum baptisma*, 5, *P. G.*, t. XXXI, col. 433 : « Βάπτισμα, σφραγὶς ἀνεπιχείρητος, ὄχημα πρὸς οὐρανόν, κτλ. »

5. « Διὰ τοῦ χρίσματος τοῦ θείου μύρου μέτοχος γίνεται τῆς ἀγαθοποιοῦ χορηγίας καὶ ἐνεργείας καὶ τῆς ἁγιαστικῆς χάριτος τοῦ ἁγίου Πνεύματος, καὶ προσοικειοῦται Θεῷ, καὶ σημειοῦται βασιλικῇ σφραγίδι εἰς τὸ δύνασθαι πρὸς πᾶσαν κακίαν ἀντικαθίστασθαι. » *Cod. cit.*, fol. 239. Cf. fol. 245, 252.

6. « Τοῖς γὰρ ἡ μοχθηρία γνώμης καὶ ῥαθυμία ἢ βίᾳ τινὶ πρὸς τὴν τῆς πίστεως ἄρνησιν ἐκπεσοῦσιν, ἐπιχρίοντες αὖθις μύρον ἅγιον, καὶ τὴν ἱερὰν ἐγκαινίζοντες τούτοις σφραγῖδα, τὴν ἀποβληθεῖσαν χάριν τοῦ ἁγίου

præsulum chrismationem de iteratione sacramenti interpretatur [1]. Nicolaus Cabasilas de baptismo et Confirmatione fuse disserit; de charactere vero ab his sacramentis impresso altum servat silentium [2], et quamdam excogitat rationem theologicam, ut explicet quare apostatis a fide Confirmatio denuo conferatur, baptismus autem iisdem non ita [3]. Simeon Thessalonicensis characterem baptismatis indirecte negat, dum asserit sacrum Unguentum imprimere *primum signaculum*, τὴν πρώτην σφραγῖδα [4], eumque sine gratia et *sine sigillo* Christi esse qui Unguentum nondum recepit [5]. Cæterum utrum haec σφραγὶς τοῦ ἁγίου μύρου characteri revera respondeat, gravis remanet dubitandi ratio. Simeon enim docet hujusmodi sigillum per apostasiam deleri; unde apostatis ad fidem orthodoxam reversis sacramentum Unguenti renovari [6].

Inde a sæculo XVI usque ud secundum dimidium sæculi XVIII, sub influxu theologicæ catholicæ, doctrinam de charactere indelebili plerique cum Græci tum Russi amplexi sunt. Remansit tamen apud quosdam aliqua dubitatio circa characterem Confirmationis ob praxim reconfirmationis apostatarum.

Πνεύματος ἐπανακαλούμεθα, καὶ αὖθις οἰκειοῦμεν Θεῷ, καὶ συνιστῶμεν ὡς τὸ πρότερον : Eos qui vel improba voluntate atque ignavia, vel vi cruciatuum lapsi, fidem abnegarunt, denuo ungentes sancto Unguento, *et sacrum in eis renovantes signaculum*, amissam gratiam Spiritus Sancti revocamus, et Deo rursus eos conjungimus et conciliamus ut prius. » *Ibid.*, fol. 245 *b*.

1. *Ibid.*

2. Dicit quidem baptismum vocari *sigillum*, σφραγῖδα; sed hanc vocem ita explicat, ut ab ipsa gratia baptismali, Christo nos conformes efficiente ejusque imaginem in animabus nostris depingente, sigillum distinguere non videatur. *De vita in Christo*, l. II., *P. G.*, t. CL, col. 524.

3. *Ibid.*, col. 545-548. Cf. quæ infra dicuntur de iteratione Confirmationis super apostatas, p. 144.

4. « Τὸ χρίσμα τὴν σφραγῖδα τὴν πρώτην καὶ τὸ κατ'εἰκόνα ἐντίθησιν, ὅπερ διὰ παρακοὴν ἀπωλέσαμεν. » *De sacramentis*, 35, *P. G.*, t. CLV, col. 177 C. Hæc verba repetit Jeremias II in *I Resp. ad Lutheranos*, c. VII.

5. « Ἀχαρίτωτος ἄρα καὶ ἀσφράγιστος τῷ Χριστῷ, μὴ τὸ μύρον δεξάμενος. » *Ibid.*, 43, col. 188 C.

6. *Resp.* XXIII *ad Gabrielem Pentapolitanum; P. G.*, t. CLV, col. 874-876. Cf. infra, p. 148.

Gabriel Severus explicite docet baptismum et Ordinem imprimere characterem indelebilem; de Confirmatione vero hæc habet : « Alii vero etiam divinum Unguentum pie et recte dicunt tribuere suscipientibus characterem indelebilem. Horum sacramentorum characteres non amittuntur neque delentur [1]. »

Kiovienses item characterem indelebilem trium sacramentorum admiserunt; quod patet ex *Trebniko* Petri Moghilæ, anno 1646 edito, ubi ille disertis verbis asserit baptismum et Confirmationem in anima suscipientis imprimere characterem indelebilem [2]. Ut autem praxim liturgicam ad fidem conformaret, Moghila e suo rituali reconfirmationem apostatarum omnino expulit, jussitque apostatas prius rite confirmatos sola fidei professione et errorum abjuratione recipi, cum ad Ecclesiam redirent [3]. Nota autem illum hoc fecisse, postquam Meletius Syrigus catechismum Kioviensium, qui mox *Confessio orthodoxa Ecclesiæ orientalis* factus est, anno 1642 correxerat, atque *quæstioni* CV *primæ partis* hæc verba addiderat : « Sacrum Unguentum bis non datur nisi iis qui ab negatione nominis Christi reverti volunt. » Hoc additamentum ergo Petrus Moghila nullo pacto probavit.

Dositheus Hierosolymitanus, in *cap.* XVI suæ *Confessionis fidei*, decernit baptismum, sicut et sacerdotium, imprimere characterem indelebilem [4]. Eamdem vim etiam Confirmationi implicite tribuit, dum reconfirmationem apostatarum silentio præterit, et ipsum apostatam a fide per sacramentum pœnitentiæ reconciliari dicit [5].

1. *Op. cit.*, c. VII, p. 35 : « Ἕτεροι δὲ καὶ] τὸ θεῖον μύρον εὐσεβῶς καὶ ὀρθῶς λέγουσιν εἶναι· τούτων γὰρ αἱ σφραγῖδες οὐκ ἀποβάλλονται, οὔτε μὴν ἐξαλείφονται. »

2. P. 192.

3. *Ibid.*, p. 164 et 206. Cf. Sergium, Viatkæ episcopum, *De canonibus et officiis receptionis christianorum heterodoxorum in Ecclesiam orthodoxam* (russice), Viatkæ, 1894, p. 123-124, 198.

4. « Ἐντίθησι δὲ τὸ βάπτισμα καὶ χαρακτῆρα ἀνεξάλειπτον, ὥσπερ καὶ ἡ ἱερωσύνη. »

5. « Καθὼς γὰρ ἀδύνατον τὸν αὐτὸν δὶς ἱερωσύνης τυχεῖν τῆς αὐτῆς, οὕτως ἀδύνατον ἀναβαπτισθῆναι τὸν ἅπερ ὀρθῶς βαπτισθέντα, κἂν καὶ μυρίαις συμβέβηκεν αὐτὸν ὑποπεσεῖν ἁμαρτίαις, ἢ καὶ αὐτῇ ἐξωμόσει

Dositheo fere consentit Nicolaus Bulgaris, qui explicite quidem docet baptismum, Confirmationem et Ordinem characterem imprimere, solos autem characteres baptismi et Ordinis habet *proprie indelebiles*; siquidem apostatarum reconfirmationem admittit [1].

Theologi russi protestantizantes sæculi XVIII doctrinam de charactere vel de industria tacent, vel ex professo impugnant. De ea silent, v. g., Plato Levkhin et Theophylactus Gorskii. Illam directe impetit Sylvester Lebedinskii, qui primum quidem, ut probet Confirmationem non esse iterandam, hoc profert argumentum : « Confirmatio imprimit characterem indelebilem; ergo, etc. »; postea vero hanc subjicit animadversionem :

« Causa *initerabilitatis*, si ita fari licet, hujus sacramenti non est statuenda in charactere quodam indelebili animæ impresso, ut quidam statuunt. Absit ut nos quoque eamdem sententiam, quæ lubrico et incerto, vel potius nullo nititur fundamento, amplectamur. Quin illud quidquid est est commenti, ex Ecclesia et schola sanioris theologiæ eliminandum profitemur. Non negamus internam Christi gratiam, quæ signum aliquod spirituale et character animæ impressus sano sensu dici potest, per sacramenta fidelibus conferri et obsignari; interim tamen non magis ex uno quam ex alio quovis sacramento energiam seu qualitatem illam spiritualem proficisci existimamus. Non refragamur fideles habere sigillum internum unum, nimirum Spiritum Sanctum, quo obsignamur in diem redemptionis (Eph., IV, 29), sed nullum alium characterem agnoscimus [2]. »

Post reformationem theologicam Protasovi [3], theologi russi communiter quidem affirmarunt existentiam characteris indelebilis baptismi propter locum *Confessionis Dosi-*

τῆς πίστεως. Θέλων γὰρ ἐπιστρέψαι πρὸς Κύριον, ἀναλαμβάνει τὴν ἣν ἀπώλεσεν υἱοθεσίαν διὰ τοῦ μυστηρίου τῆς μετανοίας.. » *Ibid.*, c. XVI. Kimmel, I, p. 456.

1. « Δύο μοναχὰ μυστήρια κυρίως λέγονται νὰ τυπώνουσι χαρακτῆρα καὶ σφραγῖδα ἀνεξάλειπτον, διὰ τὸ ὁποῖον ἀκόμη δὲν δευτερώνονται εἰς κανένα τρόπον, καὶ εἶναι ἡ ἱερωσύνη καὶ τὸ βάπτισμα. » *Op. cit.*, p. 22.

2. *Op. cit.*, p. 493.

3. De hac reformatione, vide tomum I hujus operis, p. 605 sq.

thei supra laudatum [1]; negarunt vero, vel saltem tacuerunt characterem sacramenti Ordinis, quia tum in versione russica *Confessionis Dosithei* anno 1838 publicata, tum in ipso ejusdem textu græco anno 1840 edito, Synodus Dirigens per manum Philareti Drozdov ea verba expunxit, quæ de charactere indelebili sacerdotii erant [2]. Hoc autem fecit Philaretus, tum quia ipse doctrinæ de charactere in genere adversabatur — et re quidam vera in suo *Majori Catechismo* de charactere altum servat silentium [3] —, tum quod apud Russos mos invaluit a lege civili sancitus, sacerdotes et clericos quoscumque ad statum laicalem reducendi, sive eos qui pœna canonica *degradationis* (καθαίρεσις) mulctati fuissent, sive (inde ab anno 1861) etiam eos qui sponte et propria voluntate sacerdotali vel clericali ministerio se abdicassent [4]. Ad characterem autem Confirmationis quod attinet, non pauci saltem ejus indelebilitatem indirecte negant, dum post *Confessionam orthodoxam* docent sacramentum Chrismatis renovari apostatis in infidelitatem

1. Vide, v. g., Macarium, *Theologia dogmatica orthodoxa*, 4ª ed., Petropoli, 1883, t. II, p. 333; Philaretum Gumilevskii, *op. cit.*, t. II, p. 140; Malinovskii, *op. cit.*, t. II, p. 340.

2. Expuncta sunt verba : « ὥσπερ καὶ ἡ ἱερωσύνη », in loco supra, p. 49, nota 4, citato.

3. Philaretus juvenis ad scholam protestantizantem Theophanis Procopovitch pertinebat. De ejus sententia circa characterem indelebilem sacerdotii fusius infra dicetur, p. 422 sq.

4. Ex lege russica, qui clericali militiæ renuntiavit, post tres menses, ad pristinam vitæ rationem et artem redit, sed varios ordines seu dignitates civiles vel militares antea acquisitas amisit; immo a quibusdam officiis publicis per aliquod temporis spatium arcetur. Cf. Suvorov, *Manuale juris ecclesiastici*, 4ª ed., Mosquæ, 1912, p. 348. Hic canonista, *ibid.*, expresse negat characterem Ordinis. Quidam theologi græci praxim russicam de voluntaria abdicatione clericorum eorumque reditu ad statum laicalem improbant tanquam canonibus contrariam. Ita Andrutsus, Δογματική, p. 391, n. 3; Dyovuniotis, *op. cit.*, p. 159 in nota : qui tamen characterem rejiciunt. Serbus Milasch hujusmodi praxi item reclamat, additque matrimonium quod lex russica clericis exauctoratis permittit, item esse contra canones. Cæterum canonista serbus Russis dogmatice consentire videtur, quantum ad effectum canonicæ depositionis et degradationis, quæ potestatem Ordinis in perpetuum auferat. *Jus ecclesiasticum (versio græca)*, Athenis, 1906, p. 392-395, 718-719, 795. Cf. quæ infra dicuntur, p. 427.

lapsis[1], quanquam — rem bene nota — Ecclesia russica, inde ab anno 1757, rituale Petri Moghilæ authentice sibi sumpsit, et apostatas reconfirmare cessavit. Rari sunt qui characterem indelebilem Confirmationis adhuc explicite affirment[2].

Nunc autem si ad Græcos recentiores oculos convertamus, haud paucos adhuc invenimus characteris indelebilis propugnatores. Ita Mesoloras pro tribus sacramentis[3]; Theophilus Papaphilus[4], Bernardakis[5], pro baptismate et Ordine; Damalas[6], Khamudopulus[7] pro baptismate; Antonius Moschopulus[8], Athanasius Pariensis[9], Koidakis[10] pro Ordine[11]. Quidam tamen canonistæ græci, ut Apostolus Christodulu[12] et Sakellaropulus[13], vestigiis Russorum inhaerentes, docere jam inceperunt, depositionem et degradationem (τὴν καθαίρεσιν) vel etiam voluntariam renuntiationem et abdicationem, potestatem sacerdotii auferre in perpetuum. Christodulus expressis verbis declarat doctrinam de charactere indelebili Ordinis omni fundamento carere; imo esse perniciosam propter consequentias exinde orientes[14]. Alii, ut Andrutsus et Dyovuniotis, ulterius

1. Macarius, *op. cit.*, p. 360 : Philaretus Gumilevskii, *op. cit.*, p. 153-154, qui etiam dicit Confirmationem iterari venientibus ex sectis hæreticis : quod a praxi Ecclesiæ russicæ alienum est; Maltzev, *Die Sakramente*, p. LXXXI.

2. Inter quos est Malinovskii, *op. cit.*, p. 354, qui praxim hodiernam Ecclesiæ russicæ bene notat.

3. *Op. cit.*, p. 154, 221, 227.

4. Ταμεῖον ὀρθοδοξίας, ed. Athen., 1908, p. 20. Hic videtur etiam admittere characterem Confirmationis. Cf. p. 26.

5. Κατήχησις, 3ª ed., Constantinopoli, p. 178-179.

6. Περὶ ἀρχῶν, Lipsiæ, 1865, p. 153.

7. Κατήχησις, Athenis, 1893, p. 75.

8. Ἐπιτομὴ τῆς δογματικῆς καὶ ἠθικῆς θεολογίας, Cephaloniæ, 1851, p. 483. Hic agnoscit etiam characterem Confirmationis, p. 412.

9. *Op. cit.*, p. 378.

10. Κατήχησις, Athen., 1906, p. 165.

11. Temerarium non est supponere eos, qui characterem indelebilem Ordinis expresse admittunt, etiam characterem baptismatis non negare.

12. Δοκίμιον ἐκκλησιαστικοῦ δικαίου, Constantinopoli, 1896, p. 205-209, 407-409 in nota.

13. Ἐκκλησιαστικὸν δίκαιον,, Athenis, 1898, p. 412.

14. *Loc. cit.*

progressi sunt, et Theophanis Procopovitch alumnos imitati, doctrinam de charactere indelebili in genere ex professo impugnarunt. Andrutsus de charactere sacramentali primum quidem catholice omnino senserat, docueratque baptismum, Confirmationem et Ordinem characterem indelebilem in anima imprimere [1]; postea vero sententiam mutavit, doctrinamque de charactere, utpote fundamento dogmatico in fontibus Revelationis carentem, inter opiniones mere theologicas seu Θεολογούμενα recensuit, subjiciens *initerabilitatem* quorumdam sacramentorum ex eorum natura proprioque fine bene explicari posse, quin ad aliquem characterem indelebilem recurrere necesse sit [2]. Dyovuniotis item, qui primum contra Andrutsum existentiam characteris indelebilis sacerdotii propugnaverat [3], recentissime sui adversarii sententiam, et quidem propter easdem rationes, amplexus est, declarans totam hanc de charactere doctrinam esse omnino incomprehensibilem atque in difficultates inextricabiles incurrere [4]. Ipse vero, quod sacramenta quædam non renovantur, ex indole operationis et effectus ipsorum explicare nititur [5].

1. Δοκίμιον συμβολικῆς ἐξ ἐπόψεως ὀρθοδόξου, Athenis, 1901, p. 262, 279, 282.

2. Δογματική, Athenis, 1907, p. 314-315 in nota : « Τὸ δίδαγμα εἶνε δογματικῶς ἀσύστατον, ἅτε μὴ πιστούμενον ὑπὸ τῶν πηγῶν τῆς ἀποκαλύψεως... Δύναται νὰ παραμένῃ ὡς θεολογικὴ θεωρία κατὰ τὸ μᾶλλον ἢ ἧττον ἀτελής. »

3. Ἡ δογματικὴ Χ. Ἀνδρούτσου κρινομένη, p. 52.

4. Τὰ μυστήρια, Athenis, 1913, p. 26-27 : « Ἡ θεωρία αὕτη τῆς δυτικῆς Ἐκκλησίας... δὲν δύναται νὰ γένῃ ἀποδεκτή, διότι ὄχι μόνον δὲν δύναται νὰ στηριχθῇ ἐπὶ τῆς ἁγίας Γραφῆς καὶ τῆς ἱερᾶς παραδόσεως, ἀλλὰ καὶ ἀκατάληπτος εἶνε. »

5. *Pidalii* græci auctores, in quadam nota ad canonem 68 Apostolorum, Πηδάλιον, ed. Ath., 1908, p. 99, eamdem viam jam iniverant, doctrinam de charactere indelebili satis aperte rejicientes. Dum autem Dyovuniotis docet tria sacramenta, baptismum scilicet, Confirmationem et Ordinem iterari non posse, hi reconfirmationem apostatarum admittunt.

ARTICULUS VII

De sacramentorum ministro.

Nomine ministri sacramentorum hic intelligitur non quidem minister principalis invisibilis, qui est Dominus noster Jesus Christus, sed minister secundarius visibilis, qui nomine Christi ejusque Ecclesiæ sacramenta administrat [1]; de quo quinque quæri possunt : 1° Quænam inter homines sit *persona* quæ valide sacramenta conferre possit ?; 2° Num hujus ministri *fides* ad validitatem seu valorem sacramentorum necessario requiratur?; 3° Num item ejusdem *probitas* seu *sanctitas* ad idem postuletur? 4° Num validitas sacramentorum a *canonica legitimitate* ejusdem pendeat? 5° Tandem, utrum *intentio* ministri necessaria sit ad conficiendum sacramentum? Circa quinque ista capita, quid doceant Græco-Russi inquirere debemus; in pluribus enim inter eos et theologos catholicos perfectus consensus desideratur.

I. — De persona ministri.

De persona ministri Græco-Russorum thesis communissima hæc est : « Solus sacerdos, sive sit episcopus, sive presbyter, est minister *validus* sacramentorum. » Una tantum exceptio a plerisque admittitur pro baptismo in casu extremæ necessitatis, sacerdote deficiente, a laico *christiano* (non ab infideli) collato [2]. Thesis jam expresse edocetur a Jobo monacho, qui in enumerandis sacramentis sacerdotium ideo in medio posuit, ut ostenderet sacerdotem esse omnium sacramentorum perfectorem [3]. Eamdem doctrinam retinent alii; Russi vero eam ex professo defendunt contra rascolnikos *bespopovtsos* (id est *presbyteris carentes*),

1. Malinovskii, *op. cit.*, t. II, p. 321-322, Patrum auctoritatibus bene ostendit Christum esse ministrum principalem sacramentorum.
2. De ministro extraordinario baptismi agimus infra, p. 88.
3. Cf. supra, p. 26.

qui contendunt laicos orthodoxos valide conferre posse, etiam extra casum necessitatis, prout hic casus ab « Orthodoxis » accipitur, duo sacramenta, baptismum scilicet et pœnitentiam [1]; ex ipsis quidam etiam addunt sacramentum matrimonii [2].

II. — De fide ministri.

Duplici modo minister sacramentorum fide carere potest, *privatim* scilicet et *publice*. Fide *privatim* caret ille minister, qui in suo foro interno amisit fidem, et incredulus vel hæreticus factus est, attamen adhuc remanet *corpori Ecclesiæ exterius adunatus*, et ab Ecclesia nondum reprobatus est et ejectus, quamvis identidem suam incredulitatem vel hæresim verbis manifestaverit. *Publice* autem caret fide ille qui extra veram Ecclesiam vivit, sive alicui sectæ hæreticæ adhæreat, sive tanquam apostata et infidelis e corpore Ecclesiæ fuerit segregatus.

Jam vero Græco-Russi non diffitentur sacramenta ab incredulo occulto vel ab hæretico nondum publice manifestato collata, valida esse [3]; de sacramentis vero a ministro hæretico vel apostata a corpore Ecclesiæ jam segregato administratis, utrum valida sint necne, magna inter eos viget controversia, cujus solutio a novo quodam concilio œcumenico adhuc exspectatur. Consensus inter eos ne quidem quantum ad valorem baptismi ab hæreticis collati hactenus conti-

1. Cf. Plotnikov, *op. cit.*, p. 221-222.

2. Cf. infra, p. 457.

3. Pauci hunc casum explicite ponunt; subauditur autem et supponitur ab iis theologis, qui ex una quidem parte diserte docent *fidem* et probitatem ministri valori sacramentorum non officere; ex alia vero non minus diserte reprobant ut invalida sacramenta collata a ministris sectæ hæreticæ adhærentibus. Ita, v. g., loquuntur : Andrutsus, Δογματική, p. 301 : « Ἐν τῇ πράξει τῆς Ἐκκλησίας ἀπεδοκιμάσθη πάντοτε ἡ ἐξάρτησις τῆς μυστηριακῆς πράξεως ἐκ τῆς προσωπικῆς πίστεως καὶ ἐκ τῆς ἁγιότητος τοῦ τελοῦντος ἱερέως »; Dyovuniotis, *op. cit.*, p. 31-32 : « Ἐννοεῖται, ὅτι ἡ ἀποτέλεσις τοῦ μυστηρίου δὲν ἐξαρτᾶται ἐκ τῆς πίστεως καὶ τῆς ἠθικῆς τελειότητος τοῦ τελοῦντος αὐτὸ ἱερέως. » Ambo tamen, Andrutsum dico et Dyovuniotam, validitatem sacramentorum ab hæreticis collatorum rejiciunt. Cf. quæ dicuntur infra, p. 59, nota 1, et p. 434 sq.

git; a fortiori deest quantum ad alia sacramenta. Multi enim ex ipsis validitatem baptismi hæreticorum simpliciter admittunt; alii hanc omnino negant; quidam vero miram theoriam de *œconomia* dictam adinvenerunt, ut continuas Ecclesiæ græco-russicæ circa hanc quæstionem variationes utcumque explicarent; de quibus omnibus infra fuse agemus, quando de singulis sacramentis, ac præsertim de baptismo, sermo erit.

III. — De probitate seu sanctitate ministri.

Improbitatem ministri valori et efficaciæ sacramentorum non officere Græco-Russi communiter docent, et in hoc cum Ecclesia catholica omnino conveniunt : quod utique mirum non est, quandoquidem antiqui Patres græci hanc doctrinam disertis verbis tradiderunt. Sane, temporum decursu inventi sunt qui antiquorum Montanistarum et catharorum errorem saltem ex parte renovantes, potestatem dimittendi peccata malis sacerdotibus abnegarint, monachis vero virtute præclaris sed sacerdotio non initiatis illam tanquam aliquid charisma spiritale tribuerint [1]; verum hic error paucorum tantum fuit, nec diu perseveravit; quem Ecclesiæ byzantinæ præsules condemnarunt. Inde autem a sæculo XVIII, inter rascolnikos russos qui *bezpopovtsy* audiunt, revixit; contra quos polemistæ Orthodoxiæ veram doctrinam de valore objectivo sacramentorum, a probitate illa ministrantium independente, propugnare consueverunt [2].

Sæculo XV, Gabriel, Pentapoleos metropolita, Simeonem Thessalonicensem de quatuor istis interrogaverat : 1° Num indigni sacerdotis sacrificium et baptismus et quæcumque agit ille, accepta sint (valida) necne? 2° Num is qui indigne ordinatur gratiam accipiat necne, et num admittenda quæ ab eo peraguntur? 3° Utrum pater spiritualis qui indigne sacerdotio fuit initiatus peccata remittat? Num hoc idem valeat, si licentiam episcopi confessiones audiendi non habeat? Item, num simplex monachus, qui sacerdos non est,

1. Cf. quæ dicuntur infra, p. 364 sq.
2. Cf. Plotnikov, *op. cit.*, p. 184-190.

absolvere possit a peccatis? 4° Indignus si quis fiat presbyter aut episcopus, ordinetque dignos et indignos, constituatque confessarios, et omnes suum munus obeant, num hæc omnia coram Deo accepta sint et valeant? Ad hæc Simeon communem dedit responsionem :

« Non omnes, inquit, Spiritus Sanctus ordinat (χειροτονεῖ), sed in omnibus operatur. Episcopus et presbyter et qui patris spiritualis munus obit (= qui est confessarius) et quivis alius clericus canonice ordinatus (χειροτονηθείς) Dei verus minister est, et ad salutem hominum deputatus, et angelus alter Dei, et sanctificationis distributor, illuminationis et gratiæ divinæ totus plenus, qui magnam a Deo sui ministerii mercedem accipiet pro suo erga divina studio... Si quis autem contra canones ordinetur episcopus, vel presbyter, vel clericus, vel officium accipiat patris spiritualis, gratia quidem in eo operatur per sacram ordinationem propter salutem eorum qui ad eum accedunt; et unusquisque secundum suam fidem accipit, et nemo recedit vacuus. *Quibus manus imposuerint vere ordinati sunt, et quibus peccata dimiserint vel retinuerint, soluti sunt vel ligati remanent; et quæcumque perficiunt sacramenta, vere sunt sacramenta, cum in his non homo operetur, sed gratia per eos tanquam per instrumentum.* Væ autem instrumento illi, quod contra voluntatem operantis agit! Væ iterum homini tantas res contumeliose tractanti [1]! »

Hæc Simeon; qui item recte pronuntiat presbyterum sine mandato vel contra mandatum sui episcopi confessiones audientem non plus habere potestatis ad valide absolvendum quam simplex monachus sacerdotio haud initiatus [2]. Eamdem doctrinam longo sermone tuetur Jeremias II in *I Responso ad lutheranos*, c. VIII :

« Affirmanus et nos, inquit, etiamsi ab indignis peragantur mysteria, nihilque ipsi inde juventur, sed potius damno afficiantur, tamen suscipientes sanctificari et juvari. Nam etiam per indignos ministros gratia divina operatur, et sacramenta perficit. Honorandi ergo sunt horum ministri:

1. « Οὐ γὰρ ἄνθρωπος ἐνεργεῖ, ἀλλὰ δι'ὀργάνου ἡ χάρις » *Resp.* X-XIII, *ad Gabrielem*, *P. G.*, t. CLV, col. 860 sq.
2. *Ibid.*, col. 861 C.

nec prætextu quod aliqui sint hypocritæ, contemni etiam bonos oportet [1]. »

Patriarchæ Russorum Niconi Paisius I, œcumenicus patriarcha, anno 1654, per manum Meletii Syrigi item respondebat (*Resp.* XII) « gratiam salutaris sanguinis non impediri indignitate sacerdotis illum offerentis [2] ». Si vero diversos compendiorum auctores interrogaveris, unanimiter idem tibi referent [3]; quorum verba exscribere supersedemus.

IV. — De canonica legitimitate ministri.

Doctrina communis theologorum catholicorum est potestatem ordinis in episcopo vel presbytero rite ordinato ab Ecclesia sive per excommunicationem, sive per depositionem vel omnimodam degradationem ita ligari non posse, ut exauctoratus sacramenta non amplius valide perficere vel ministrare possit, si unum pœnitentiæ sacramentum excipias; ad quod valide conferendum, propter ejus peculiarem indolem, necessaria est jurisdictio a superiore legitimo concessa. Multi Græco-Russi, e contra, quod nos de solo pœnitentiæ sacramento tenemus, de omnibus fere sacramentis affirmant, docentes episcopos vel presbyteros pœna depositionis et degradationis canonice mulctatos (non vero simpliciter excommunicatos) omnem amittere facultatem sacramenta omnia, baptismo tamen *ordinarie* excepto, valide conficiendi et ministrandi. Hanc sententiam præsertim tuiti sunt theologi russi recentiores, et hoc sane propter rationes apologeticas et polemicas : nempe ut facilius impugnarent illos sectarios *Starovieros*, qui *popovtsy* audiunt; qui suum clerum e presbyteris (et recenter etiam ex episcopis) Orthodoxiæ imperialis fugitivis ab initio conscribere consueverunt; unde et cognomen *bieglopopovtsorum* (= presbyteri fugitivi) acceperunt. Polemistæ *antirascolniki* communiter asserunt presbyterum a suo episcopo per senten-

1. « Ἡ γὰρ θεία χάρις καὶ δι' ἀναξίων ὑπηρετῶν ἐνεργεῖ, καὶ τὰ μυστήρια τελειοῖ. » Gedeon Cyprius, *op. cit.*, t. I, p. 42-48.

2. « Δὲν ἐμποδίζεται ἡ χάρις τοῦ σωτηρίου αἵματος διὰ τὴν ἀναξιότητα τοῦ προσφέροντος ἱερέως.. » Cf. t. I, hujus operis, p. 514.

3. Cf., v. g., Lebedinskii, *op. cit.*, p. 479; Macarium, *op. cit.*, t. II, p. 315-316; Mesoloram, *op. cit.*, p. 169; Andrutsus, Δογμ., p. 301.

tiam depositionis separatum, qui sacramentorum administrationem attentarit, idem committere delictum cujus reus est simplex laicus munia sacerdotalia obire aggrediens [1]. Praxis vero doctrinæ respondet : quicumque sectarii confirmati, ordinati, matrimonio copulati, etc., a presbyteris fugitivis, quando ad Orthodoxiam convertuntur, iterum chrismate liniuntur, sacerdotio initiantur, coronantur, etc. Huic doctrinæ praxique quidam canonistæ græci suffragari jam inceperunt [2], quanquam synodus Constantinopolitana mense julio anni 1879 congregata sententiam omnino contrariam publice professa est, decernens « eos, qui ab episcopis *depositis* (καθηρημένων) vel schismaticis (utpote ad Ecclesiam adhuc pertinentibus) fuerint ordinati, ad communionem recipiendos esse secundum præscriptionem canonis VIII primi concilii œcumenici, id est unumquemque cum proprio gradu ecclesiastico et propria dignitate [3]. » Huic decreto adhæserunt omnes Ecclesiæ autocephalæ præter Ecclesiam regni hellenici, quæ in responsione ad œcumenicum patriarcham, ad severiorem disciplinam, id est ad reordinationem talium clericorum, propensionem ostendit [4].

V. — De intentione ministri.

Ut sacramentum valide conficiatur, requiritur ex parte ministri intentio vera et seria (non jocosa) agendi in nomine Christi, seu faciendi id quod facit Ecclesia. Necessitatem hujusmodi intentionis communiter profitentur Græco-Russi, ii saltem qui quæstionem de intentione ministri movent, quia multi de ea silent. Petrus Moghila, in suo *Trebniko*, intentionem non mere *externam*, sed internam, (*umnoe*

1. Cf. Plotnikov, *op. cit.*, p. 251-252; Malinovskii, *op. cit.*, t. II, p. 321 : « Ex quo sacerdos ut indignus publice notatus est atque potestate obeundi munia sacra privatus est, jus amittit ad functiones sacras, et sacramenta ab eo perfecta nullius sunt roboris. »

2. Cf. quæ supra dicta sunt, p. 52.

3. Basilius, Smyrnensis metropolita, Πραγματεία περὶ τοῦ κύρους τῆς χειροτονίας κληρικῶν ὑπὸ ἐπισκόπου καθηρημένου καὶ σχισματικοῦ χειροτονηθέντων, Smyrnæ, 1887, p. 26.

4. Cf. Mesoloram, *op. cit.*, p. 335. Mesoloras sententiam synodi probat. Circa hanc quæstionem quædam alia infra subjicimus, p. 430 sq.

namêrenie) requirit [1]; item in *Confessione orthodoxa*, loquitur de intentione *certa* et *determinata* perficiendi sacramentum [2]. Alludit ad intentionem et Dositheus in *Confessione fidei*, c. XVI, ubi dicit : « In casu necessitatis, baptismus confertur a quolibet homine, modo sit orthodoxus, et propositum (seu scopum) habeat sacro baptismo conveniens [3]. » Andrutsus opinionem Catharini de intentione mere externa amplecti videtur, dum dicit ad validitatem sacramenti sufficere, ut minister serio et secundum Ecclesiæ statuta ritum externum adimpleat, quin aliquid aliud sibi proponat, subtilesque distinctiones nostrorum Scholasticorum de intentione interna et externa necnon de multiplici divisione intentionis breviter carpit [4]. Item Malinovskii in intentionem internam, quam communiter requirunt theologi catholici, satis acriter invehitur; verum hanc intentionem perperam intelligit; quandoquidem illam confundere videtur cum attentione actuali intensa et profunda tum ad ritum externum, tum etiam ad sacramenti interiorem effectum [5].

ARTICULUS VIII

De subjecto sacramentorum.

De subjecto sacramentorum admodum pauca dicere habemus. Ad salutarem ac fructuosam sacramentorum receptionem Græco-Russos quasdam dispositiones ex parte suscipientium adultorum requirere, jam supra diximus [6]. Inter has dispositiones primum venit ipsum desiderium sacramenti, pia voluntas illud recipiendi; de qua expresse loquuntur Jobus monachus et quidam alii [7]. Dyovuniotis ut probabilissimum habet desiderium supplere posse realem receptionem, quando hæc omnino impossibilis est, absque ulla

1. *Trebnik, Introductio generalis ad sacramenta*, p. 3.
2. I p., q. c : « μὲ γνώμην ἀποφασισμένην του νὰ τὸ ἁγιάσῃ. »
3. « Καὶ σκοπὸν ἔχοντος τὸν ἁρμόδιον τῷ θείῳ βαπτίσματι. »
4. Δογματική, p. 309-310.
5. *Op. cit.*, p. 320-321.
6. P. 42.
7. Cf. v. g., Malinovski, *op. cit.*, p. 325.

culpa desiderantis [1]. Andrutsus, e contra, de tanta desiderii efficacia, Revelatione de hoc silente, dubius hæret [2]. In parvulis vero rationis usus expertibus nullam positivam dispositionem exigi ad validam sacramentorum receptionem practice docet Ecclesia græco-russica; quippe quæ non solum baptismum, verum etiam Confirmationem et Eucharistiam simul infantibus administrat secundum pristinum Ecclesiæ morem. Utrum autem infans sacerdotium valide reciperet, negare videtur Jobus monachus [3].

Cæterum quæstiones de reviviscentia sacramentorum necnon de gradu intentionis pro receptione singulorum sacramentorum requisito, apud modernos compendiorum auctores in vanum quæres; neque antiqui de iis aliquid proferunt.

1. *Op. cit.*, p. 24.

2. Δογματική, p. 299 : « Περὶ τούτου, καίπερ λογικῶς πιθανοῦ καὶ ἀποδεκτοῦ, δὲν δύναταί τις νὰ εἴπῃ τι μετὰ θετικότητος, ἄτε σιγώσης τῆς ἀποκαλύψεως. »

3. « Τὰ δ'ἑξῆς τέτταρα καὶ μάλα προαιρουμένων τῶν ὑποδεχομένων, καὶ ἀξίων καθεστηκότων, καὶ ποθούντων φυσικῶς, καὶ αἰτουμένων ἐπιμελῶς, καὶ προστρεχόντων θερμῶς. » *Cod. cit.*, fol. 244 *b*. Agitur de Ordine, de sancto Habitu, de matrimonio necnon de Euchelæo seu paenitentia.

CAPUT SECUNDUM

DE SACRAMENTO BAPTISMI

Praenotamina.

Pleraque ex his, quæ a theologis græco-russis de sacramento baptismi communiter traduntur, a doctrina catholica non abhorrent; in quibus utique immorari non habemus. Non desunt tamen apud theologos illos sententiæ particulares de quibusdam quæstionibus, quas referre operæ pretium est. Insuper elementum polemicum non parvum in hoc capite occurrit. Ab ineunte enim schismate ad nostra usque tempora, polemistæ antilatini baptisma Occidentalium non semel criminati sunt, et ex ipsis quidam eo usque devenerunt, ut catholicos cujuscumque ritus rebaptizandos esse pronuntiaverint. Primus omnium Michael Cærularius contra Latinorum baptisma quædam effutivit, illos videlicet reprehendens quod « unam tantum immersionem peragerent, et baptizatorum ora sale implerent [1] ». In opusculo *Contra Francos*, carpitur salivæ unctio necnon usus Confirmationem seorsim a baptismate conferendi [2]; quæ omnia per sæculorum decursum a polemistis identidem repetita sunt, necdum oblivioni penitus tradita [3]. Aliud crimen adinvenit Simeon Thessalonicensis in differentia utriusque formæ, græcæ et latinæ [4]; quod item hodierni polemistæ

1. Cf. I volumen hujus operis, p. 270.
2. *Ibid.*, p. 370.
3. Unicam immersionem Latinis exprobrant, v. g., Meletius Confessor, sæcul. XIII; *P. G.*, t. CXLIV, col. 22; Josephus Bryennius, *Opera*, t. I, p. 418-419; Jeremias II, *Responsum I ad lutheranos*, c. II. Salis et salivæ adhuc mentionem faciunt Eustratius Argentis, Ῥαντισμοῦ στηλίτευσις, Constantinopoli, 1756, p. 31, 39 : « Ὁ δὲ ῥαντισμός, ὁ σίελος καὶ τὸ ἅλας σαφῶς αἱρετικὰ καὶ σατανικὰ δόγματά ἐστιν, ἀναθέματι παραδοθέντα, » et Malinovski, *Orthodoxa dogmatica theologia*, t. IV, Serghiev-Possad, 1909, p. 93.
4. *De sacramentis*, 64, col. 228.

silentio minime prætereunt, ut videbimus infra. Præcipuum vero litigationis caput, inde a sæculo XIV [1], exstitit de materia proxima baptismi. Cum enim hoc tempore usus trinæ immersionis in Ecclesia latina penitus fere obsoleverit et trinæ infusioni cesserit, primum quidem de liceitate, mox vero et de validitate baptismi per infusionem collati acriter disputare inceperunt theologi dissidentes; de quo capite in varias abierunt sententias; neque hactenus inter ipsos viget de hac quæstione firma ac plena consensio. Porro huic quæstioni alia mox inserta est : illa scilicet quæ est de validitate baptismi a ministris hæreticis collati; circa quam diversas iterum opiniones protulerunt iidem theologi, contrariaque decreta temporum decursu promulgarunt ecclesiasticæ auctoritates, litis solutionem a novo quodam concilio œcumenico adhuc exspectantes. Hujusmodi variationes ex modo, quo pro temporum diversitate Latini catholici et Protestantes in Ecclesiam græco-russicam recepti sunt, præsertim patuerunt.

De his omnibus quædam dicturi, præsens caput in septem articulos dividimus, videlicet :

1° De definitione, nominibus, figuris, institutione ac speciebus baptismi;

2° De materia baptismi;

3° De forma ejusdem;

4° De effectibus ejus;

5° De ministro ordinario et extraordinario hujus sacramenti necnon de valore baptismi hæreticorum;

6° De necessitate baptismi ad salutem consequendam;

7° De receptione Catholicorum et Protestantium in Ecclesiam græco-russicam [2].

1. Sæculo XIV, Matthæus Angelus Panaretus jam Latinos carpit ob praxim infusionis in suo opusculo, *De Latinorum absurdis*, Περὶ τῶν ἀτοπημάτων τῶν κακοδόξων Λατίνων, ed. P. Risso, in *Roma e l'Oriente*, t. X, p. 65-69; in editione separata, p. 81-86.

2. Diversas dissertationes et articulos de sacramento baptismi apud Græco-Russos decursu hujus capitis indicabimus. Sufficiat hic memorare opera generalia de hac materia : 1° A. I. Almazov, *Historia ritus baptismi et Confirmationis* (russice), Kazanii, 1884; 2° A. Staerk, *Der Taufritus der griechisch-russischen Kirche*, Friburgi-in-B., 1903; 3° Th. Spacil, *Doctrina theologiæ Orientis separati de sacramento.*

ARTICULUS I

De definitione, nominibus, figuris, institutione ac speciebus baptismi.

I. — De definitione baptismi.

Non unam sacramenti baptismi definitionem apud theologos græco-russos. invenire est. Quidam definitionem admodum brevem tradunt, ut. v. g., Plato Levkhin, cujus verba sunt hæc :

« Baptismus est sacramentum in quo, dum corpus abluitur per aquam, lavatur credentium anima per sanguinem Christi [1]. »

Alii, præsertim ex Theophanis Procopovitch discipulis, in sua definitione ponunt utrumque baptizandi modum, immersionem scilicet et infusionem seu ablutionem. Unus audiatur Sylvester Lebedinskii :

« Baptismus est sacramentum divinitus institutum, quo homo peccator, *trina immersione vel ablutione facta*, abluitur aqua in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut per hoc lavacrum aquæ gratia divina, verbo Evangelii promissa ipsi applicetur, conferatur et obsignetur [2]. »

Plerique recentiores quum Russi tum Græci solius immersionis mentionem faciunt. Ita Philaretus in *Catechismo longiori :*

« Baptismus est sacramentum in quo fidelis, per trinam immersionem corporis in aquam, cum invocatione Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti, moritur vitæ carnali, peccatrici et regeneratur ex Spiritu Sancto in vitam spiritualem, sanctam [3]. »

Quidam demum definitionem ita concipiunt, ut omnia

baptismi, Romæ, 1926 (N. 25 Commentarii *Orientalia christiana*). Huic dissertationi, in qua pleraque sunt optima, quædam minus vera de Græco-Russorum doctrina irrepserunt.

1. *Op. cit., II pars*, § 32.
2. *Op. cit.*, p. 478.
3. *I pars, ad x art. Symboli.*

fere, quæ ad hujus sacramenti theologiam pertinent, comprehendat. Ita, v. g., definitio a Mesolora tradita :

« Baptismus est illud divinum et sacrum sacramentum, ab ipso Salvatore institutum, quod collatum per ministrum Ecclesiæ ei, qui ad eam primum accedit, per trinam in aqua sanctificata demersionem et emersionem in nomine sanctæ Trinitatis, et celebratum secundum ritum in Ecclesia ab antiquissimis servatum, ita baptizato confert divinam illam gratiam, per quam iste purgatur tum originali peccato, si infans sit, tum et voluntariis peccatis, si jam adultus; qui prius in christiana fide fuerit instructus [1]. »

Baptismum ceterorum sacramentorum esse januam multi ex professo docent, alii manifesto supponunt.

II. — De nominibus baptismi.

Nostrorum theologorum instar, compendiorum auctores diversa baptismi nomina et appellationes tum in sacra Scriptura tum apud Patres Ecclesiæ occurrentes generatim referunt; nec est cur eas hic transcribamus. Vox slavica qua baptismus a Russis designatur, est *Krechtchenie ;* quam a verbo *krestit* (= *cruce signare* vel *benedicere*) derivant [2]. Per baptismum enim, ait Malinovskii, virtus crucis Christi homini applicatur, et homo fit christianus Christum crucifixum profitendo [3].

III. — De figuris baptismi.

De figuris baptismi quidam auctores pauca proferunt. Gabriel Severus quatuor figuras tantum notat, scilicet

1. « Εἶνε τὸ θεῖον καὶ ἱερὸν ἐκεῖνο μυστήριον, τὸ ὑπ'αὐτοῦ τοῦ σωτῆρος διαταχθέν, ὅπερ παρεχόμενον διὰ τοῦ λειτουργοῦ τῆς Ἐκκλησίας τῷ εἰς αὐτὴν πρῶτον προσερχομένῳ διὰ τῆς ἐν τῷ ἡγιασμένῳ ὕδατι τριττῆς καταδύσεως καὶ ἀναδύσεως αὐτοῦ ἐν τῷ ὀνόματι τῆς ἁγίας Τριάδος, καὶ τελούμενον κατὰ τὴν ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ ἀπ'ἀρχαιοτάτων διακρατουμένην τάξιν, μεταδίδωσι τῷ οὕτω βαπτισθέντι τὴν θείαν ἐκείνην χάριν, δι'ἧς οὗτος καθαίρεται τοῦ τε προπατορικοῦ ἁμαρτήματος, ἐὰν ᾖ νήπιον, καὶ τῶν προαιρετικῶν, ἐὰν ᾖ ἐνήλικος, κατηχηθεὶς πρότερον ἐν τῇ χριστιανικῇ πίστει. » *Op. cit.*, t. II², p. 180.

2. Cf. S. Smirnov, *Documenta ad historiam rituum baptismalium pertinentia in Russia antiqua*, in *Bogoslovskii Viestnik*, 1900, t. I, p. 1-17.

3. *Op. cit.*, t. IV, p. 56.

circumcisionem, probaticam piscinam, transitum maris Rubri et lotionem pedum discipulorum a Christo factam [1]. Dyovuniotis vero septem enumerat : circumcisionem, diversas antiquæ Legis purificationes, Noe salvationem in diluvio, transitum populi israelitici per mare Rubrum, baptisma proselytorum, baptisma Joannis, baptisma a discipulis Christi collatum ante Pentecosten [2].

IV. — De tempore institutionis hujus sacramenti.

Communissima apud Græco-Russos sententia est Christum instituisse baptismum Novæ Legis post suam resurrectionem, quando discipulis dixit : *Ite, docete omnes gentes*, etc. (Matth., xxviii). Ita, v. g., docent Dositheus in *Confessione fidei* (c. xv), Gabriel Severus [3], Plato Levkhin [4], Philaretus Gumilevskii [5], Macarius [6], Malinovskii [7], Andrutsus [8], Dyovuniotis [9]. Sylvester Lebedinski vero opinatur hoc sacramentum a *Deo trino* fuisse institutum in Jordane, quando Jesus a Joanne baptizatus fuit [10]; cui assentire videntur tum qui dicunt, præeunte sancto Joanne Damasceno, Christum proprium baptisma suscepisse, ut Simeon Thessalonicencis [11], Jeremias II [12], Philaretus Drozdov ; [13] tum qui putant apostolos verum baptismum christianum adminis-

1. *Op. cit.*, p. 48.
2. *Op. cit.*, p. 40-41. Laurentius Zizanii, in *Magno Catechismo*, octo baptismi typos indicat. Cf. Th. Ilinskii, *Magnus Catechismus Laurentii Zizanii*, in *Trudy Acad. Kiov.*, 1898, t. II, p. 259.
3. *Op. cit.*, p. 50.
4. *Op. cit.*, II *pars*, § 32.
5. *Op. cit.*, t. II, p. 129-130.
6. *Op. cit.*, t. II, p. 319.
7. *Theologiæ dogmaticæ orthodoxæ compendium*, t. II, p. 327.
8. Δογματική, p. 319.
9. *Op. cit.*, p. 38-39.
10. « Sacramentum baptismi instituit Deus trinus (Joan., I, 33, Luc., III, 16). Christus θεάνθρωπος, redivivus ex mortuis, mandatum baptizandi repetivit, et ad omnes gentes extendit. » *Op. cit.*, p. 478.
11. Cf. supra, p. 38.
12. *Responsum*, I, c. VII.
13. *Catechismus longior, I pars ad art. X Symboli.*

trasse ante Christi mortem et resurrectionem, ut Antonius Amphiteatrov [1].

V. — De speciebus baptismi.

Quidam antiqui Patres varia baptismata distinxerunt, nomine baptismatis appellantes tum veri baptismatis figuras, tum media quibus peccatum quocumque modo tollitur. Sic sanctus Gregorius Nazianzenus loquitur de baptismate Moisis in mare et in nube, de baptismate Joannis, de baptismate Salvatoris, de baptismate sanguinis, de baptismate lacrymarum seu de pœnitentia [2]. His quinque sanctus Joannes Damascenus alia tria addit, baptismum scilicet Legis seu purificationes legales, diluvium, « quod exscindendi peccati causa contigit », et baptismum futuri judicii, qui non est salutifer, sed in sempiternum excruciat ac punit [3]. Hæc octo baptismata recenset Gabriel Severus [4]. Lebedinskii baptismum flaminis sive ignis memorat; quem de miraculosa effusione donorum Spiritus Sancti in die Pentecostes intelligit [5]. De his omnibus baptismis, præter baptismum Christi, hic disserendi locus non est [6]. De *baptismo in nomine Jesu* necnon de *baptismo sub conditione* collato pauca tradere satis erit.

Baptismum in solo nomine Jesu in primæva Ecclesia aliquando fuisse administratum plerique Græco-Russi, præeunte Photio [7], diserte negant. Ita Philaretus Gumilevskii [8],

1. *Op. cit.*, § 283, p. 331-332.

2. *Homilia de Epiphania Domini*, XXXIX, 17; *P. G.*, t. XXXVI, col. 349-352.

3. *De fide orthodoxa*, l. IV, c. IX; *P. G.*, t. XCIV, col. 1124-1125.

4. *Op. cit.*, p. 42-44.

5. *Op. cit.*, p. 476.

6. Quædam infra, p. 102, de baptismo sanguinis dicturi sumus.

7. De hac quæstione Photius longam habet dissertationem in *Quæstione* XLIII *ad Amphilochium*; *P. G.*, t. CI, col. 301 sq. Cf. Hergenröther, *Photius*, t. III, p. 587-593. Idem de baptismo Joannis cum baptismo Christi collato fuse agit in *Quæst.* XXIX *ad Amphil.*, *P. G.*, *ibid.*, col. 212 sq. Cf. etiam *Quæst.* XLIII, col. 329-332. Contra Eulogium Alexandrinum, qui docuerat baptismum Joannis *perfectum* fuisse et omnia peccata remisisse usque ad tempus institutionis baptismi Novæ Legis a Christo, Photius docet illum fuisse imperfectum et graviora peccata non abstulisse. Cf. Hergenröther, *ibid.*, p. 583-586.

8. *Op. cit.*, t. II, p. 134, n. 1.

Antonius [1], Macarius [2], Andrutsus [3], Dyovuniotis [4], etc. Quidam tamen, ut Gabriel Severus [5] et Laurentius Zizanii [6], contrariam sententiam tenent, docentque, sacramentum hac forma : *In nomine Jesu Christi* collatum aliquamdiu fuisse validum. « Nomen Christi, ait Gabriel post sanctum Basilium, totius Trinitatis est confessio. Indicat enim et Deum ungentem et Christum unctum et chrisma quod est Spiritus Sanctus. »

De baptismo sub conditione collato pauci tantum loquuntur. Petrus Moghila tamen formam conditionatam in suo rituali expressis verbis refert [7]. Hanc memorant Theophilus Papaphilus [8], Malinovskii [9]. Unde falsum est quod asserit Andrutsus, scilicet formam conditionatam non solum antiquæ Ecclesiæ, verum etiam Ecclesiæ orientali ignotam prorsus fuisse [10].

ARTICULUS II

De materia baptismi remota et proxima.

I. — De materia remota.

Aquam naturalem esse materiam remotam necessariam ac sufficientem hujus sacramenti omnes docent. Quidam autem singularem proferunt sententiam circa modum supplendi baptismum aquæ, cum urgente mortis periculo, deficit aqua naturalis. « Adstante necessitate, ait Mesoloras, omni fideli laico, et ipsi etiam mulieri, permittitur baptismum conferre non solum in aqua, vel *in oleo lampadis* imaginum, vel *infusione arenæ* in desertis locis, sed etiam *in*

1. *Op. cit.*, § 284, p. 333.
2. *Op. cit.*, p. 337-338.
3. *Op. cit.*, p. 329.
4. *Op. cit.*, p. 56.
5. *Op. cit.*, p. 57.
6. Cf. *Trudy, Acad. Kiov., loc. cit.*, p. 259.
7. *Trebnik*, p. 7.
8. *Op. cit.*, p. 23.
9. *Theologia orthodoxa*, t. IV, p. 87.
10. *Op. cit.*, p. 301, n. 1.

aere per elevationem pueri in formam crucis; immo absque ullo materiali elemento, *per simplicem invocationem gratiæ divinæ* [1]. » Baptismum aeris probat etiam Koidakis in suo *Catechismo* : « Deficiente aqua, inquit, quando desertus est omnino locus, puer baptizatur in aere per trinam demissionem et elevationem in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti [2]. » Baptismi arenæ meminit Dyovuniotis, non ut illum commendet, sed monens illum tanquam invalidum a sancto Dionysio Alexandrino olim fuisse habitum [3]. Canonista Milasch item baptismum terræ vel arenæ rejicit ut Scholasticorum quorumdam inutile commentum [4].

Convenientiam aquæ ut hujus sacramenti materiæ optime explicat Gabriel Severus. Hanc inter alias hujus convenientiæ rationem affert :

« Deus ex aquis volatilium naturam eduxit; quibus nos aliquo modo assimilamur. Quemadmodum enim illa ex aquis esse habuere, et a natura ad ea quæ sursum sunt iter faciendi virtutem accepere; ita et nos esse regenerationis ex aqua sancta baptismatis accipimus, et quasi alas aureas, puritatem dico et gratiam divinam habentes, ad cælos, ubi nostra est civitas, elevamur [5]. »

II. — De materia proxima.

Ex tribus modis quibus, juxta doctrinam catholicam, sacramentum baptismi valide conferri potest, per immersionem, scilicet, per infusionem et per aspersionem, solam immersionem, et quidem trinam, seu potius trinam *immersionem* et trinam *emersionem*, Græco-Russi omnes *validam simul et licitam*, extra casum necessitatis, *nostris diebus*

1. « Ἐπιτρέπει τὸ τελεῖν τὸ βάπτισμα οὐ μόνον ἐν ὕδατι ἢ ἐν ἐλαίῳ κανδήλας τῶν εἰκόνων ἢ ἐν ἐπιχύσει ἄμμου (ἀμμώδει ἐπιχύσει)ἐν ἐρήμοις, ἀλλὰ καὶ ἐν ἀέρι διὰ σταυροειδοῦς ἀνυψώσεως τοῦ νηπίου, ὡς ἄνω εἴπομεν (p. 194, n. 3, ubi dicit verba formæ esse pronuntianda, dum in altum elevatur infans), ἢ καὶ ἄνευ τινὸς ὑλικοῦ στοιχείου, ἀλλὰ δι'ἁπλῆς ἐπικλήσεως τῆς θείας χάριτος. » *Op. cit.*, t. II², p. 201.

2. Κατήχησις, p. 133.

3. *Op. cit.*, p. 52, n. 2.

4. *Jus ecclesiasticum, pars IV*, § 170, p. 791, n. 7 versionis græcæ.

5. *Op. cit.*, p. 52.

habent [1]. Quid autem hi theologi sive de baptismo per unam immersionem collato, sive de baptismo per trinam infusionem vel aspersionem olim senserint et adhuc sentiant, nobis inquirendum venit. Non enim unam semper de hac duplici quæstione doctrinam tenuerunt neque nunc tenent tum theologi privati, tum synodi particulares ac publicæ auctoritates Ecclesiarum autocephalarum; sed pro temporum varietate et regionum diversitate in contrarias abierunt sententias; quas exponere non parvi momenti esse nemo non videt, præsertim cum patriarchæ orientales dissidentes, una cum polemistarum turba, baptismum per trinam infusionem collatum carpere et illum Ecclesiæ latinæ tanquam detestandam innovationem exprobrare adhuc pergant [2]. Primum ergo de validitate baptismi per unicam immersionem collati agamus.

I. De baptismo per unam immersionem collato

Notum est baptismum per unam immersionem apud Hispanos catholicos aliquamdiu viguisse in detestationem hæresis arianæ: quem sanctus Gregorius Magnus aliquando probavit, ac post eum theologi catholici validum communiter habuerunt. Ex hac particulari Ecclesiæ hispanicæ consuetudine, rumor inter Græcos, Michaele Cærulario præeinente, vulgatus est Occidentales unica immersione baptizare; quam calumniam non semel, ut jam diximus, polemistæ antilatini renovarunt. Contra validitatem baptismi per unam immersionem collati canonem VII (suppositium concilii œcumenici secundi necnon canonem XCV Trulla-

1. Græci immersionem designant voce κατάδυσις (τριττὴ κατάδυσις καὶ ἀνάδυσις); infusionem voce ἐπίχυσις; aspersionem voce ῥαντισμός. Quando Latinos impetunt, polemistæ dedita opera confundunt ἐπίχυσιν cum ῥαντισμῷ. Unde infusionem Latinorum ῥαντισμὸν communiter nuncupant. Immersio russice vocatur *pogroujenie*, infusio *oblivanie*, aspersio *okroplenie*.

2. Cf. *Encyclicam epistolam quatuor patriarcharum orientalium*, anno 1848, ad respondendum Pio papæ IX datam, et *Epistolam synodalem Anthimi VII*, patriarchæ constantinop., anno 1895 editam, ut Leoni papæ XIII ad unionem Orientales exhortato responsum daret.

num, utrumque Eunomianos haereticos unica immersione baptizatos denuo baptizandos esse statuentem. Byzantini producere poterant [1]; quod et communiter fecerunt, non attendentes unicam immersionem in Eunomianis potuisse esse invalidam tum propter deliberatam intentionem non faciendi quod agebat Ecclesia catholica, tum etiam, juxta quosdam [2], quod formam adulteratam usurparent; eamdem vero ad validum baptismum sufficere apud orthodoxe sentientes, qui cum recta intentione ea uterentur. Inter eos qui validitatem unius immersionis etiam a ministro orthodoxo factæ expresse negarunt, nominandus est Callistus I, patriarcha Constantinopolis, qui in quadam exhortatione ad fideles Tirnovienses, anno 1355, mense decembri data, hæc scripsit [3]:

« Decretum sanctorum gloriosorum apostolorum et eorum sacri canones omnes illos qui in unam immersionem baptizati sunt, tanquam non baptizatos, secundum traditionem Salvatoris rebaptizare jubent. Cum vero omnis qui ex aqua et Spiritu non fuerit regeneratus, secundum evangelicam Salvatoris sententiam, non intrabit in regnum cælorum, manifestum est eum, qui non fuit baptizatus secundum hanc traditionem in tres immersiones, extra cælorum regnum esse. Quæ enim in sancto baptismo peraguntur tres immersiones non sine causa vel forte fiunt, sed mysteria divina ac cælestia subindicant... Unde qui non baptizantur secundum hujusmodi formam sanctificatione ac perfectione omnino carent [3]. »

1. Hos duos canones ignoravit Ecclesia occidentalis.

2. Cf. sanctum Epiphanium, *Hæres.* LXXVI, conf. 36, 6, *P. G.*, t. XLII, col. 637 B; et Sozomenum, *Historia eccles.*, l. VI, c. XXVI; *P. G.*, t. LXVII, col. 1364-1365.

3. « Ἡ γὰρ διάταξις τῶν ἁγίων ἐνδόξων καὶ πανευφήμων ἀποστόλων καὶ οἱ ἱεροὶ τούτων κανόνες πάντας τοὺς βαπτιζομένους εἰς μίαν κατάδυσιν ὡς μὴ βαπτισθέντας, κατὰ τὴν τοῦ Σωτῆρος παράδοσιν, ἀναβαπτίζεσθαι παρακελεύονται. Καὶ ἐπεὶ ὁ μὴ ἀναγεννηθεὶς δι' ὕδατος καὶ Πνεύματος, κατὰ τὴν εὐαγγελικὴν τοῦ Σωτῆρος ἀπόφασιν, οὐκ εἰσελεύσεται εἰς τὴν τῶν οὐρανῶν βασιλείαν, δῆλον ὡς ὁ μὴ βαπτιζόμενος κατὰ τὴν τοιαύτην παράδοσιν ἐκτός ἐστι τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν... Οἱ μὴ βαπτιζόμενοι κατὰ τὸν τοιοῦτον τρόπον ἀτελείωτοι πάντως εἰσὶ καὶ ἐλλιπεῖς » F. Miklosich et J. Müller, *Acta et diplomata græca Medii Ævi*, t. I, 1860, p. 439-440.

Canonista Matthæus Blastares item ad validitatem sacramenti exigit tres immersiones, juxta canonem 50 apostolorum, monetque iterum baptizandos asse quotquot a ministris heterodoxis in unam demersionem fuerint baptizati [1]. Eidem sententiæ sive explicite, sive implicite adhærent plerique alii theologi byzantini necnon illi qui in epocha moderna fuerunt [2]. Necessitatem trinæ immersionis potissimum urserunt omnes rebaptizationis Latinorum propugnatores, ut Philaretus Nikititch in concilio Mosquensi anni 1620 [3], Cyrillus V, patriarcha œcumenicus [4], Eustratius Argentis [5], Athanasius Pariensis [6], Pidalii auctores [7].

Fuerunt tamen pauci qui ab hac communi doctrina recesserunt; inter quos veniunt illi polemistæ qui, quamvis Latinos criminati fuerint quod in unam immersionem baptizarent, non ideo ausi sunt decernere illos rebaptizandos esse [8]. Item, Sylvester Lebedinskii opinatus est trinam immersionem in Ecclesia primum incepisse, postquam hæresis Sabellii exorta est [9]. Andrutsus vero et Dyo-

1. « Ἐν κεφαλαίῳ δὲ εἰπεῖν, ἅπαντας τοὺς εἰς μίαν κατάδυσιν πρὸς τῶν ἑτεροδόξων βαπτιζομένους καὶ τῇ καθολικῇ προσιόντας Ἐκκλησίᾳ αὖθις βαπτίζεσθαι οἱ θεῖοι κανόνες θεσπίζουσι. » *Syntagma alphabeticum*, cap. II, littera α; Cf. litt. β', ad canon. 50 apostolorum. *P. G.*, t. CXLIV, col. 1029 sq., 1097.

2. Implicite huic sententiæ adhærent plerique compendiorum auctores, qui in ipsa definitione sacramenti trinæ immersionis mentionem faciunt.

3. Cf. A. Grenkov, *De concilio Mosquensi anni 1620 sub Philareto patriarcha et de ejus decreto*, in *Pravosl. Sobiesiednik*, 1864, t. I, p. 153-180.

4. Vide infra, p. 78.

5. *Op. cit.*, passim.

6. « Ἀναγκαῖαι καὶ ἀπαραίτητοί εἰσιν αἱ τρεῖς τοῦ βαπτιζομένου καταδύσεις εἰς δήλωσιν τῆς τοῦ Κυρίου τριημέρου ταφῆς... Ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ δευτέρα σύνοδος καὶ ὡς πάντη ἀβαπτίστους οἶδε τοὺς μὴ ἅμα καὶ τὰς τρεῖς φυλάσσοντας καταδύσεις ἐν τῷ βαπτίσματι. » *Op. cit.*, p. 348, 350.

7. « Τὸ λατινικὸν ῥάντισμα, τῶν καταδύσεων καὶ ἀναδύσεων ὂν ἔρημον, ἀκολούθως ἔρημον καὶ τοῦ τύπου τοῦ τριημερονυκτίου θανάτου καὶ τῆς ταφῆς καὶ τῆς ἀναστάσεως τοῦ Κυρίου ὑπάρχει. Ἐκ δὲ τούτων δῆλόν ἐστι καὶ ὁμολογούμενον, ὅτι καὶ ἔρημον πάσης χάριτός ἐστι καὶ ἁγιασμοῦ καὶ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν. » Πηδάλιον, ed. Athen., 1908, p. 75-77.

8. Quosdam ex istis indicavimus supra, p. 62, nota 3.

9. « Grassante Sabellio, qui sacrosanctam Trinitatem impugnabat,

vuniotis nuper concesserunt Eunomianos ab antiqua Ecclesia orientali fuisse rebaptizatos, non tam propter unicam immersionem quam propter hæreticum illorum dogma de mysterio sanctissimæ Trinitatis [1].

2. De baptismo per trinam infusionem vel aspersionem collato

De baptismo per trinam infusionem collato quæri potest 1° Utrum a Græco-Russis habeatur ut licitus? 2° Utrum habeatur ut validus? Huic duplici quæstioni sequentibus propositionibus respondemus :

Prima propositio. — *Baptismus per trinam infusionem collatus* in casu necessitatis *semper habitus est et nunc etiam habetur ut licitus tum a Græcis, tum a Russis.*

Græco-Russi infitiari non possunt in antiqua Ecclesia baptismum per infusionem in casu necessitatis fuisse usurpatum et ratum habitum, v. g., in carceribus martyrum, in domibus graviter ægrotantium (Baptismus *clinicorum* [2].) Unde concedunt in casu necessitatis infusionem licitam esse. Anno 1301, Theognostus, episcopus Saraiensis in Russia, hanc inter alias quæstionem Joanni XII, patriarchæ Constantinopolitano ejusque synodo solvendam proposuit : « Quid faciendum, quando Tatarus aliquis christianus fieri petit,

trinæ immersionis ritus singulari cura observatus fuit, *licet antea unaquaque immersione sive ablutione baptismum peractum fuisse ex historia liquido constet.* » *Op. cit.*, p. 461.

1. « Ὀρθοτέρα φαίνεται ἡμῖν ἡ γνώμη, ὅτι ἡ σύνοδος ἐκδέχεται ὡς Ἕλληνας τοὺς Εὐνομιανοὺς οὐχὶ ἁπλῶς διὰ τὸ εἰς μίαν κατύδυσιν βαπτίζειν, ἀλλὰ διότι διὰ τῆς μιᾶς καταδύσεως ἐσκόπουν νὰ σημάνωσιν τὰς ἀντιτριαδικὰς αὐτῶν δοξασίας. » Andrustus, Συμβολική,. p. 277 in nota. Idem asserit Dyovuniotis, *op. cit.*, p. 55.

2. Constantinus Œconomus ostendere nititur baptismum *clinicorum*, quem nomine περίχυσις (perfusio) designat, diversum fuisse ab *infusione* (ἐπίχυσις) Latinorum : Σημειώσεις τινὲς εἰς τὴν περὶ τοῦ τύπου τοῦ μυστηρίου τοῦ ἁγίου βαπτίσματος ἀνώνυμον διατριβήν (Agitur de opere William Palmer), in Τὰ σῳζόμενα ἐκκλησιαστικὰ συγγράμματα Κωνσταντίνου τοῦ ἐξ Οἰκονόμων, t. I. Athenis, 1862, p. 414-415. In hoc primo volumine operum Constantini Œconomi, inveniuntur tria ejus opuscula polemica contra validatem baptistimi per infusionem collati, p. 398-485, 486-492, 493-515.

et vas ad immersionem sufficiens deest, nec inveniri potest? » Synodus respondit : « In hoc casu, sacerdos super baptizandum aquam ter infundit (*oblivaiet*) dicendo : *Baptizatur N... in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* [1]. »

SECUNDA PROPOSITIO. — NOSTRIS DIEBUS, *theologi græcorussi omnes* ILLICITUM *pronuntiant baptismum per trinam infusionem administratum extra casum necessitatis. Sæculo XVII tamen apud Yugorussos, et sæculo XVIII initioque sæculi XIX per totam Russiam, baptismus per infusionem licitus habebatur ac usurpabatur æque fere ac baptismus per immersionem. Neque talis baptismus in Russia meridionali adhuc penitus obsolevit.*

Theologi hodierni quum russi tum græci uno ore declarant infusionem esse prohibitam et tanquam gravem abusum exstirpandam; unde in ipsa definitione sacramenti trinam immersionem fere omnes ponunt. Russi tamen candide fatentur infusionem in sua Ecclesia a sæculo XIII ad nostra usque tempora non raro usitatam fuisse, præsertim in Russia occidentali et meridionali, et ibidem etiam nunc quandoque adhiberi [2]. Cæterum immersio prout a sacerdotibus russis sæpe fit, non est totalis, sed mergitur tantum caput infantis, ut oculati testes fide digni nuper asserebant [3]. Sæculis XIV et XV, Pskovienses et Novogrodienses per infusionem baptizabant; quod constat ex litteris metropolitarum Cypriani (1390-1405) et Photii (1408-1431) illos monentium, ut a tali praxi abstinerent et immersionem facerent [4]. Hujusmodi tamen metropolitarum prohibitiones ad tollendum abusum parum aut nihil profecerunt. Exstant enim duo *Trebnika* seu *ritualia* russica annis 1602 et 1616

1. Ita in cod. *191* bibliothecæ Academiæ ecclesiasticæ Mosquensis. Historicus Karamsin loco *oblivaiet* falso posuit *pogruzaiut*. Cf. hierom. Mikhail, *De baptismo per immersionem et infusionem*, in *Pribavleniia operibus sanctorum Patrum*, pars XIV (1855), p. 432-471, et præsertim articulum, cui titulus : *Examen decretorum synodi Constantinopolitanæ de quæstionibus Theognosti, episcopi Saraiensis* (1301) in *Pravosl. Sobiesiednik*, 1863, t. I, p. 142-173.

2. Cf. Plotnikov, *op. cit.*, p. 74; Malinovskii, *Compendium theologiæ dogmaticæ*, t. II, p. 332.

3. Cf. *Revue augustinienne*, t. XIV (1909), p. 16-17.

4. Cf. *art. cit. de decretis concilii Constantinopolitani circa quæstiones Theognosti Saraiensis, loc. cit.*, p. 151-152.

edita, infantes per trinam infusionem baptizare præscribentia [1]. Mox vero ipse metropolita Kioviensis, Petrus Moghila, suo rituali sequentem rubricam inseruit :

« Sacrum baptisma *perficitur tum per totius corporis immersionem, tum per infusionem aquæ super caput. Unaquæque Ecclesia sive hunc sive illum baptizandi modum observet, juxta consuetudinem ab antiquo receptam.* Ritûs caput est trinam immersionem vel trinam infusionem perficere, verba formæ proferendo [2]. »

Ex his verbis patet Petrum Moghilam utrumque baptizandi modum ex æquo probare. Ei consenserunt omnes theologi russi sæculi XVIII et sæculi XIX ineuntis, sub duplici influxu theologorum ɣugorussorum et Reformatorum Germaniæ. Anno 1724, jussu Petri Magni, Theophanes Procopovitch, ex Malorussia oriundus et per infusionem baptizatus, sicut et Malorussi fere omnes hujus temporis, opusculum composuit et edidit hoc titulo insignitum : *Vera justificatio christianorum recte credentium, baptismo infusionis in Christo baptizatorum* (slavonice), in quo contra *Starovieros rascolnikos* (et etiam contra factionem veterum Moscovitarum) non solum validitatem, sed etiam perfectam liceitatem, orthodoxam indolem et cum immersione æqualem dignitatem baptismi per infusionem collati tuetur [3]. Eamdem sententiam tenuerunt Theophanis discipuli, et jam in ipsa definitione sacramenti tum immersionem tum infusionem (quam aliqui nomine *adspersionis* designant) æque memorarunt. Audiatur, v. g., Theophylactus Gorskii in suo compendio :

« Ad aquam autem actus *immersionis* vel *adspersionis* seu *ablutionis* accedat necesse est, ut materiale baptismi exsurgat. *Forma* baptismi in eo consistit, quod *immersio* ista *seu adspersio* fiat secundum modum a Deo præscriptum...

1. A. Seraphimov, *De receptione christianorum heterodoxorum in Ecclesiam orthodoxam. (Dissertatio historica contra bezpopovtsos)*, in *Trudy Kiov.*, 1864, t. II, p. 330 sq.

2. *Trebnik*, p. 8.

3. Morozov, *Theophanes Procopovitch ut scriptor* (russice), Petropoli, 1880, p. 291-292. Tertia editio hujus opusculi vulgata est Mosquæ, anno 1784. Insuper parti IV operum Theophanis insertum est, Mosquæ, anno 1774, et anno 1779 ejusdem versio latina ibidem publicata est.

Hinc recte colligimus non una sed trina *immersione* aut *adspersione* baptismum esse peragendum cum hac formula ab orientali orthodoxa Ecclesia semper usurpata : *Baptizatur servus Dei*, etc. [1]. »

Definitionem sacramenti a Lebedinskii traditam jam supra retulimus [2] ; præterea auctor hæc addit :

« Modus quo baptismus in nostra Ecclesia peragitur duplex est, ut patet ex definitione, alter *immersionis*, alter *ablutionis* [3]. »

Nostrorum theologorum instar, idem notat verbum græcum βαπτίζειν proprie significare *tingere*, « sive id fiat per immersionem, sive per infusionem, sive per aspersionem [4]. »

Initio sæculi XIX (anno 1811 vel 1812), Theophylactus episcopus Riazanensis, Methodius Smirnov, Tveri episcopus, et Philaretus Drozdov libellum de differentiis inter Ecclesiam occidentalem et Ecclesiam orientalem vigentibus singuli conscripserunt, in quo legitur « Ecclesiam græco-russicam probare quidem immersionem ad baptismum, sed permittere etiam infusionem tanquam usum vim sacramenti non tollentem [5]. » Non multo post vero, theologi russi infusionem tanquam abusum carpere inceperunt, tum ut differentiam cum Ecclesia græca, quæ jam ab anno 1755 baptismum per infusionem collatum omnino repudiabat et Latinos rebaptizabat, aliquatenus attenuarent; tum etiam ut rascolnikis, qui probationem baptismi per infusionem dati tanquam novitatem in fide « Orthodoxis » exprobrabant, facilius responderent.

TERTIA PROPOSITIO. — *Ex quo usus infusionis apud Latinos invaluit usque ad annum 1755, plerique Græci validitatem baptismi per modum infusionis* EXTRA CASUM NECESSITATIS *collati non negarunt, neque de rebaptizandis ob hanc causam Latinis unquam cogitarunt; ex illis tamen qui-*

1. *Op. cit.*, ed. Mosquensis, 1831, p. 243.
2. P. 64.
3. *Op. cit.*, p. 478.
4. *Ibid.*, p. 485.
5. Hic triplex libellus editus est in *Tchteniia Societ. imperialis historiæ et antiquitatum russicarum apud universitatem Mosquensem*, 1870, t. I, p. 1-44. De baptismo agitur, p. 25 et 32.

dam talem baptismum dubium habere visi sunt. Ab anno autem 1755 ad nostra tempora, iidem Græci de validitate baptismi hujusmodi in triplicem abierunt sententiam : Plerique hunc baptismum esse validum negarunt; quidam ejus validitatem affirmarunt; alii, mediam viam tenentes, dixerunt eum DOGMATICE *esse validum,* PRACTICE *vero invalidum.*

In sua *Epistola encyclica ad omnes orthodoxos*, Marcus Ephesius ad bina baptismata a Catholicis recepta, « unum quod trina immersione confertur, alterum quod aquæ infusione a summo vertice », jam alludit [1]; non tamen decernit Latinos per infusionem baptizatos tanquam infideles in Ecclesiam « orthodoxam » esse recipiendos, sed ipse testatur illos tunc temporis per unctionem chrismatis receptos fuisse [2]. Hunc reconciliationis modum authentice probavit ac in posterum præscripsit synodus Constantinopolitana anno 1484 habita, cui interfuerunt patriarchæ Orientales. Theologi græci sæcul. XVI et XVII improbant quidem infusionem tanquam novitatem et abusum tollendum; eam vero vim sacramenti irritare declarare non audent [3]; immo eorum consilio et exhortatione, Russi in synodo Mosquensi anni 1666-1667 Latinos rebaptizare cessarunt; item anno 1718, Jeremias III, patriarcha oecumenicus, Lutheranos et Calvinistas per infusionem baptizatos Petro Magno rescripsit non esse rebaptizandos [4]. Quidam tamen validitatem baptismi per infusionem collati in dubium vocare visi sunt; inter quos nominandus est Dositheus Hierosolymitanus [5].

1. *Epistola encyclica*, 2, ed. L. Petit, in *Patrologia orientali*, t. XVII, p. 450 : « διττὰ δὲ βαπτίσματα, τὸ μὲν διὰ τριττῆς καταδύσεως τελειοῦν, τὸ δὲ δ'ἐπιχύσεως ὕδατος ἐκ κορυφῆς ἄνωθεν. »

2. « Διὰ τί δὲ καὶ χρίομεν τῷ μύρῳ τοὺς ἐξ αὐτῶν ἡμῖν προσιόντας; Οὐκ εὔδηλον ὡς αἱρετικοὺς ὄντας. » *Ibid.*, 4, p. 452.

3. Cf. Jeremiam II, in II *Resp. ad Tubingenses*, c. IV. Κριτὴς τῆς ἀληθείας, t. I, p. 181; Nectarius, *De principatu papæ* (versio latina Allixii, Londini, 1702), p. 42, 73.

4. De rebaptizatione Latinorum et Protestantium infra agimus, in art. VII, p. 103 sq.

5. « Οἱ μὴ βαπτιζόμενοι εἰς τρεῖς ἀναδύσεις καὶ καταδύσεις (χωρὶς ἀναγκαίας αἰτίας) κινδυνεύουσιν εἶναι ἀβάπτιστοι Ὅθεν καὶ οἱ Λατῖνοι, οἱ τὸ βάπτισμα ποιοῦντες ῥαντισμῷ, θανασίμως ἁμαρτάνουσι. » Ἱστορία περὶ τῶν ἐν Ἱεροσολύμοις πατριαρχευσάντων, Bucarestii, 1715, p. 525.

Inde ab anno 1750, monachus quidam fanaticus, Auxentius nomine, Latinos rebaptizandos esse prædicare cœpit, tum quod essent hæretici, tum quod per infusionem baptizati; cujus suggestioni morem gessit Cyrillus V, patriarcha œcumenicus, et decreto mense julio anni 1755 dato Latinos rebaptizare jussit ob hanc potissimum causam : quod in baptismo trinam immersionem non observarent [1]. Ab hoc tempore, plerique theologi graci validitatem baptismi per trinam infusionem extra casum necessitatis collati negare consueverunt. Præcipui hujus sententiæ tenaces fuere : Eustratius Argentis [2], Christophorus Aetolus [3], Callinicus V, patriarcha Constantinopolis [4], auctores Pidalii [5], Athanasius Pariensis [6], Constantinus Œconomus [7], Damalas [8], Mesoloras [9], Bernardakis [10]. Quidam tamen theologi inter recentiores validitatem trinæ infusionis jam agnoscunt. Ita, v. g., canonistæ Apostolus Christodulu [11] et Sakellaropulus [12]. Alii, ut Andrutsus [13] et Dyovuniotis [14], quasi viam mediam tenent. Trina infusio, inquiunt, ad validi-

1. Cf. quæ dicuntur infra, p. 111 sq.

2. In suis operibus Ῥαντισμοῦ στηλίτευσις, Constantinopoli, 1756, et Ἐγχειρίδιον περὶ βαπτίσματος καλουμένου χειραγωγικὸν πλανωμένων, Constantinopoli, 1756.

3. In suo opere, Φῶς τῶν ἐν σκότει, Constantinopoli, 1757.

4. In quadam epistola canonica *De modo celebrandi baptismum et Eucharistiam*, anno 1808 data, in qua haec leguntur : « Κρατοῦντος τοῦ ἀναδόχου τὸ βρέφος, ἐπιχεοῦσιν ἐπ' αὐτὸ τὸ ὕδωρ....τὸ τοιοῦτον ἐπιχυσις λατινικὴ εἶναι μᾶλλον ἢ βάπτισμα... Καὶ οὕτω μένουσιν οἱ ἄθλιοι χριστιανοὶ καὶ ἀβάπτιστοι, φεῦ! καὶ ἀμύητοι. » Cf. Ioan. Κανονικαὶ διατάξεις, t. II, p. 87-91.

5. Ηηδάλιον, p. 75-76, 168 in nota.

6. *Op. cit.*, p. 350, n. 1 : « Οἱ Λατῖνοι πάντες ἀβάπτιστοι εἰσιν καὶ χείρους τῶν Εὐνομιανῶν. »

7. Hic tria opuscula conscripsit contra baptismum per infusionem collatum, quæ jam indicavimus, p. 73, nota 2.

8. Περὶ ἀρχῶν, p. 142-143.

9. *Op. cit.*, t. II², p. 247, n. 8 : « Ἡμεῖς φρονοῦμεν, ὅτι οὔτε ἐγκυρον τοῦτο δύναται νὰ θεωρηθῇ, ἅτε μὴ γενόμενον ἐν ἀνάγκῃ καὶ κατὰ τὰ διατεταγμένα. »

10. Κατήχησις, p. 161-162.

11. *Op. cit.*, p. 397.

12. *Op. cit.*, p. 443.

13. Συμβολική, p. 278; Δογματική, p. 331-333.

14. *Op. cit.*, p. 54-55.

latem sacramenti per se sufficit, et fundamentum dogmaticum præbet exercitio *œconomiæ* ex parte Ecclesiæ; vera autem ratio propter quam Latini et alii rebaptizantur, est quod sint hæretici, et quod gratia divina extra veram Ecclesiam non operetur. Eamdem doctrinam aliis verbis Chrysostomus Papadopulus nuper proponebat : « Baptismus latinus, inquit, est *dogmatice* verus et validus, *canonice* vero adulterinus [1]. »

Argumenta, quibus polemistæ græci validitatem baptismi per infusionem collati impugnant, eadem sunt quæ Anabaptistæ et Baptistæ jamdudum protulerunt. Insistunt præsertim in significatione verbi græci βαπτίζειν, quod in Novo Testamento solam immersionem designare dicunt, et in mystica significatione baptismi secundum doctrinam sancti Pauli.

Quarta propositio. — *A sæculo XV ad annum 1667, Moscovitæ infusionem Latinorum non solum illicitam, sed etiam invalidam communiter habuerunt; postea vero, ut supra diximus, Russi omnes hunc baptizandi modum tanquam validum simul ac licitum agnoverunt, et ipsi adhibuerunt; recentiori tempore demum, illum illicitum quidem pronuntiarunt; ejus autem validitatem contra rascolnikos (illos præsertim qui bezpopovtsy appellantur) communiter tuiti sunt iisdem fere argumentis, quibus theologi catholici uti solent contra Anabaptistas, Baptistas et Græcos rebaptizantes.*

Ut fusius infra narrabimus, Moscovitæ, inde a sæculo XV, Latinos rebaptizare cœperunt tum quod hæretici essent, tum quod infusionem in baptizando adhiberent. Synodus Mosquensis anni 1620 hujus duplicis rationis expressam mentionem fecit [2]. Decreto hujus synodi innixi, *Starovieri rascolniki*, præsertim *bezpopovtsy*, validitatem trinæ infusionis contra Niconianos semper negaverunt, ad illas aucto-

1. « Δογματικῶς ὀρθὸν καὶ ἔγκυρον, κανονικῶς δὲ παράτυπον. » Περὶ τοῦ βαπτίσματος τῶν ἑτεροδόξων, in Ἐκκλησιαστικὸς Φάρος, t. XIV (1915), p. 469-483. Verba citata leguntur, p. 483.

2. Cf. A. Grenkov, *art. cit., loc. cit.*, p. 159-162; Anonymum auctorem articuli inscripti : *Documenta ad illustrandam historiam concertationum polemicarum Russorum contra lutheranismum in primo dimidio sæculi XVII*, in *Pravoslav. Sobiesiednik*, 1861, t. II, p. 241-276, 391-418.

ritates et rationes theologicas provocantes, quas Anabaptistæ et recentiores Græci rebaptizantes communiter producunt. Unde contigit, ut Niconiani validitatem baptismi per modum infusionis facti defendere coacti fuerint. Notandum est autem eos diversa certandi ratione uti, prout contra Latinos infusionem esse illicitam statuere nituntur, vel contra rascolnikos ejusdem validitatem probare contendunt. Ad Latinos redarguendos dicunt, v. g., verbum βαπτίζειν nonnisi immersionem totalem designare, illasque proferunt traditionis antiquæ auctoritates, quas ipsi rascolniki illis objiciunt, ut invaliditatem baptismi per infusionem collati astruant [1]. E contra, dum rascolnikos refellunt, oppositam viam ineunt. Tunc, v. g., ad instar theologorum catholicorum, asserunt verbum βαπτίζειν in Novo Testamento non semper significare immersionem totalem, sed quandoque etiam ablutionem partialem vel infusionem [2].

ARTICULUS III

De forma baptismi.

Forma baptismi in ritu byzantino est declarativa, et ita sonat : Βαπτίζεται ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ ὁ δεῖνα εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, *Baptizatur servus Dei N. in nomine Patris et Filli et Spiritus Sancti.* Post

1. Cf. Mikhail hierom., *art. cit.*, p. 437-438; Evsevii, *De baptismo*, in *Pribavleniia oper. sanctorum Patrum*, t. IV (1857), p. 102; Malinovskii, *op. cit.*, p. 330.

2. Cf. I. Nilskii, *Examen argumentorum quibus rascolniki bezpopovtsy fundant suam praxim rebaptizandi Orthodoxos adras col transeuntes*, in *Khristianskoe Tchtenie*, 1865, I, t. p. 606-652; t. II, p. 154-180, speciatim, p. 166-170. De doctrina et praxi rascolnikorum russorum vide, præter dissertationes jam laudatas : 1° P. Smirnov, *Lites inter rascolnikos de receptione Orthodoxorum in Ecclesiam rascolnikam in primo dimidio sæculi XVIII*, in *Khristianskoe Tchtenie*, 1908, t. II, p. 815-851; 2° I. Nilskii, *Discussio doctrinæ bezpopovtsorum de personis quibus liceat baptismum conferre*, in *Khristianskoe Tchtenie*, 1865, t. I, p. 83-114; 3° A. Seraphimov, *De receptione christianorum heterodoxorum in Ecclesiam orthodoxam. Dissertatio historica contra bezpopovtsos*, in *Trudy ac. Kiov.*, 1864, t. II, p. 281-366; 481-516; 4° Compendia theologiæ polemicæ contra rascolnikos. Cf. t. I hujus operis, p. 619-621.

nomen Spiritus Sancti, communiter adduntur verba : νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν : *Nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen* [1]; « quæ virtutis indeficientis baptismum esse declarant; nisi dixeris ministri votum esse, quo gratiam in baptismo acceptam in perpetuum suscipienti adfuturam vel ominatur vel deprecatur [2]. » Euchologia quædam habent vocem *Amen*, post nomen Spiritus Sancti et ante *Nunc et semper*, etc. [3]. « Hoc *Amen* subjungi nihil prohibet, ait Neophytus Rhodinus, quia jam sacramenti forma completa dignoscitur [4]. » Sed quid dicendum de additione ejusdem vocis *Amen* post uniuscujusque personæ nomen, ut ferunt omnia euchologia græca et russica edita et ipsum *Trebnik* Petri Moghilæ [5], ita ut forma sic concipiatur : *Baptizatur servus Dei N. in nomine Patris, amen; et Filii, amen; et Spiritus Sancti, amen, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen ?* Additamenta hujusmodi desunt quidem apud Simeonem Thessalonicensem; leguntur vero jam apud Josephum Bryennium († circa 1435) [6]; item occurrunt in plerisque compendiis et catechismis græcis recentioribus [7]. Hoc *Amen* post nomen Patris et nomen Filii esse supprimendum nemo non videt [8].

« Propter dictionis βαπτίζεται affinitatem ad aliam vocem latinam *Baptizetur*, commenti sunt quidam Græcos in baptismate deprecatoria vel imperativa forma uti; quo

1. Ita in editione goariana euchologii, Venetiis, 1730, p. 290.

2. Goarius, *In baptismatis officium*, nota 23. *Ibid.*, p. 298-299. Quidquid sit de hac mystica interpretatione, hæc verba sunt superflua, nec cum forma declarativa bene cohærent. Unde Melkitæ catholici illa jure suppresserunt. Cf. *Euchologium Melkitarum*, Hierosolymis, 1865, p. 54.

3. Ita in editione romana Euchologii, Romæ, 1873, p. 157.

4. Σύνοψις τῶν θείων καὶ ἱερῶν τῆς Ἐκκλησίας μυστηρίων εἰς ὠφέλειαν τῶν ἱερέων, Romæ, 1633. Cf. Goarium, *op. cit.*, n. 22, p. 298.

5. *Trebnik*, p. 7.

6, « Δέον ἐν μιᾷ ἑκάστῃ [καταδύσει] ἓν ὄνομα ἐπιφημίζειν τῆς μακαρίας Τριάδος, τὸ Ἀμὴν ἐπιλέγοντα. » Κεφάλαια ἑπτάκις ἑπτά, κεφ. λθ'. *Opera*, t. III, p. 106.

7. Cf. v. g., Mesoloram, *op. cit.*, p. 196; C. Oeconomum, Κατήχησις, p. 62; Bernardakim, Κατήχησις, p. 158-159; Gegle, Κατήχησις, p. 74.

8. Goar, *Euchologium Græcorum : In baptismatis officium*, nota 22. ed. Venet. 1730, p. 298. Hujusmodi additamenta ferunt Euchologii omnes venetianæ editiones inde a sæcul. XVI publicatæ.

vel leviter perspecto, cessant quæstiones ex præsentium verborum inscitia ortæ [1]. »

Hujus formæ declarativæ Græcorum primus omnium meminit historicus Theodorus Lector. [2] Postea occurrit apud Joannem Moschum [3]. Alii aliter ejus introductionem in euchologium byzantinum explicant [4]; de qua quæstione quidquid sit, certo tenendum est hanc formam esse validam, ut concilium Florentinum in *Decreto pro Armenis* declaravit [5]. De excellentia vero formæ græcæ præ latina, et vice versa, discutere puerile est. Utraque enim suum proprium habet meritum. Forma activa Latinorum verbis Christi : *Baptizantes eos* est conformior, et personam ministri directe manifestat, dum causa principalis, quæ est sanctissima Trinitas, per nomina personarum sufficienter indicatur. Passiva autem forma, in Præcursoris phrasi : *Ego debeo a te baptizari* fundata, « de sacramenti accepta gratia suscipientem magis certum reddit, et ubi conferentis personam non palam memorat, merita quoque illius non attendit, solumque Deum gratiæ auctorem agnoscit [6] »: unde et humilitatem insinuat. Non ita polemistæ antilatini in bonam partem rem accepere, sed præeunte Simeone Thessalonicensi formam latinam nigro lapillo notare inceperunt vel quod liberum catechumeni ad baptismum accessum non declaret, vel potissimum quod supercilium occidentale redoleat. Primus audiatur Simeon :

« *Baptizatur*, dicit pontifex, non vero : *Ego baptizo*, ut

1. *Ibid.*, n. 20. Cf. S. Thomam, *Summa theologica*. III pars, q. LXVI, art. 5, ad 1.

2. *Historia ecclesiastica*, II, 25, *P. G.*, t. LXXXVI, col. 196.

3. Λειμών, c. LXVI, *P. G.*, t. LXXXVII, col. 3045.

4. Cf. Staerk, *op. cit.*, p. 123.

5. « Forma baptismi est : *Ego te baptizo*, etc. Non tamen negamus quin et per illa verba : *Baptizatur talis servus Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, vel : *Baptizatur manibus meis talis in nomine Patris*, etc., verum perficiatur baptisma; quoniam cum principalis causa, ex qua baptismus virtutem habet, sit sancta Trinitas, instrumentalis autem sit minister qui tradit exterius sacramentum : si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum cum sanctæ Trinitatis invocatione, perficitur sacramentum. » Denzinger-Bannwart, *Enchiridion Symbolorum et definitionum*, nº 696.

6. Goar, *op. cit.*, *In bapt. officium*, n. 20, p. 298.

aiunt Latini, in hoc quoque res novas molientes, baptizati libertatem testificans. Illud enim : *Ego te baptizo* non indicat eum qui illuminatur libenter baptizari. Fieri enim potest, ut vi quadam et contra voluntatem baptizati tingat eum solus a semetipso baptizator. At vero illud *Baptizatur* et voluntarium significat, et a me pontifice sive sacerdote sacramentum conferri, opusque esse tum ministri, tum unius in Trinitate Dei, cujus et nomen super baptizato profertur [1]. »

Manuel Corinthius Latinos de superbia jam redarguit, atque de ipsa validitate formæ latinæ dubitare videtur :

« Nos quippe dicimus : *Baptizatur servus Dei*, inde ostendentes liberum et voluntarium motum baptizandi accedentis ad sacrum baptisma. Vos vero arroganter ac superbe dicitis : *Baptizo ego* talem; quod certe non in eumdem scopum nobiscum collineat. Quomodo ergo unum et idem esset baptisma? Periculose enim hoc et facitis et dicitis [2]. »

Hanc de superbia criminationem libenter renovant theologi recentiores; quam quibusdam antiquorum Patrum textibus roborant. Ita, v. g., Andrutsus [3], Malinovskii [4], Perov :

« Impersonalis forma verborum sacramentum baptismi in Ecclesia orthodoxa perficientium, ait Perov, in formam personalem mutata esta pud Catholicos; at vero neque essentia rei neque Ecclesiæ praxis tali mutationi sufficiens præbent fundamentum. Ipsa Ecclesia romano-catholica fatente, efficacia ac momentum sacramentorum a ministris non pendet, quia verus omnium sacramentorum perfector est Jesus Christus ipse. Atqui supra dicta formula virtutis efficientis

1. *De sacramentis*, c. LXIV; *P. G.*, t. CLV, col. 228-229. Huic ratiunculæ Simeonis Arcudius acute respondet : « Βαπτίζεται, ait, τὸ ἑκουσίως σημαίνει. » Ita forte diceret Simeon : « Τύπτεται Συμεὼν ἢ μαστίζεται ὑπό τινος, τὸ ἑκουσίως σημαίνει! » *Op cit.*, l. I, c. VIII, p. 19.

2. « Ὑμεῖς δὲ ἀλαζόνως πως καὶ ὑπερηφάνως φατέ· Βαπτίζω ἐγὼ τὸν δεῖνα· ὅπερ οὐ τὸν αὐτὸν τῷ ἡμετέρῳ ἔχει σκοπόν. Πῶς οὖν ἐν γένοιτ'ἄν; Ἐπισφαλῶς γὰρ τοῦτο καὶ ποιεῖτε καὶ λέγετε. » Ἀπολογία καὶ ἀνατροπὴ τῶν κεφαλαίων τοῦ Φρᾶ Φραντζέσκου, ζ'. *P. G.*, t. CXI, col. 480.

3. « Τοὐναντίον ἐν τῇ δυτικῇ Ἐκκλησίᾳ συμφώνως πρὸς τὸν ἀπότομον καὶ ὀξὺν χωρισμὸν τοῦ κλήρου ἀπὸ τοῦ λαοῦ, ὁ ἱερεὺς παρίσταται αὐτὸς τελῶν καὶ μεταδιδοὺς ἀπ'εὐθείας τὴν χάριν, λέγων· Ἐγὼ σὲ βαπτίζω. » Συμβολική, p. 279. Cf. Δογματικήν, p. 334.

4. *Op. cit.*, t. II, p. 342-343.

baptismi hunc suggerit sensum, quod efficacia baptismi ab ejus ministro tanquam a principali, et omnem alium excludente agente pendeat. Unde formula ista ipsi doctrinæ Ecclesiæ romanæ de essentia sacramentorum aperte contradicit. Sacerdotes sacramentum perficientes, utpote qui personam Christi referunt, omnino decet profundæ humilitatis sensus, propriæ culpabilitatis et indignitatis conscientia necnon reverentia coram pastorum principe, qui illos elegit, ut per eorum ministerium copiosa suæ gratiæ dona fidelibus communicaret; illos vero minime decet arrogans propriæ excellentiæ manifestatio, vel suæ dignitatis conscientia præ aliis, quibus gratiæ dona distribuunt. Igitur sacerdotes catholici, dum in baptizando proferunt : *Ego te baptizo*, apertum perhibent testimonium de sibi inhærente arrogantia ac superbia, quæ ministros sacramentorum dedecet. Christianis sibi confidentibus (et ipsis pariter sacramentorum ministris) humilitatis sensum suadens, sanctus Joannes Chrysostomus dicit : « Observa quomodo Christus fuerit ab omni ostentatione alienus. Non dixit : « Ecce ego te sanum feci. » Sed dixit : *Ecce tu nunc sanus; jam amplius noli peccare.* Item non dixit : « Vos vero ego baptizo Spiritu Sancto », sed : *Baptizabimini*, nos docens de nobis modeste sentire [1]. » Beatus Augustinus asserit Jesum Chrisum, dum mulierem peccatricem in domo Simonis Pharisæi absolvit, dixisse : *Remissa sunt ei peccata multa* (Luc., VII, 47), non vero : « Ego remitto ei peccata. » Medicus bonus, inquit, ægros non solum præsentes sanabat, sed et futuros etiam prævidebat : Futuri erant homines qui dicerent : « Ego peccata dimitto; ego justifico; ego sanctifico; ego sano quemcumque baptizo [2]. » Consequenter, catholici sacerdotes, præfata baptismi forma utentes, ab ipso Jesu Christo condemnati sunt. Si ergo forma catholica baptismi essentiæ rei non respondet, quando sacramentum a sacerdote conficitur, quanto magis hoc asserendum,

1. S. Joannes Chrysostomus, *Homil. I in Actus Apostolorum*, 5, *P. G.*, t. LX, col. 21. Hunc textum jam laudat Gabriel Severus, *op. cit.*, p. 61, apologiam texens formæ græcæ; cui respondet Arcudius, *op. cit.*, l. I, c. VIII, p. 15 sq.

2. Cf. Arcudium, *loc. cit.*

quando minister est simplex laicus, vel etiam infidelis; qui, teste Statsevitch in suo *Catechismo*, p. 106, instante periculo vel necessitate, sunt ministri extraordinarii sacramenti [1]. »

Hæc polemista russus; cui opponi possunt verba Græci Dyovuniotæ, Latinos ab omni errore in usu formæ activæ vindicantis [2].

Notandum est demum Cyrillum V patriarcham ejusque asseclas Armenos rebaptizandos esse decrevisse, tum quod hæretici essent, tum quod formam baptismi ter repeterent eique verba quædam adjicerent [3].

ARTICULUS IV

De effectibus baptismi.

Quid de charactere baptismali Græco-Russi sentiant, in præcedenti capite diximus. Alios autem baptismi effectus communiter dividunt in *negativos*, ad deletionem peccati ejusque pœnarum spectantes, et *positivos*, communicationem scilicet gratiæ et divinorum charismatum respicientes. Hos omnes inter se intime cohærere et ab invicem de facto separari non posse recte docent [4]. Simeon Thessalonicensis solus negativos a positivis disjungere aliquando visus est, illos baptismo, hos vero Confirmationi tribuens. Scripsit enim :

« Igitur necessario indigemus nos quoque hujus spiritualis unguenti [Confirmationis scilicet], ac magis in ipso baptismate. Neque erit quispiam perfecte baptizatus qui unguentum non susceperit. Siquidem baptismo regeneratur, et a peccatis abluitur Spiritu. Cæterum *pignora gratiæ*, *ut*

1. *Manuale theologiæ polemicæ*, 6ª ed., Tulæ, 1905, p. 75-76.

2. « Ὁ ἱερεὺς καὶ ἐν τῷ τύπῳ τούτῳ δὲν παρίσταται ὡς ὁ παρέχων τὴν χάριν, ὥς τινες ἀτόπως δέχονται. Κατὰ τὴν γνώμην τῆς τε ἀνατολικῆς καὶ δυτικῆς Ἐκκλησίας τὴν χάριν παρέχει ὁ Θεὸς διὰ τοῦ ἱερέως. » *Op. cit.*, p. 55, n. 1.

3. Cf. opus Eustratii Argentis : Ῥαντισμοῦ στηλίτευσις, p. 31-32.

4. Macarius, *op. cit.*, p. 329-331; Andrutsus, Δογματική, p. 320-322, Malinovskii, p. 333-335.

etiam odorem vitæ et signaculum Spiritus nondum habet. Unde, ut baptizari, ita etiam τῷ μύρῳ ungi necesse est... *Nulla gratia præditus nulloque signaculo apud Christum est insignitus qui* τὸ μύρον *non suscepit*[1]. »

Varios baptismi effectus optime recenset Dositheus in capite XVI *Confessionis fidei*, errorem Reformatorum de natura justificationis simul redarguens :

« Primus effectus est originalis peccati remissio et aliorum, quotquot voluntate propria is qui baptizatur admisit. Secundus ab æternis, quæ sive propter originale sive propter propria mortalia peccata manebant hominem, pœnis eximit. Tertio, immortalitatem baptizatis tribuit; illos enim a peccatis præcedentibus justificans, in Dei templa restituit. Neque dicere licet omnia prorsus quæ baptismum præcessere peccata per hunc non deleri, sed manere quidem, at vim amittere. Extremæ enim id impietatis est, et pietatis abnegatio censenda magis quam confessio. Profitendum porro quodcumque peccatum, quod ante baptismum aut est, aut fuit, deleri, atque perinde ac si nunquam exstitisset, reputari. Etenim baptismi figuræ et verba baptismum præsignantia ac perficientia perfectam munditiam designant, idemque et illa, quibus appellatur, vocabula confirmant. Si enim *per Spiritum et ignem* fit baptismus, perfectam utique munditiam hunc esse manifestum est (Matth., III, 11). Si *lumen* (Heb., IV, 4), tenebras dissipat: si *regeneratio* (Tit., III, 5), utique vetera desiere. Quæ porro ista, nisi peccata? *Veterem hominem* si, qui baptizatur, *exuit*, (Colos., III, 9), ergo et peccatum. *Christum si induit*, (Gal., III, 27), igitur per baptismum a peccato mundus actu efficitur; longe enim a peccatoribus Deus. Quod et apertius Paulus edocet, dicens : *Sicut per unum peccatores constituti sumus multi, ita et per unum justi* (Rom., V, 19). Atqui si justi, ergo et a peccato liberi; neque enim simul esse possunt vita et mors. Si vere mortuus est Christus, vera

1. « Οὐκ ἔσται τελείως τις βαπτισθεὶς ὁ μὴ καὶ τὸ μύρον δεξάμενος. Τῷ μὲν γὰρ βαπτίσματι ἀναγεννᾶται καὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἀπολούεται Πνεύματι· οὐκ ἔτι δὲ καὶ τοὺς ἀρραβῶνας ἔχει τῆς χάριτος οὐδὲ τὴν ὁσμὴν τῆς ζωῆς, οὐδὲ τὴν σφραγῖδα τοῦ Πνεύματος. » *De sacramentis*, 43, col. 188.

profecto est quæ per Spiritum fit remissio... Porro æque ac Ordo, baptismus characterem imprimit indelebilem [1]. »

Ab hac prorsus orthodoxa doctrina sæculo XVIII recessere Theophanis Protopovitch alumni, qui theologorum lutheranorum vestigiis inhærentes, dixerunt peccata per baptismum tolli *non ut non sint, sed ut non obsint* [2], et negarunt insuper existentiam characteris indelebilis.

ARTICULUS V

De ministro baptismi.

Græco-Russi, sicut et Catholici, docent sacerdotem (episcopum vel presbyterum) esse ministrum ordinarium sacramenti baptismi [3]. Magna autem apud eos opinionum varietas deprehenditur circa validitatem baptismi collati :

1° a laico orthodoxo in casu necessitatis vel extra casum necessitatis;

2° ab hæretico, sacerdote vel laico;

3° ab schismatico, sacerdote vel laico;

4° a sacerdote deposito vel degradato;

5° ab infideli.

I. — De ministro orthodoxo laico.

Urgente necessitate, christianus laicus quilibet, etiam femina, *modo sit orthodoxus*, licite ac valide baptismum conferre potest. Ita libri symbolici dicti [4], et theologi recentiores fere omnes. Quidam tamen contradicunt [5].

1. Kimmel, *op. cit.*, t. I, p. 454-456. Brevius *Confessio orthodoxa* eamdem doctrinam tradit, p. I, q. CIII. *Ibid.*, p. 174-175.

2. Ita expressis verbis Lebedinskii, *op. cit.*, p. 485.

3. Cf. *Confess. orthod.*, I p., q. CII, CIII. Kimmel, p. 172-174; *Conf. Dosithei*, c. XVI. *Ibid.*, p. 454.

4. Cf. *Confess. orth.*, et *Confes. Dosithei, ibid.*; *Confess. Metrophanis Critopuli*, c. VII. Kimmel, t. II, p. 110.

5. Validitatem baptismi a laicis etiam urgente necessitate collati rejiciunt : 1° Matthæus Blastares, *op. cit., littera* β', c. III *ad can.* 47 *apostolorum*, *P. G.*, t. CXLIV, col. 1108-1109. (Cf. Arcudium, *op. cit.*, l. I, c. XII, p. 35-38); 2° Pidalii auctores, *ad can. 47 apost.*, p. 71 in nota, qui expresse dicunt rebaptizandum esse puerum in mortis periculo a laico etiam fideli baptizatum : « Ὁμοίως πρέπει νὰ βαπτί-

Extra casum necessitatis, baptismus a laico orthodoxo collatus ab omnibus habetur ut *illicitus*, et a non paucis etiam ut *invalidus*. Hanc ultimam sententiam tenent Photius [1], Mesoloras [2], Dyovuniotis [3], etc.

Rascolniki *bezpopovtsy*, apud Russos, validitatem baptismi a laicis collati variis argumentis ex sacra Scriptura et historia ecclesiastia desumptis acriter propugnant [4]. Cum enim inter eos non sit sacerdos, res summi illorum interest. Porro, quamvis inter eos minister sacramenti sit semper laicus, ultra casum necessitatis thesim non extendunt; siquidem docent, tempore Antichristi, quod jam advenisse credunt, omnem hierarchiam, omne sacerdotium verum cessare ac vacare, ita ut tantum remaneant pii laici [5].

ζονται καὶ ἐκεῖνοι ὅπου ἤθελαν βαπτισθῇ ἀπὸ λαϊκὸν ἐν καιρῷ κινδύνου, ἂν δὲν ἀποθάνουν, ἀλλὰ ζήσουν μετὰ ταῦτα. » Nicodemus Haghiorita idem repetit in suo Ἐξομολογηταρίῳ, ed. Venet., 1857, p. 136; 3° Athanasius Pariensis, *op. cit.*, p. 354 : « Τὰ δὲ ὑπὸ λαϊκῶν ἐν καιρῷ ἀνάγκης βαπτιζόμενα νήπια, ἐὰν ἐπιζήσωσι, βαπτίζεσθαι δεῖ ἄνωθεν. » Ut suam sententiam stabiliant, hi auctores provocant ad can. 7 sancti Basilii, ad can. 47 apostolicum, ad can. 26 et 46 Laodicenos, ad Constitutiones apostolicas, l. V, c. x, et l. VI, c. xv. Addunt tamen *Pidalii* auctores : « Εἶναι δὲ γνώμη τινῶν, ὅτι τὰ ὑπὸ λαϊκῶν ἐν ἀνάγκῃ βαπτισθέντα νήπια, πρέπει νὰ μνημονεύωνται μετὰ τῶν ὀρθοδόξων, ἐὰν ἀποθάνουν, ὡς ἐν ἐλπίδι ὄντα θείου ἐλέους τυχεῖν. »

1. *Responsa canonica ad Leonem archiepiscopum. Epist.*, l. I, *epist.* xviii; *P. G.*, t. ci, col. 773-776. Cf. Hergenröther, *op. cit.*, t. iii, p. 138-140, 594.

2. « Ἄνευ ἀνάγκης ἀνυπερβλήτου, κἂν τὰ οὐσιώδη φυλάττωνται, οὔτε θεμιτὸν, οὔτε κανονικὸν, οὔτε τελειωτικὸν, οὔτε ἔγκυρον λογιζόμεθα τὸ βάπτισμα ὑπὸ λαϊκῶν τελούμενον. » *Op. cit.*, p. 203-204.

3. *Op. cit.*, p. 30-31, 44-45. Huic sententiæ Andrutsus etiam suffragari videtur. Δογματική, p. 334, n. 3. Nota insuper haud paucos de hac quæstione tacere, insistere in extrema necessitate requisita, ut laicis baptismum conferre liceat, satis habentes.

4. Provocant, v. g., ad Joannem Baptistam, qui laicus erat; ad apostolos ante Christi resurrectionem baptizantes; ad Philippum diaconum eunuchum reginæ Candacis baptizantem; ad Ananiam sanctum Paulum tingentem; ad martyres laicos qui in carceribus aliquos baptizarunt; ad quosdam textus sancti Gregorii Nazianzeni, Nomocanonis Athonitarum, *Kormtchaiæ Knighæ* slavicæ, Trebniki Petri Moghilæ, etc. Cf. I. Nilskii, *art. cit.*, in *Lectione christiana*, 1865, t. i et ii; compendia theologiæ polemicæ contra rascolnikos.

5. Ad hoc non semper attendunt polemistæ niconiani, dum bezpopovtsos confutant.

II. — De ministro haeretico.

Quæstio de validitate baptismi a ministro hæretico (sive ille sit sacerdos, sive laicus), collati, quæ jam sæculo III inter sanctum Cyprianum et sanctum Stephanum papam agitata est, in Ecclesia græco-russica nondum definite soluta est. Qualis autem erat hujus quæstionis status in Ecclesia byzantina ante schisma consummatum, breviter declarare necesse est.

Notum est multos ex antiquis Patribus græcis sæcul. III et IV cum Tertulliano et sancto Cypriano sensisse baptismumque hæreticorum in genere respuisse. Ita Firmilianus Cæsariensis (*Epist.*, LXXV inter *Cyprianas*), sanctus Athanasius, saltem pro Arianis, Manichæis, Montanistis et Paulianistis (*Contra arianos*, II, 42, 43. Cf. tamen *Ad Serapionem epist.* I, 29, 30); Didymus Alexandrinus pro Eunomianis et Montanistis (*De Trinitate*, II, 15); sanctus Cyrillus Hierosolymitanus (*Procatech.*, 7); sanctus Gregorius Nazianzenus (*Or.* XL, 26); sanctus Basilius (*Epist.*, CLXXXVIII seu canon 1; *Epist.*, CXLIX seu can. 47). Rejicitur etiam baptismus hæreticorum in *Constitutionibus apostolicis*, l. VI, c. XV, et in *Canonibus Apostolorum* 46, 47 et 68. His auctoritatibus opponi possunt haud pauca documenta æqualis vel etiam majoris momenti validitati baptismi hujusmodi suffragantia, scilicet : 1° auctoritas et praxis Ecclesiæ occidentalis, in qua, saltem ab initio sæculi IV, baptismus hæreticorum ut validus unanimiter recipitur; 2° Sententia sancti Dionysii Alexandrini (Eusebius, *Hist. eccl.*, VII, 1-6, 9.; sancti Epiphanii (*Expositio fidei catholicæ*, 13); auctoris *Quæstionum et responsionum ad orthodoxos*, sæc. V (*Inter Spuria* sancti Justini, in *P. G.*, t. VI); 3° Concilium Nicænum I, in canone 8 non solum baptismum, sed etiam ordinationes Novatianorum recipiens, et in canone 19 solos Paulianistas inter hæreticos rebaptizare decernens [1]; 4° *Epis-*

1. Teste sancto Athanasio (*Orat.* II *contra Arianos*, 43, *P. G.*, t. XXVI, col. 238), Paulianistæ formam trinitariam in baptizando recitabant; quod negant quidam Latini, ut Innocentius I et sanctus Augustinus. Horum hæreticorum baptismus saltem dubius jure videri poterat.

tola synodi Constantinopolitanæ ad Martyrium, patriarcham Antiochenum (460-470), quæ tanquam canon 7 concilii œcumenici II (381) postea habita est, et nunc etiam a Græco-Russis habetur. In hac epistola, ut validus recipitur baptismus Arianorum, Novatianorum, Macedonianorum. Sabbatianorum, Quartodecimanorum et Apollinaristarum: rejicitur vero baptismus Eunonianorum in unam immersionem baptizatorum [1]; Montanistarum, Sabellianorum [2]. et aliorum hæreticorum; 5° *Canon* 95 synodi Trullanæ, qui repetit (quantum ad baptisma) et quibusdam additamentis complet *Epistolam ad Martyrium*, rebaptizandis addens Manichæos, Valentinianos, Marcionitas aliosque ejusdem indolis hæreticos; non rebaptizandis autem Nestorianos, Eutychianos, Severianos aliosque Monophysitas [3]; 6° Concilium Nicænum II (787), qui non solum baptismum, sed etiam ordinationes Iconoclastarum ratas habet [4].

Ex his apparet veterem Ecclesiam byzantinam ex una parte multorum hæreticorum baptismum ut validum authentice habuisse; ex alia vero, multorum etiam baptisma respuisse, quin tamen certam tradiderit regulam seu criterium discernendi rebaptizandos a non rebaptizandis. Insuper, magna obscuritas et confusio exinde pro Byzantinis oriri potuit, quod synodus Trullana, tanquam œcumenica ab eis semper habita, in suo canone in globo approbavit decreta inter se circa hanc quæstionem pugnantia, videlicet : synodum sancti Cypriani anno 256 habitam; canones apostolicos 46, 47 et 68; canones 1 et 47 sancti Basilii omnium hæreticorum baptismum indiscriminatim reji-

1. Ex hoc quod unam tantum immersionem adhibebant, eunomiani satis aperte declarabant se non habere intentionem faciendi quod faciebant Catholici.

2. Ex illorum errore trinitario eorum baptismus valde suspectus erat; cæterum aliæ rationes nobis ignotæ eos rebaptizandi adesse potuerunt.

3. Alium hæreticorum elenchum locupletiorem dat Timotheus, presbyter Constantinopolitanus (circa annum 600), in suo opusculo : *De receptione hæreticorum*, *P. G.*, t. LXXXVI, col. 11-68; quantum ad modum illos recipiendi, Timotheus cum canone 95 Trullano consentit.

4. De doctrina antiquæ Ecclesiæ orientalis circa baptismum hæreticorum, vide Tixeront, *Histoire des dogmes*, t. I, p. 396-403; t. II, p. 168-170; t. III, p. 229-233.

cientes; et canonem 8 synodi Nicænæ I, canonem 7 synod, secundæ œcumenicæ (*Epistolam ad Martyrium*), canones 55, 66, 78 Carthaginenses, multorum hæreticorum baptismum (vel etiam ordinationes) recipientes. Ipsa synodus Trullana in suo canone 95 hæreticos in tres classes dividebat : rebaptizandorum videlicet, reconfirmandorum, et cum sola fidei professione errorumque abjuratione recipiendorum.

Post schisma consummatum, Græco-Russi, talia elementa contradictoria in suo corpore juris invenientes, ab hac intricatissima quæstione de validitate baptismi ab heterodoxis christianis collati nunquam se expedire potuerunt, ita ut novo quodam concilio œcumenico solutionem controversiæ adhuc exspectent [1]. Unde mirum non est eos, pro temporum varietate, diversam agendi viam inivisse, præsertim erga Catholicos cujuscumque ritus [2]. Jam sæculo XI, teste Nicone Raithuensi, quidam, contra usum patriarchiorum orientalium, Armenos rebaptizandos esse arbitrabantur, quod eorum ordinationes invalidæ essent [3]. Inde a sæculo XII, casus rebaptizationis Latinorum tum apud Græcos, tum apud Russos ab ipsis Latinis memorantur [4]; quæ

1. Notum est concilium Tridentinum (sess. VII, can. 4) quæstionem contra Protestantes explicite definivisse : « Si quis dixerit baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum, anathema sit. »

2. Variationes Græco-Russorum in recipiendis Catholicis in suam Ecclesiam fusius narramus infra, art. VII, p. 103 sq.

3. *Pandecte, c. ultimum, P. G.*, t. LXXXVI, col. 72-73. Hunc Niconem Russi appellant *Niconem Montis Nigri.*

4. Jam cardinalis Humbertus, in sententia excommunicationis contra Michaelem Cærularium ejusque asseclas lata, queritur quod hi « sicut Ariani rebaptizent in nomine Trinitatis baptizatos, *et maxime Latinos.* » *P. L.*, t. CXLIII, col. 1003, et *P. G.*, t. CXX, col. 744. Sæculo XII, Hugo Etherianus contra Græcos idem crimen iterat : « Quemcumque Latinum sibi associant per fidem, sive latenter, sive patenter baptizant. Unde Latinorum filios, mediantibus matribus, dicti sacerdotes, patribus nescientibus, rebaptizant baptizatos jam secundum ritum Latinorum. » *Contra Græcos, P. G.*, t. CXL, col. 550 B. Sæculo XIII, concilium Lateranense IV, in capite IV, inscripto : *De superbia Græcorum contra Latinos*, hæc habet : « Baptizatos a Latinis ipsi Græci rebaptizare ausu temerario præsumebant, et adhuc, sicut accepimus,

tamen praxis, si revere alicubi exstiterit [1], quorumdam sacerdotum vel episcoporum privato incepto, non vero synodis aut Ecclesiarum primatibus tribuenda est, saltem usque ad sæculum xv. Ab hoc autem sæculo, Russi Latinos rebaptizare jam inceperunt [2]. Cum autem quidam episcopi Moscovitæ hanc praxim improbarent, et Latinos per solam chrismatis unctionem recipiendos esse contenderent [3], Philaretus Nikititch, patriarcha Mosquensis, anno 1620 synodum Mosquæ congregavit, quæ decrevit Latinos omnes rebaptizandos esse, ob hanc potissimum causam, quod hæretici essent, illis hæreticis, quos antiqui canones per baptismum recipi jusserunt, omnino assimilandi. In altera ejusdem synodi actione, quæ die 16 decembris anni 1621 habita est, rebaptizationi subjecti sunt non solum Catholici

quidam hoc agere non verentur. » Mansi, *Amplissima coll. conciliorum*, t. xxii, col. 990. Russi etiam accusantur quod Latinos rebaptizent tum ab Honorio papa III (1216-1227), tum a Gregorio IX (1227-1241). Cf. Marcovitch, *Gli Slavi ed i Papi*, Zagrabii, 1897, t. ii, p. 15; Golubinskii, *Historia Ecclesiæ russicæ*, Mosquæ, 1901, t. i, p. 559-560.

1. Ægre quis infitias ibit quosdam Latinos per hanc periodum a Græco-Russis de facto rebaptizatos fuisse.

2. Rebaptizatio Latinorum apud Russos in praxim regulariter deducta est post concilium Florentinum, cujus decreta tanquam hæretica in concilio Mosquensi anni 1441 damnata sunt. Metropolita Jonas (1453-1462) Catholicos romanos ideo rebaptizandos pronuntiavit, quod per infusionem, non per immersionem baptizarentur. Cf. *Khristianskoe Tchtenie*, 1876, t. ii, p. 169 sq. Alii rationem rebaptizationis invenerunt in multiplicibus hæresibus Latinorum. Alii demum utrumque motivum in medium protulerunt. Quosdam casus rebaptizationis notarunt historici : 1° Volpe, cujus interventu Sophia ex imperiali Palæologorum familia oriunda, Ivano III nupta est, post annum 1455 rebaptizatus est. Pierling, *La Russie et le Saint-Siège*, Parisiis, 1896, t. i, p. 171; 2° Sequenti sæculo, Guilelmus Popler rebaptizatus est. Pierling, *op. cit.*, t. ii, p. 6; 3° Circa annum 1654, Dominicanus quidam, qui captivus in Russia detinebatur, item rebaptizatus est. Pierling, t. iv, p. 42-43.

3. Occasione conversionis Marinæ Mnischek ad « Orthodoxiam », patriarcha Ignatius (1606) illam per solam chrismatis unctionem recepit. Mox vero patriarcha Hermogenes rebaptizationem Latinorum instauravit. Jonas tamen, metropolita Saraiensis et Podonensis, duos Polonos catholicos Orthodoxiam russicam amplexos rebaptizare vetuit, illosque recipere jussit per unctionem chrismatis et fidei professionem; quod ut rescivit Philaretus Nikititch, metropolitam ab officio suspendit, moxque synodum Mosquensem ad dirimendam litem congregavit. Cf. A. Grenkov, *art. cit.*, *loc. cit.*, p. 153-158.

ritus latini, verum etiam Catholici ritus byzantini, per trinam immersionem secundum morem Orientalium baptizati; immo illi Uniti, qui in Ecclesia russica dissidenti a sacerdote « orthodoxo » primum rite baptizati, ab « Orthodoxia » postea defecissent [1]. Praxis hujusmodi in Ecclesia moscovitica viguit usque ad synodum Mosquensem anni 1667, in qua, patriarchis orientalibus Macario Antiocheno et Paisio Alexandrino suadentibus, decretum synodi Mosquensis anni 1620 de rebaptizatione Catholicorum abrogatum est, utpote fundamento canonico carens [2]. *Perrexerunt* tamen Moscovitæ rebaptizare Protestantes usque ad annum 1718, quo Jeremias III, patriarcha Constantinopolis (1716-1726), a Petro Magno interrogatus, Protestantes non esse rebaptizandos, sed cum sola chrismatione et fidei professione recipiendos, ei rescripsit [3]. Ab hoc tempore, theologi russi validitatem baptismi hæreticorum contra bezpopovtsos propu-

1. Grenkov, *ibid.*, p. 159-168; Smirnov, *Philaretus Nikititch*, in *Tcheniia Societatis amatorum culturæ religiosæ*, 1873, t. I, p. 109-144, 330-360, 776-842; t. II, p. 405-444; 1874, t. I, p. 234-270, 432-466, 607-676, 804-852. Hujusmodi articuli unum volumen efformarunt, ab auctore, Mosquæ, 1874, editum.

2. Jam in synodis Mosquensibus an. 1655 et 1656, quæstio de Latinorum rebaptizatione discussa est. In synodo anni 1656, cum Macarius Antiochenus declarasset Latinos non esse hæreticos proprie dictos, sed tantummodo schismaticos, Russi statuerunt Latinos esse recipiendos sine baptismatis iteratione; quod synodus anni 1667 novis argumentis confirmavit. Cf. Macarium, *Historia Ecclesiæ russicæ*, t. XII, p. 173, 195-197; A. Grenkov, *Decreta synodi Mosquensis* (1666-1667), *de rebaptizatione*, in *Pravoslavny Sobiesiednik*, 1863, t. III, p. 348-351.

3. Quanquam synodus Mosquensis anni 1620 de Protestantibus siluit, Russi eos rebaptizabant. Disputationes de validitate baptismi Protestantium annis 1644-1645 habitæ sunt inter theologos Moscovitas et pastores lutheranos, dum meditabatur matrimonium Irenes, tsari Michaelis Feodorovitch filiæ, cum principe Valdemaro, filio Christiani IV, Danorum regis. Consilio mox utrimque destiterunt, quia Valdemarus rebaptizari renuit. Contra baptismum lutheranorum theologi russi sequentes rationes protulerunt : 1° Immersio est de essentia sacramenti; baptismus per infusionem collatus est invalidus, nec peccata dimittit; 2° Lutherani sacerdotium non habent; ergo baptizare nequeunt; 3° Sunt hæretici; atqui baptismus hæreticorum est immunditia maxima; 4° Veram formam non usurpant. Cf. articulum cujusdam anonymi auctoris inscriptum : *Documenta ad historiam*

gnarunt [1]. Bezpopovtsy enim decreta synodi Mosquensis an. 1620-1621 adhuc observant, et hæreticos quoscumque Niconianis non exceptis, rebaptizant, ad antiquos Patres necnon ad canones apostolicos, qui hæreticos rebaptizandos esse statuunt, provocantes [2].

Quod de Moscovitis retulimus, ad Yugorussos seu Kiovienses extendi nequit. Hi enim valorem baptismi hære-

concertationum polemicarum cleri russici contra lutheranismum in primo dimidio sæculi XVII, in *Pravosl. Sobiesiednik*, 1861, t. II, p. 241-276, 391-418. Occasione prædicti consilii de matrimonio Irenes et Valdemari, Petrus Moghila, rege Poloniæ instigante, die 16 septembris anni 1644, patriarchæ œcumenico Parthenio II (1644-1646) scripsit, ut ille sua auctoritate rebaptizationem lutheranorum et calvinistarum Russis dissuaderet. Cf. Hurmuzaki, *Documenta privitoare la istoria Romanilor*, Bucarestii, 1882, t. IV, p. 693 sq. Mense novembri, patriarcha per ambages respondit, periculum prætendens, ne Moscovitæ legatum trucidarent quem « religioni baptismatis adversantem viderent. » *Ibid.* Interim Parthenius II Russis rescripserat Calvinistas et Lutheranos esse rebaptizandos. Cf. A. N. Muraviev, *Relationes Russiæ cum Oriente in negotiis ecclesiasticis* (*russice*), Petropoli, 1860, t. II, p. 292-293, 301-302, 307-308.

1. Vide compendia theologiæ polemicæ contra rascolnikos et compendia theologiæ dogmaticæ orthodoxæ : Antonius Amphiteatrov, *op. cit.*, § 288, ed. græc., p. 336-337; Macarius, *op. cit.*, t. II, p. 335, etc. Philaretus Drozdov in *Catechismo longiori*, I p. *ad X art. Symboli*, hæc habet : « Quare in symbolo fidei non fit mentio de omnibus sacramentis sed de uno baptismo? » — Resp. : « Quia de baptismo dubium fuit num *quosdam, puta hæreticos, iterum baptizare oporteret*; *de quo necessaria fuit solutio, quæ in ipso fidei symbolo posita est.* — Quare in symbolo fidei præscribitur confiteri *unum baptisma?* — Resp. : « Hoc sic intelligendum, scilicet quod baptisma non iteratur. »

2. Cf. I. Nilskii, *Discussio argumentorum quibus rascolniki bezpopovtsy suam consuetudinem Orthodoxos rascol ingredientes rebaptizandi fundant*, in *Khristianskoe Tchtenie*, 1865, t. I, p. 606-652; t. II, p. 154-180. Primum quidem ipsi *rascolniki popovtsy* inter se litigarunt de modo recipiendi Niconianos in suam Ecclesiam. Quidam ex illis baptismum Niconianorum, utpote hæreticorum, invalidum habebant, illosque rebaptizandos esse pronuntiabant. Alii vero, post Avvakum, eorum baptismum recipiebant; quorum sententia prævaluit. Cf. P. Smirnov, *Controversiæ apud rascolnikos de modo recipiendi ingredientes in rascol, in primo dimidio sæculi XVIII*, in *Khristianskoe Tchtenie*, 1908, t. II, p. 815-851. Quidam bezpopovtsy eo usque devenerunt, ut seipsos baptizarent, et vocati sunt *samokrechtchentsy*. Cf. P. Sokolov, *Samokrechtchentsy in gubernio Saratoviensi*, in *Khristianskoe Tchtenie*, 1897, t. II, p. 315-343.

ticorum agnoscebant neque Occidentales (Catholicos vel Protestantes) rebaptizabant. In suo rituali Petrus Moghila scribit : « Si hæretici Ecclesiæ ritus observent, ad novum baptisma non adiguntur, quando convertuntur, sed super eos supplentur cæremoniæ omissæ [1]. » Verum quidem est *Confessionem orthodoxam* ad validitatem sacramenti in ministro exigere rectam fidem in unum Deum personis trinum [2]; at vero meminisse oportet hanc Confessionem, prout nunc legitur, a Græco Meletio Syrigo fuisse correctam, nec doctrinam Kioviensium perfecte repræsentare.

Nunc autem si ad Græcos iterum oculos convertamus, invenimus illos validitatem baptismi hæreticorum communiter admisisse [3] usque ad decretum Cyrilli V Constantinopolitani (1755) de Latinis et Armenis rebaptizandis. Occurrunt quidem temporum decursu, ut supra diximus, aliquot casus rebaptizationis Armenorum, Latinorum vel aliorum; sed hoc pertinet ad quorumdam presbyterorum vel episcoporum privatum tentamen, non ad Ecclesiæ byzantinæ vel græcæ authenticum decretum. Solus Parthenius II, anno 1644 ad Russos rescribens, rebaptizationem Protestantium approbare visus est. Hoc autem dixit non ex propria persuasione, sed ut Moscovitis complaceret, sicut ex sua eodem anno data ad Petrum Moghilam responsione constat [4]. Ipsi Græci, ut diximus, Russos a rebaptizatione Catholicorum et Protestantium deterruerunt.

1. *Trebnik*, p. 15-16.

2. Pars I, q. CII : « μόνον ἐκεῖνος ὅπου βαπτίζει νὰ πιστεύῃ ὀρθοδόξως ἕνα Θεὸν τρισυπόστατον. » Hoc directe adversatur canoni 7 secundi concilii œcumenici necnon canoni 95 Trullano, qui baptismum arianorum et Macedonianorum recipiunt. Hujusmodi enim hæretici rectam in Deum trinum fidem non habebant.

3. Dico *communiter*, quia passim inveniuntur quædam sententiæ discrepantes. Sic in responsione canonica cujusdam Anonymi, qui Medio Ævo vivebat, legimus sacramenta ab hæretico occulto administrata esse valida, non vero sacramenta ab hæretico publico. M. Gedeon, Ἀρχεῖον, p. 216-218. Similem doctrinam professi erant Donatistæ (cf. S. Augustinum, *Contra Cresconium*, II, 17, 21) necnon quidam Monophysitae. Cf. J. Tixeront, *La lettre de Philoxène de Mabboug à 'Abou-Niphir*, in *Revue de l'Orient chrétien*, t. VIII (1903), p. 621-630. Nota etiam doctrinam in *Confessione orthodoxa* expressam.

4. Vide quæ de hujusmodi litteris mox retulimus, p. 93, nota 3.

Dositheus, in *Confessione fidei*, c. xv, aperte docet hæreticorum baptisma esse validum et *perfectum* :

« Hæreticos, inquit, suam hæresim abjurantes et ad catholicam Ecclesiam accedentes Ecclesia recipit; qui perfectum baptisma receperunt, quamvis fidei defectu laboraverint. Unde perfectam fidem postea adepti, non rebaptizantur [1]. »

Inde vero a decreto Cyrilli V promulgato, plerique theologi græci antiquam thesim sancti Cypriani de hæreticis rebaptizandis amplexi sunt, et adhuc tuentur. Illam invenies, v. g., apud Eustratium Argentis [2], auctores Pidalii [3], Athanasium Pariensem [4], Constantinum Œconomum [5], Damalam [6], Mesoloram [7], Andrutsum [8]. Dyovuniotis proprio modo quæstionem solvit. Affirmat siquidem valorem baptismi hæreticorum a valore pendere eorum ordinationum. Cum autem ejus sententia sit ordinationes hæreticorum esse ex se invalidas sacerdotesque hæreticos esse meros laicos, sequitur eum etiam baptisma hæreticorum rejicere [9].

1. « Οἱ γὰρ αἱρετικοί, οὓς τὴν αἵρεσιν ἀποσεισαμένους καὶ προστεθέντας τῇ καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ δέχεται ἡ Ἐκκλησία καίτοι ἐλλιπῆ ἐσχηκότες τὴν πίστιν, τέλειον ἔλαβον τὸ βάπτισμα· ὅθεν τελείαν ὕστερον τὴν πίστιν κεκτημένοι οὐκ ἀναβαπτίζονται. »

2. In operibus jam indicatis.

3. P. 65-70, 166-167, 297.

4. *Op. cit.*, p. 354 : « Τὸ παρὰ τῶν αἱρετικῶν διδόμενον οὐ βάπτισμα, ἀλλὰ μόλυσμά ἐστιν. »

5. *Secundus de baptismate libellus* (= *Epistola ad Alex. Sturdzam*) *loc. cit.*, p. 486-592.

6. Περὶ ἀρχῶν, p. 144 : « Ἡ ἡμετέρα Ἐκκλησία λέγει· Ὁ Κύριός μοι παρρήγειλε νὰ βαπτίζω πάντας ὅσους δὲν ἐβάπτισα. »

7. *Op. cit.*, t. II², p. 202. Admittit tamen Mesoloras hæreticum valide baptizare in casu urgentis necessitatis, *ibid.*, p. 203-204. Ita etiam Koidakis, Κατήχησις, p. 133.

8. Δογματική, p. 303-309 : « Ἡ ὀρθόδοξος Ἐκκλησία, ἐχομένη τῆς δόξης, ὅτι ἐκτὸς τῆς Ἐκκλησίας δὲν ἐνεργεῖ ἡ χάρις τοῦ Πνεύματος, ἀπεδοκίμασεν ἀείποτε τὰ ἐκτὸς αὐτῆς τελούμενα μυστήρια οὐ μόνον τὰ μὴ κατὰ τύπον ὀρθῶς τελούμενα, ἀλλὰ καὶ τὰ φυλάσσοντα ἀλώβητον τὸ ἐξωτερικὸν μέρος. »

9. *Op. cit.*, p. 65, 162 : « Τὸ ἔγκυρον τοῦ βαπτίσματος τῶν αἱρετικῶν ἐξηρτᾶτο ἀνέκαθεν ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ ὄχι μόνον ἐκ τῆς κανονικῆς τελέσεως τοῦ βαπτίσματος, ἀλλὰ καὶ τῆς ἀναγνωρίσεως τοῦ ἐγκύρου τῆς ἱερωσύνης παρὰ τοῖς αἱρετικοῖς, καὶ μάλιστα τῆς ἰδέας τῆς Ἐκκλησίας ὡς ταμιούχου τῆς θείας χάριτος. »

Jam vero quidam theologi inter recentiores ad pristinam Ecclesiæ græcæ doctrinam, quam jamdudum tenet Ecclesia russica, redeunt; inter quos notamus canonistam Sakellaropulum [1], Bernardakim [2], C. Bapheidem [3].

Varias explicationes a theologis græcis excogitatas, ut de variationibus suæ Ecclesiæ circa valorem baptismi hæreticorum rationem reddant, missas hic facimus, et ad ultimum hujus capitis articulum remittimus.

III. — De ministro schismatico.

Schismatici communiter hæreticis assimilantur quoad sacramentorum administrationem; unde pauci sunt theologi qui de valore baptismi ab eis collati speciatim sermonem faciant. Quidam inter antiquos, ut videre est ex canone sancti Basilii, schismaticos proprie dictos ab hæreticis plane distinxerunt quantum ad valorem baptismi, illorum baptismum recipientes, horum respuentes [4]. Moderni rebaptizationis hæreticorum propugnatores inter Græcos sententiæ sancti Cypriani et Firmiliani adhærent pronuntiantque schismaticos, quemadmodum et hæreticos, rebaptizandos esse; quod si, inquiunt, quidam olim schismaticorum baptismum ratum habuerunt, hoc *per dispensationem*, κατ'οἰκονομίαν, non vero secundum legis rigorem, κατ'ἀκρίβειαν, fecerunt. Secundum τὴν ἀκρίβειαν, baptismus schismaticorum est invalidus [5].

1. *Op. cit.*, p. 443.

2. Κατήχησις, p. 160-161 : « Ἐκκλησία ἀνεγνώρισε καὶ ἀναγνωρίζει πάντοτε τὸ βάπτισμα καὶ αὐτῶν τῶν ἄλλως αἱρετικῶν καὶ σχισματικῶν, ἐὰν ἐτελέσθη μόνον κατὰ τὰς διατάξεις τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν συνόδων. »

3. Κατήχησις, ed. 2, Constantinopoli, 1886, p. 95 : « Ἡ Ἐκκλησία συμφώνως πρὸς τὴν διδασκαλίαν αὐτῆς δέχεται καὶ αὐτὸ τὸ βάπτισμα τῶν σχισματικῶν καὶ αἱρετικῶν ὡς ἔγκυρον καὶ ἀληθινόν, ὅταν τοῦτο τελῆται παρ'αὐτοῖς συμφώνως πρὸς τὰς ἀποστολικὰς καὶ συνοδικὰς διατάξεις. »

4. « Ἔδοξε τοῖς ἐξ ἀρχῆς τὸ μὲν τῶν αἱρετικῶν παντελῶς ἀθετῆσαι, τὸ δὲ τῶν ἀποσχισθέντων ὡς ἔτι ἐκ τῆς Ἐκκλησίας ὄντων παραδέξασθαι. » Ipse sanctus Basilius rebaptizationi schismaticorum potius favebat.

5. Ita præsertim *Pidalii* auctores. Cf. Πηδάλιον, *ed. cit.*, p. 65-66, 138, 358, 566-567.

IV. — De ministro sacerdote deposito vel degradato.

Ii theologi soli validitatem baptismi a sacerdote deposito collati negare possunt qui utrumque simul docent, scilicet : 1° depositionem (τὴν καθαίρεσιν) omnem ordinis potestatem in perpetuum auferre; 2° baptismum a laico extra casum necessitatis ministratum esse invalidum. Jam vero theologi russi recentiores, qui primum tenent, alterum asserere non audent, validitatemque baptismi rascolnikorum quum popovtsorum tum etiam bezpopovtsorum communiter agnoscunt; quos in suam Ecclesiam sola chrismatis unctione recipiunt [1]. Ipsi *Pidalii* græci auctores de hac quæstione dubii hærent [2].

V. — De ministro infideli.

Theologi catholici pro certo communiter habent valere baptismum ab infideli in forma Ecclesiæ perfectum [3]. Plerique Græco-Russi de hâc quæstione tacent; qui vero eam tangunt negativam dant responsionem, docentque baptismum ab infideli etiam in casu necessitatis collatum omni virtute salutari carere. « Ecclesia occidentalis, ait Andrutsus, inde a Nicolao I tenens Judæos et paganos valide baptizare posse, eo devenit, ut externam sacramenti actionem consideret tanquam instrumentum per syllabarum sonum

1. Cf I. Strelbitskii, *Confutatio rascolis* (russice), Odessæ, 1896, p. 229; I. Nilskii, *Discussio doctrinæ bezpopovtsorum de personis baptismum conferre valentibus*, in *Khristianskoe Tchtenie*, 1865, t. I, p. 91-93. Nuperrime tamen *Renovatores* querebantur quod *Tikhoniani* rebaptizarent jam baptizatos a sacerdotibus *Renovationis*. Cf. *Viestnik sanctissimæ Synodi Ecclesiæ orthodoxæ russicæ*, 1927, n. 3, p. 22.

2. P. 44-45 in nota. Vide p. 58 et 430.

3. Hæc doctrina potissimum innititur decreto concilii Lateranensis IV (caput *Firmiter*) : « Sacramentum baptismi... tam parvulis quam adultis in forma Ecclesiæ a quocumque rite collatum proficit ad salutem »; et *Decreto ad Armenos :* « In causa autem necessitatis non solum sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, immo etiam paganus et hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ et facere intendat quod facit Ecclesia. » Denzinger, *op. cit.*, n. 430 et 696.

et exteriores motus mechanice operans et gratiam communicans[1]. »

ARTICULUS VI

De necessitate baptismi ad salutem.

Baptismum aquæ tam parvulis quam adultis esse absolute necessarium ad salutem consequendam unanimiter docent Græco-Russi tum contra antiquos Pelagianos[2], tum contra modernos Protestantes. Hanc necessitatem pluribus argumentis suadet Dositheus in cap. XVI *Confessionis fidei :*

« Credimus sanctum baptisma, a Domino quidem institutum et in nomine sanctæ Trinitatis collatum, esse summe necessarium. Etenim sine illo salvari nemo potest, juxta Domini sententiam : *Nisi quis renatus fuerit*, etc. (Joan., III, 5). Igitur et parvulis necessarium est, quandoquidem et ipsi originali peccato obnoxii sunt, cujus remissionem sine baptismo consequi non possunt; quod ostendens Dominus nequaquam de quibusdam tantum, sed simpliciter et de omnibus dixit : *Nisi quis renatus fuerit*, etc. Quod idem est ac si dixisset omnes post Christi Salvatoris adventum ingressuros regnum cælorum, esse regenerandos. Si autem parvuli homines sunt, si revera et ipsi salute indigent, et baptismate indigent; et qui non regenerati decedunt, tanquam qui originalis peccati remissionem non acceperint, sempiternæ peccati pœnæ de necessitate subjiciuntur, et consequenter sine baptismo haudquaquam salvantur; unde necesse est et parvulos baptizari. Adhuc : Parvuli salvantur, ut apud Matthæum dicitur (Matth., XIX, 12). Non

1. Δογματική, p. 300-301 : « Καταντᾷ νὰ ἐκλαμβάνῃ τὴν ἐξωτερικὴν πρᾶξιν ὡς ὄργανόν τι μηχανικῶς διὰ τοῦ ἤχου τῶν συλλαβῶν καὶ διὰ τῶν κινήσεων ἐνεργοῦν καὶ τὴν χάριν διοχετεῦον. » In eumdem ferme modum loquuntur Mesoloras, *op. cit.*, p. 202, 218; Dyovuniotis, *op. cit.*, p. 30-31.

2. Habent enim Græco-Russi in suo corpore juris canones conciliorum africanorum de peccato originali et pædobaptismo. Cf. *Pidalion*, p. 505-506.

baptizatus autem non salvatur. Ergo et parvuli baptizentur necesse est; etc. [1]. »

Catechismus Philareti necessitatem baptismi pro parvulis in Novo Testamento deducit ex necessitate circumcisionis pro iisdem in Veteri [2]. Auctores vero compendiorum theologiæ dogmaticæ tritas contra pædobaptismum objectiones referunt ac solvunt [3].

Quidam perperam aut saltem obscure explicant quod de parvulis vulgo asseritur, scilicet quod *in fide parentum* baptizantur. Ita, v. g., Plato Levkhin, qui dicit : « In baptismo parvulorum, loco fidei ipsorum *operatur* fides parentum et patrinorum [4]. » Eadem habet Constantinus Œconomus [5]. Russus Kovalev, ut ostendat parvulos in fide parentum et patrinorum baptizari posse, facta evangelica memorat ex quibus apparet Christum quibusdam sanationes miraculosas vel gratiam tribuisse ob fidem aliorum [6]; quod repetit Antonius Khrapovitskii in suo recenti *Catechismo* [7]. « Fides ministri baptismum conferentis, ait Mesoloras, necnon parentum, vel, si mortui sint illi, cognatorum vel tutorum et patrini, *supplet defectum ejus in parvulo* [8]. » Alii tamen hæc verba *in fide parentum* recte intelligunt, omnem nexum causalem negantes inter fidem parentum vel patrinorum et gratiam justificationis, quæ parvulo per baptismum gratis ob Christi merita confertur [9].

1. Kimmel, t. I, p. 452-454.
2. *Pars* I *ad art.* X *Symboli.*
3. Cf. Lebedinskii, *op. cit.*, p. 466-467; Kovalev, *De baptismo puerorum*, in *Pribavleniia oper. sanct. Patrum, pars XVI* (1857), p. 92-115; Malinovskii, *op. cit.*, p. 336-339.
4. *Op. cit.*, p. II, § 32.
5. Κατήχησις, ed. Ath., 1869, p. 64 : « Εἰς τὸ βάπτισμα τῶν νηπίων ἀντὶ τῆς πίστεως αὐτῶν συντείνει καὶ ἐνεργεῖ ἡ πίστις τῶν γονέων καὶ τῶν προσφερόντων αὐτὰ ἀναδόχων. »
6. *Loc. cit.*, p. 101-103.
7. P. 66-67.
8. *Op. cit.*, p. 191 : « Ἀναπληροῖ ἐν τῷ νηπίῳ τὸ ἐλλεῖπον ταύτης. »
9. Cf. Malinovskii, p. 339; Andrutsus, Δογματική, p. 335-336, qui modum loquendi Macarii et C. Œconomi carpit; Khamudopulus, Κατήχησις, p. 77; Antonius Amphiteatrov, *op. cit.*, § 287, ed. græc., p. 336.

I. — De sorte infantium sine baptismo decedentium.

De hac quæstione Græco-Russi parum disserunt. Communior est inter illos sententia sancti Gregorii Nazianzeni, docentis pueros absque baptismo ex hac vita migrantes neque glorificatum, neque punitum iri [1]. Ita opinantur, v. g., Demetrius Chomatenus, sæculi XIII canonista celeberrimus, qui in quadem epistola rem ex professo tractat [2]; Constantinus Œconomus, cujus sententia in Catechismo ab eo edito expressa a Cyrillo VI synodali epistola anno 1815 approbata est tanquam doctrinæ Patrum (sancti Gregorii Theologi, sancti Athanasii et aliorum) apprime consona [3]; Andrutsus [4]; Dyovuniotis [5]; Mesoloras [6]; Damascenus Christopulus [7]. Macarius utramque opinionem apud antiquos Patres receptam, illam scilicet quæ sancto Augustino duce

1. *Oratio* XL, 23; *P. G.*, t. XXXVI, col. 389 : « Ἡγοῦμαι τούτους μήτε δοξασθήσεσθαι μήτε κολασθήσεσθαι παρὰ τοῦ δικαίου κριτοῦ ὡς ἀσφραγίστους μέν, ἀπονήρους δέ, καὶ παθόντας μᾶλλον τὴν ζημίαν ἢ δράσαντας. »

2. *Demetrii Chomatiani varii tractatus. Cap.* CXI : Περὶ τῶν τελευτώντων ἀφωτίστων παίδων χριστιανῶν βρεφῶν, apud J.-B. Pitra, *Analecta sacra et classica spicilegio Solesmensi parata*, Parisiis, 1891, t. VII, col. 479-480 : « Διὰ μὲν τὴν ἡλικίαν ἐν τοῖς ἐκεῖ δικαστηρίοις ἔσται ἀνεύθυνον· διὰ δὲ τὸ ἀφώτιστον...., τὴν ἀφθαρσίαν οὐκ ἠμφιάσατο, τῆς δὲ μονῆς καὶ τῆς τάξεως τῶν τὸ βάπτισμα ἐνδυσαμένων οὐκ ἀξιωθήσεται. »

3. Hæc epistola synodalis legitur in t. I operum Œconomi : Τὰ σῳζόμενα ἐκκλησιαστικὰ συγγράμματα, Athenis, 1862, p. 14-16. Memoratur a L. Petit apud Mansi, *op. cit.*, t. XL, col. 71-72. Textus catechismi approbatus sic sonat : « Τὰ ἀβάπτιστα νήπια τελευτῶντα καίτοι οὐ κολάζονται ὡς προαιρετικῆς ἁμαρτίας καθαρεύοντα, τῆς γε μὴν οὐρανίου βασιλείας οὐκ ἀξιοῦνται, ὡς μὴ καθαρθέντα διὰ τοῦ θείου λουτροῦ ἀπὸ ῥύπου τῆς προπατορικῆς ἁμαρτίας καὶ μὴ τυχόντα τῆς πνευματικῆς ἀναγεννήσεως : Qui sine baptismo decedunt parvuli, quanquam non puniuntur, utpote actualis peccati expertes, non tamen regno cælorum digni habentur, quippe qui per divinum lavacrum labe originalis peccati non fuerunt purgati, nec spiritualem adepti sunt regenerationem. »

4. Συμβολική, p. 270-271; Δογματική, p. 328.

5. *Op. cit.*, p. 61, n. 1 : « Περὶ τῆς μετὰ θάνατον τύχης τῶν μὴ βεβαπτισμένων νηπίων δὲν ἔχει ἡ ἡμετέρα Ἐκκλησία ἐπισήμως ἀποφανθῆ. »

6. *Op. cit.*, p. 187, n. 6.

7. Κατήχησις, Athenis, 1881, p. 55-56.

tenet parvulos hujusmodi aliquam pœnam sensus, etsi levissimam, experturos, et quam docuit sanctus Gregorius Nazianzenus, in quadam nota memorat, quin unam præ altera eligat [1]. Fuerunt et apud Græco-Russos quidam, qui opinati sunt parvulos fidelium absque baptismo decedentes per orationem parentum signo crucis eos signantium salvari posse [2]. Huic opinioni implicite adhærent qui baptismum aeris vel arenæ in casu extremæ necessitatis commendant [3].

II. — De baptismo sanguinis et de baptismo flaminis.

Baptismum aquæ suppleri posse baptismo sanguinis tum in adultis, tum etiam in parvulis Græco-Russi, sicut et Catholici, communiter docent [4]. Celebrat enim Ecclesia byzantina ab antiquo, sicut et Latina, festum sanctorum Innocentium.

De baptismo autem flaminis seu desiderii plerique omnino tacent. Quidam recentiores illum aperte rejiciunt. Ita Andrutsus, qui dicit : « Cum de hac quæstione plane sileant Revelationis fontes et Ecclesiæ Patres, atque Gregorius Nazianzenus contra illum potius suffragium ferat, recipi non potest doctrina, quæ, si Augustinum excipias, et hunc dubie hærentem, nullum alium habet in traditione propugnatorem [5]. » Alii, ut Dyovuniotis [6], illum memorant, quin illum probent vel improbent. Quidam demum ejus salutiferæ efficaciæ potius favent. Ita, v. g., Pidalii auctores, qui docent catechumenos sine baptismo decedentes omnem salutis spem non amisisse, ut constat ex oratione funebri

1. *Op. cit.*, t. II, p. 337, n. 965.

2. Hanc sententiam contra Laurentium Zizanii tuitus est Elias, hegumenus Moscovita. Cf. articulum : *De libro « Magnus Catechismus Laurentii Zizanii »*, in *Pravosl. Sobiesiednik*, 1855, p. 120-121.

3. Cf. quæ dicta sunt p. 68.

4. Cf. Philar. Gumil., *op. cit.*, p. 135-136; Macarium, p. 340-341; Mesoloram, p. 184; Andrutsum, Δογματική, p. 326-327; Malinovskii, p. 340, etc.

5. Δογματική, p. 327-328. Cf. etiam Bernardakem, Κατήχησις, p. 160, n. 1.

6. *Op. cit.*, p. 63.

sancti Ambrosii in imperatorem Valentinianum, qui adhuc catechumenus vita functus est [1].

ARTICULUS VII

De receptione Catholicorum et Protestantium in Ecclesiam græco-russicam.

Hanc quæstionem ideo ad calcem capitis de baptismo tractamus, quod Russi diu, et Græci jamdudum Catholicos et Protestantes ad Ecclesiam græco-russicam accedere cupientes per rebaptizationem recipere consueverunt. Non pauca jam ad hanc quæstionem pertinentia supra retulimus. Nunc autem omnia quæ huc spectant in unum colligere ac breviter exponere in proposito est; quod ut ordine fiat, quatuor inquiremus :

1° Num Catholici cujuscumque ritus ac potissimum Latini tanquam hæretici veri nominis, inde ab Ecclesiarum separatione, a Græco-Russis habiti fuerint;

2° Quomodo Catholici primum, ac deinde Protestantes, in Ecclesiam byzantino-græcam temporum decursu recepti fuerint;

3° Quomodo iidem, ad Ecclesiam russicam proprie dictam accedentes, a Russis tractati fuerint;

4° Quomodo theologi dissidentes explicent Ecclesiæ suæ variationes in modo recipiendi Catholicos et Protestantes ad Orthodoxiam orientalem conversos.

I. — Num Catholici a Byzantinis et Græco-Russis ut hæretici habiti fuerint.

Ut in tomo I hujus operis dictum est, Photius doctrinam catholicam de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio

1. Ηηδάλιον, p. 147-148 : « Οὔτε εἶναι ἀπεγνωσμένοι ἀπὸ κάθε ἐλπίδα σωτηρίας, ἂν ἐξ ἀνάγκης ἀβάπτιστοι ἀπόθανωσιν. » Nota Ηηδάλιον majoris esse ponderis et auctoritatis quam opus Andrutsi vel cujuslibet alius theologi privati, cum a patriarcha œcumenico Neophyto VII fuerit approbatum et in autocephaliis græci sermonis usu receptum.

tanquam *impiam hæresim* clamose notaverat; cui tamen Byzantini coævi parum attenderunt, et communionem cum Ecclesia occidentali mox instauraverunt. Inde vero a Michaele Cærulario, polemistæ acerbiores, inter quos ipse Cærularius computandus est, Latinos non solum ut schismaticos, verum etiam ut hæreticos habere inceperunt [1]; quibus alii, cordatiores atque unionis Ecclesiarum amatores, saltem usque ad finem sæculi XIII contradixerunt. Sic sæculo XI, polemistis Cærularianis adversantur Petrus Antiochenus et Theophylactus, qui quamvis Latinos erroris in fide insimulent, erga illos tamen patientiam et tolerantiam commendant tanquam erga barbaros rudes ac pervicaces, a quibus accurata dogmatum notitia exigenda non sit. Latinos in secundo dimidio sæculi XI inter hæreticos nondum fuisse computatos constat ex *Pandecte* Niconis Raithuensis, qui de eis prorsus silet [2]. Sæculo XII iterum duplicem animi affectum apud Byzantinos erga Occidentales deprehendimus. Quidam, ut Theorianus, Latinos tanquam fratres et orthodoxos, unius Ecclesiæ catholicæ filios amplectuntur [3]; alii vero multo plures, jam inde a dicto sæculo circa finem vergente, hæreticis veri nominis eos assimilant, et in praxi ut tales tractandos esse decernunt. Ita patriarchæ œcumenici Michael III Anchialensis (1170-1177) [4],

1. *Th. dog. Orient.*, t. I, p. 272, n. 1, ubi hæc Cærularii verba retulimus : « Papam in sacris diptychis memorare et illum simul, dum in *hæreticis consuetudinibus perstat* (μένοντος καὶ αὐτοῦ ἐν τοῖς αἱρετικοῖς ἔθεσι), reum habere, hoc animo fingere vel efficere prorsus nequeo. »

2. *Pandecte, loc. cit.*

3. *Epist. ad monachos de diversis ritibus. P. G.*, t. CXXXIII, col. 297, n. 43 : « Ἀγαπᾶτε Λατίνους αὐτοὺς ὡς ἀδελφούς· ὀρθόδοξοι γάρ εἰσι καὶ τέκνα τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς Ἐκκλησίας, ὥσπερ καὶ ἡμεῖς· αἱ γὰρ ζητήσεις αὐτῶν συνήθειαί τινές εἰσι, τῆς πίστεως μηδαμῶς καθαπτόμεναι. » Manuel Comnenus imperator, in quadam epistola ad Conradum III, Græcos et Latinos ut ὁμοθρήσκους habet. Cf. J. Cinnamum, *Historiarum* l. II, c. XVIII, *P. G.*, t. CXXXIII, col. 412. Basilius Achridanus item erga Latinos amicum ac pacificum nutrit animum. Cf. J Schmidt : *Des Basilius aus Achrida Erzbischofs von Thessalonich bisher unedierte Dialoge*, Monaci, 1901.

4. Ille papam habebat tanquam merum laicum; in quadam vero synodo Constantinopolitana, teste Macario Ancyrano, decrevit « *papam et qui cum eo sentirent omnes totali separatione abscindere, judicium super hoc Deo relinquentes. Neque eos perfecto anathemati tradiderunt,*

Georgius II Xiphilinus (1191-1198) [1], canonistæ Theodorus Balsamon [2] et Joannes Zonaras [3]. Si Niphonti episcopo Novogrodiensi fides adhibenda, circa idem tempus Latinos per chrismatis unctionem in Ecclesiam byzantinam recipere Constantinopoli inceperint [4]. Sæculo XIII, crescit quidem odium in Latinos et in Latinophronas, qui ut aperte

sicut alias hæreses, quod gens illa magna esset et celeberrima; nec rursus ut illis communione unirentur. Et super hoc tomos composuerunt, in quibus immaculatam et orthodoxam fidem digesserunt... recitantes apostolicum illud dictum : *Hæreticum hominem post primam et secundam admonitionem devita :* βουλὴν κατεβάλοντο, ἵνα τελείως ἀποκόψωσι τελείῳ χωρισμῷ τὸν πάπαν καὶ πάντας τοὺς σὺν αὐτῷ, τὴν κρίσιν τῷ Θεῷ ἀφέντες εἰς τοῦτο. Καὶ οὔτε αὐτοὺς τελείῳ ἀναθεματισμῷ παρέδωκαν, καθὼς καὶ τὰς λοιπὰς αἱρέσεις, διὰ τὸ εἶναι αὐτοὺς μέγα καὶ περιβόητον ἔθνος. Cf. Allatium, *De Eccles. occid. et Or. perpetua consensione*, l. II, c. III et XII, p. 526-527, 665-666, Coloniæ, 1648.

1. Ille synodale decretum edidit, vi cujus Latini ad communionem admittendi non erant absque prævia errorum latinorum abjuratione et canonica catechesi in doctrina « orthodoxa ». Cf. Jobum Jasitam, *Apologia patriarchæ Josephi ad Michaelem imperatorem*, in *cod. Monac.* 68, fol. 57 *a;* Hergenröther, *Photius*, t. III, p. 798.

2. Balsamon Latinos non semel hæreticis assimilat. Cf. *Comment. in canonem 14 Chalced., P. G.*, t. CXXXVII, col. 440 C; *In can. 15 concil. Constant. primi-secundi, ibid.*, col. 1069 AB : « Recte dixit canon eos esse laudandos qui seipsos, etiam ante condemnationem, ab iis qui hæreticas doctrinas publice docent et sunt aperte hæretici, abscindunt... Nota hæc, quæ fortasse proderunt adversus eos qui dicunt nos no recte a throno antiquæ Romæ sejunctos fuisse, antequam qui eum obtinebant ut prave sentientes condemnati essent. » *In responsione* XV *ad interrogationes Marci Alexandrini* de Latinis captivis qui Ecclesias Græcorum frequentabant et communionem postulabant, idem decernit « genus Latinicum manu sacerdotali per divina et immaculata mysteria sanctificandum non esse, nisi prius annuerit dogmatibus et consuetudinibus Latinorum valedicere, et secundum canones, instructus fuerit, sicque Orthodoxis adæquatus : εἰ μὴ κατάθηται πρότερον ἀπέχεσθαι τῶν λατινικῶν δογμάτων τε καὶ συνηθειῶν, καὶ κατὰ κανόνας κατηχηθῇ, καὶ τοῖς ὀρθοδόξοις ἐξισωθῇ. » *P. G.*, t. CXXXVIII, col. 968 B.

3. *Comment. in can. 28 Chalced., P. G.*, t. CXXXVII, col. 488 D : « Divini illi Patres, Spiritu Sancto illuminati, prævidentes romanam Ecclesiam propter errores suos *ab Orthodoxorum cœtu segregandam, atque omni fidelium consortio eliminandam fore*, primas huic [Novæ Romæ] detulerunt : προορῶντες ἐκεῖνοι ὡς ἀποτμηθήσεται τῆς τῶν ὀρθοδόξων ὁλοκληρίας καὶ ἐξοστρακισθήσεται τῆς ὁμηγύρεως τῶν πιστῶν διὰ δόγματα ἑτερόδοξα ἡ Ρωμαίων Ἐκκλησία, πρώτην ταύτην ἐλογίσαντο. »

4. Cf. Seraphimov, *De receptione christian. heterodox. in Eccles. orthodoxam*, in *Trudy Kiov.*, 1864, t. II, p. 339-340.

αἱρετίζοντες communiter habentur, dignique qui inter primam classem hæreticorum (illorum scilicet qui per chrismatis unctionem juxta antiquos canones recipiuntur) recenseantur [1]. Quidam tamen animum Theophylacti et Theoriani in eos adhuc nutriunt. Ita Demetrius Chomatenus [2] et Joannes Kitrius [3]. Inde autem ab unione Lugdunensi disrupta (1283), per totum sæculum XIV et ultra, Catholici ut hæretici seu heterodoxi habentur et tractantur, quamvis nomine schismaticorum seu κεχωρισμένων sæpius designentur [4].

1. Jobus Iasita in *Apologia patriarchæ Josephi, cod. cit.*, fol. 3 *a* : « Οἴδαμεν γὰρ τοῦτο καὶ προδιαγγέλλομεν, ὅτι ἐν τῇ πρώτῃ τάξει τῶν ἄνωθεν ἀπηριθμημένων (αἱρετικῶν), τῶν ἀποβάλλεσθαι δὴ παντάπασιν ἀξίων, καὶ οἱ Ἰταλοὶ τάττεσθαι καθεστήκασιν ἄξιοι.... Ὅτι γε ἦσαν ἀναθέματος ἄξιοι ὡς αἱρετίζοντες φανερῶς, ἡ ἀκολουθία τοῦ λόγου δώσει, καὶ ἡμεῖς φειδώμεθα. »

2. Duo responsa canonica Demetrii de societate cum Latinis servanda habemus. In primo, indulgentiam Theophylacti erga Latinos in *Epistola ad Nicolaum diaconum* probat, agnoscitque validitatem consecrationis Latinorum in pane azymo, dicens utramque Ecclesiam suum in hac re retinere debere morem. Apud Leunclavium, *Jus græco-romanum*, Francofurti, 1696, t. I, p. 318-321; et apud Pitra, *Analecta sacra et classica*, Parisiis, 1891, t. VII, col. 625-630. In secundo vero, decreti Balsamonis supra relati, p. 105, nota 2, de captivis Latinis ut severioris et a non paucis improbati censuram agit, permittitque antistiti græco Latinorum ecclesias ingredi et ibi adorare, cum ab eis invitatus fuerit; immo sacram communionem Latinis accedentibus distribuere : « Hujusmodi enim consuetudo, ait, ad hoc conferre potest ut illi paulatim ad sacros nostros mores et dogmata attrahantur. » Verbis autem evangelicis contra Latinos a Balsamone allatis, videlicet : *Qui non est mecum, contra me est*, hæc alia opponit : *Qui non est contra vos, pro vobis est.* Leunclavius, *ibid.*, p. 321-323; Pitra, *ibid.*, col. 727-730.

3. Joannes Kitrius, in duobus responsis canonicis ad Constantinum Cabasilam, Dyrrhachii archiepiscopum (a quibusdam Demetrio Chomatiano adscriptis) : 1° probare non audet quod episcopus græcus sacerdotes ritus latini ordinet; 2° non esse contra pietatem quod Latini in ecclesiis græcis sepeliantur, et quod Latini et Græci funeralia suorum una agant et cantent. Leunclavius, *ibid.*, p. 322-324.

4. Hoc ex infra dicendis luculente patebit. De hac appellatione σχισματικοί Marcus Ephesius, *in Epist. encycl. ad omnes orthodoxos*, 4, hæc habet : « Latinos, inquiunt [Græco-latini], nunquam habuimus ut hæreticos, sed tantum schismaticos — Sumpserunt autem hoc ab illis Latinis ipsis, qui nos vocant schismaticos, nihil habentes cur nos de nostra doctrina accusent... Ut hæreticos aversati sumus eos et

Quomodo Russi erga Latinos se habuerint usque ad concilii Florentini tempus, quo, ut supra diximus, eos rebaptizare inceperunt, apprime novimus. Jubentibus siquidem eorum metropolitis qui, ut notum est, usque ad Mongolorum invasionem fere omnes Græci fuere, severiorem agendi rationem erga occidentales catholicos servaverunt. Jam metropolita Joannes II (1080-1089) eos habet ut schismaticos et hæreticos, quorum societas tum in sacris, tum etiam in profanis vitanda est. Nicephorus (1104-1124) Joannis II prohibitiones iterat. Theodosius Græcus vero eo devenit, ut vasa purificare præscribat, quibus Latini ad manducandum vel bibendum usi fuerint [1]. Eodem sæculo XII, Niphontes Novogrodiensis, in *Responsis ad Kirikum monachum*, modum recipiendi Latinos in Ecclesiam « orthodoxam » jam describit; ex quo constat eos hæreticis primæ classis assimilatos fuisse [2].

II. — De modo quo Catholici et Protestantes in Ecclesiam græcam proprie dictam temporum decursu recepti fuerunt.

Notandum imprimis est per totum Medium Ævum rarissime evenisse, ut Catholici ritus latini ad Ecclesiam græcam dissidentem transierint: quod etiam de epocha moder-

hanc ob causam sumus ab illis dissociati. » *Patrologia orientalis*, t. XVII, p. 452. Scholarius autem, *Epistola ad Maximum monachum*, Latinos vocat et ἐσχισμένους, et κεχωρισμένους, et ἑτεροδόξους, quibus ἀντίδωρον et παναγίαν dare liceat, non vero sacram communionem. *P. G.*, t. CLX, col. 537-540.

1. Cf. t. I, hujus operis, p. 551-553.

2. « Proselytus per dies septem ad ecclesiam veniat. Primum quidem nomen illi imponis; quotidie quatuor orationes super illum recitas; ille vero decies orat. Neque oleum, neque lac, neque de eo quod catechumenis datur, ei tribuas. Octavo autem die, postquam se lavit, ad te accedit; post consuetas orationes, ipse se, aut tu illum candidis vestibus induis, stolam catechumenorum necnon coronam ei imponens. Tunc sacro chrismate eum inungis, et candelam ei præbes. Ad sacram autem liturgiam, communionem illi tribuas, tanquam novum baptizatum tractans. » Kalaidovitch, *Monumenta litteraturæ russicæ sæculi* XII, Mosquæ, 1821, p. 175-176. Quid vero de Catholicis sentiant theologi russi recentiores non pauci, qui Ecclesiam græco-russicam ex se solam *Ecclesiam universalem* constituere pronuntiare non audent, in tractatu de Ecclesia dicetur.

na verum est. Frequentius vero, etsi item raro, accidit, ut Catholici ritus byzantini, occasione violationis unionis Lugdunensis et Florentinæ, vel postquam Ecclesiæ catholicæ rituum orientalium passim constitutæ sunt, aut ad schisma redirent, aut Orthodoxiam orientalem primum amplecterentur. Modus autem quo hujusmodi transfugæ in Ecclesiam dissidentem recepti sunt, non semel temporum decursu mutatus est. Variationes hujusmodi sequentibus propositionibus breviter declarari possunt.

Prima propositio. — *Ex quo Byzantini Latinos vel Latinophronas tanquam hæreticos publice habere atque tractare cœperunt, id est a sæculo XII finiente, usque ad synodum Constantinopolitanam anno 1484 sub Simeone Trapezuntio patriarcha œcumenico habitam, duplex receptionis modus usurpatus est, scilicet : vel simplex errorum latinorum abjuratio cum fidei professione a proselyto exigebatur; vel, post hanc abjurationem, chrismate ille ungebatur, seu reconfirmabatur, instar hæreticorum primæ classis in canone 95 Trullano indicatorum.*

Si Macario, metropolitæ Ancyrano (initio sæc. xv), fides omnimodo præstanda esset, Latini, jam inde ab schismatis initio, in Ecclesiam byzantinam non primo, sed altero modo, id est cum fidei professione simul et chrismatione, *semper* recepti fuissent [1]; quod, quamvis testimonio mox laudato Niphontis Novogrodiensis confirmari videatur, attamen rerum veritati non plene consonum existimamus. Etenim decretum Georgii Xiphilini et ipsa Balsamonis verba supra relata non de chrismatis unctione, sed de simplici errorum abjuratione et fidei professione loquuntur [2]. Item sæculo xiii, Jobus Iasita asserit Byzantinos quadam dispensatione seu οἰκονομίᾳ erga Latinos uti, ut illos non tamquam hæreticos manifestos, quamvis revera essent,

1. Macarius Ancyranus, *Tractatus contra Latinos*, in Τόμῳ καταλλαγῆς, Iasii, 1692, p. 203-204 : « Τοὺς ἀπὸ Λατίνων πρὸς τὴν καθ'ἡμᾶς... Ἐκκλησίαν ἐπιστρέφοντας, μετὰ τὸν τοῦ σφετέρου δόγματος ἀναθεματισμόν, καὶ μύρῳ χρίεσθαι ἐδικαίωσαν οἱ ἀπό γε τῆς ἀρχῆς τοῦ σχίσματος μέχρι καὶ τοῦ νῦν θεοφόροι καὶ ἅγιοι πατέρες. »

2. Quidam contendunt chrismatis unctionem tacite subindicari his verbis Balsamonis : καὶ κατὰ κανόνας κατηχηθῇ, in textu supra laudato, p. 105, nota 2.

tractarent [1]. Disrupta autem unione Lugdunensi, qui tempore Michaelis Palaeologi et Joannis Vecci fidei catholicæ adhæserant laici et clerici, illi etiam qui ab episcopis latinophronibus ordinati fuerant, sola fidei professione recepti sunt, quando ad schisma reversi sunt [2]. Post concilium Florentinum, Georgius Scholarius, sub nomine Gennadii jam patriarcha Constantinopolitanus, clericos a præsulibus unitis ordinatos eodem modo recipiendos esse decrevit, neque de unctione chrismatis super eos facienda mentionem fecit [3]. Hujusmodi unctio rursus tacetur in pluribus formulis abjurationis sæculo XIV Latinis vel Barlaamitis impositis, quæ ad nos usque pervenerunt [4].

Fatendum est tamen Latinos vel Latinophrones ad Ecclesiam dissidentem transeuntes, saltem inde a secundo dimidio sæculi XIV, non raro unctione chrismatis consignatos fuisse seu reconfirmatos; quod testimonio constat tum Macarii Ancyrani mox memorato, tum quodam responso canonico Nili, Rhodi metropolitæ [5], tum ipsis Marci Ephesii verbis, qui in sua *Epistola encyclica ad omnes Orhtodoxos*, ut ostendat Latinos esse hæreticos veri nominis, hæc dicit :

« Cur eos qui a Latinis ad nos transeunt, *chrismate inungimus?* An non liquet ut hæreticos? Ait enim synodi

1. *Loc. cit.*, fol. 3 *a* : « οὐχ ὑποβάλλοντες τούτους τῷ ἀναθέματι καὶ μετριάσαντες μὲν τὴν τιμωρίαν αὐτοῖς δι' οἰκονομίαν, ἑαυτοῖς δὲ τὸ ἀσφαλὲς ἐκ τούτων διὰ τῆς ἀποβολῆς περιποιησάμενοι. »

2. Cf. S. Petridès, *Chrysobulle de l'impératrice Théodora* (1283), *Échos d'Orient*, t. XIV (1911), p. 25-28; *Sentence synodique contre le clergé unioniste* (1283), *ibid.*, p. 133-136.

3. *Epistola Gennadii ad Joachimum monachum Athonensem*, a N. Kalogera edita in : « Εὐθυμίου τοῦ Ζιγαβηνοῦ ἑρμήνεια εἰς τὰς ιδ' ἐπιστολὰς τοῦ ἀποστόλου Παύλου, t. I, in *Introductione*, ρβ'-ργ', Athenis, 1887 : « Εἰ μετανοήσῃ καὶ δώσῃ ὁμολογίαν καὶ ὑπόσχεσιν, καὶ τότε δέχεσθε αὐτὸν εἰς ἱερέα, καὶ συλλειτουργήσετε αὐτῷ,... ὅπερ καὶ ἐποιήσαμεν καὶ ἡμεῖς εἰς τὸ πατριαρχεῖον. »

4. Plura specimina hujusmodi formularum habes apud F. Miklosich et J. Muller, *Acta et diplomata Medii Ævi*, t. I, p. 365-366; 501-505; 506-507; 550-551; 568; 574; t. II, p. 48, 84, 449, etc.

5. A. J. Almazov, *Inedita canonica responsa Constant. patriarchæ Lucæ Chrysovergis et metropolitæ Rhodi Nili* (russice et græce), Odessæ, 1903, p. 61 : Hieromonacho Jonæ interroganti quomodo recipiendus sit qui a Latinis baptizatus fuerit, respondet : « Μύρῳ χρίει, καὶ εὐχὰς μόνον. »

œcumenicæ secundæ canon septimus : « Eos qui ab hæreticis accedunt ad rectam fidem et partem eorum qui salvantur, recipimus secundum ordinem ac consuetudinem infra statutam : arianos quidem et Macedonianos, etc., recipimus libellum dantes et anathematizantes omnem hæresim quæ non sentit ut sancta Dei et apostolica Ecclesia; eosque consignamus sive ungimus primum sacro chrismate in fronte, oculis, naribus, ore et auribus. Et consignantes eos dicimus : *Signaculum doni Spiritus Sancti.* Si ergo hi omnes hæretici sunt, manifesto etiam et illi [1]. »

Item notandum est Serbos dissidentes sæculo XIII Latinos per chrismatis unctionem recepisse [2]. Hunc ritum a Russis forsan mutuati erant.

SECUNDA PROPOSITIO. — *Synodus Constantinopolitana anno 1484 sub Simeone Trapezuntio habita, quæ titulo œcumenicæ decorata est, ut uniformem modum recipiendi Latinos in Ecclesiam græcam induceret, officium speciale adscriptionis seu reconciliationis per abjurationem, symboli fidei recitationem et chrismatis unctionem composuit ac authentice promulgavit; cujus usus usque ad annum 1755 viguit.*

Hujusmodi officium seu ἀκολουθία paucis sic describi potest : Episcopus, vel presbyter ab eo delegatus, quasdam preces, inter quas venit psalmus L, primum recitat; deinde, per sex interrogationes, errorum latinorum abjurationem petit a proselyto, qui alta voce symbolum Nicæno-Constantinopolitanum mox profitetur. Sequitur longa oratio a celebrante dicta; qua finita, neo-orthodoxus psal. CXLIV recitat [3]. Post cæremoniam, conversus fidei professionem

1. *Patrologia orientalis*, t. XVII, p. 452-453.

2. Cf. *Khristranskoe Tchtenie*, 1848, t. I, p. 250; Sergius, Viatkæ episcopus, *op. cit.*, p. 91. Hanc praxim tenebat Sabbas metropolita. Ejus autem frater, Stephanus Nemania, quem pater, instante necessitate, more latino baptizaverat, ab ipso Sabba *orthodoxe* rebaptizatus est; sed hoc factum est propter dubium de validitate baptismi a laico etiam in casu necessitatis collati. Cf. supra, p. 87. E. Golubinskii, *Brevis conspectus historiæ Ecclesiarum orthodoxarum Bulgariæ, Serbiæ, Rumeniae et Serbo-Vlachiæ*, Mosquæ, 1871, p. 551.

3. Hanc ἀκολουθίαν invenies in Τόμῳ ἀγάπης,, Iasii, 1698, p. 678; apud Rhalli et Potli, Σύνταγμα κανόνων,, Athenis, 1855, t. V, p. 143-147;

propria manu scriptam tradit inter tabulas publicas Ecclesiæ referendam.

Tertia propositio. — *Mense julio anni 1755, Cyrillus V, patriarcha Constantinopolitanus, suffragantibus quidem patriarchis Alexandrino Matthæo et Hierosolymitano Parthenio, reclamantibus vero omnibus metropolitis synodi patriarchalis Constantinopolitanæ, decretum edidit de rebaptizandis Latinis (et etiam Armenis) ad Ecclesiam græcam dissidentem accedentibus. Ab hoc tempore, Latini et alii Catholici cujuscumque ritus plerumque trina immersione rebaptizantur ac chrismate liniuntur, cum ad Orthodoxiam græcam transeunt. Dantur tamen exceptiones, et dispensatione seu* οἰκονομίᾳ, *ut dicunt, utuntur erga illos proselytos qui trinæ immersioni nimium repugnant* [1].

Anno 1750, monachus quidam nomine Auxentius, ex insula Andro oriundus, qui ad diaconatus ordinem promotus fuerat, in vico Katirli, prope Nicomediam, contra baptismum Latinorum et Armenorum in concionibus ad populum deblaterare incepit, docens quemcumque hæreticum ad Ecclesiam « orthodoxam » accedentem esse rebaptizandum. Huic fanatico favit Cyrillus V patriarcha, dum sedem patriarchalem prima vice occupavit (1748-1751). Paisius II, e contra, qui mense maio anni 1751, Cyrillo successit, omnem movit lapidem, ut intemperanti prædicatori silentium imponeret; ad quod non facile pervenisset, nisi Auxentius, anno 1752, a Turcis in mare clam dermersus fuisset. Adeo autem ille populum contra Latinos concitaverat, ut post ejus mortem, seditione plebis facta, Pai-

apud M. Gedeon, Κανονικαὶ διατάξεις, Constantinopoli, 1889, t. II, p. 65-69; in *Échos d'Orient*, t. II (1899), p. 129-131, gallice versam a L. Petit.

1. Documenta spectantia ad controversiam de rebaptizatione Latinorum inter Græcos inde ab anno 1750 ortam in unum collegit L. Petit in t. XXXVIII *collect. concil. Mansi*, col. 576-640. Cf. etiam A. Palmieri, *La rebaptisation des Latins chez les Grecs*, in *Revue de l'Orient chrétien*, t. VII (1902), p. 618-646; t. VIII (1903), p. 111-143; *Un document inédit sur la rebaptisation des Latins chez les Grecs*, in *Revue bénédictine*, 1906, p. 215-231; Ch. Papadopulus, Περὶ τοῦ βαπτίσματος τῶν ἑτεροδόξων, in Ἐκκλησιαστικὸς Φάρος, t. XIV (1915), p. 469-483; [W. Palmer], Διατριβαὶ περὶ τῆς ἀνατολικῆς ἤτοι ὀρθοδόξου Ἐκκλησίας ὑπό τινος Ἄγγλου, Athenis, 1852.

sius II e sede patriarchali pulsus fuerit; quam ejus loco Cyrillus V iterum conscendit (die 7 septembris 1752 usque ad 15 januarii 1757). Quum patriarcha erat, Paisius II synodali epistola, mense julio vel augusto anni 1752 data, Auxentium condemnaverat, variisque argumentis quum canonicis tum historicis demonstraverat neque Latinos neque Armenos esse rebaptizandos [1]. Postquam autem Cyrillus V ad thronum patriarchalem rursus evectus est, rebaptizationis fautor iterum exstitit, nec a sua sententia ullo modo removeri passus est a metropolitis synodum constituentibus, qui anno 1755 publica sententia rebaptizationem Latinorum bis reprobarunt [2]. Hoc ut compertum habuit Cyrillus, eos in proprias diœceses manu militari expellere jussit, moxque, id est mense julio ejusdem anni 1755, consentientibus patriarchis Alexandrino et Hierosolymitano, decretum de rebaptizandis Latinis et Armenis promulgavit, in quo hæc inter alia leguntur :

« His igitur sacris divinisque mandatis obsequentes, et nos hæreticorum baptismata, utpote ab apostolica pariter et divina institutione absona et aliena aquasque inutiles, ut dicunt sanctus Ambrosius et magnus Athanasius, quæ nullam sanctitatem suscipientibus præbeant, nec abolendis peccatis quicquam proficiant, abjicienda ac spernenda judicamus; qui vero ex istis *absque baptismate baptizati sunt, hos ut nunquam baptizatos recipimus*, cum rectæ fidei adscribuntur, ac libere baptizamus secundum apostolicos synodalesque canones [3]. »

Huic abnormi decreto incassum reclamarunt metropolitæ. Cyrilli autem successores duo, Callinicus IV scilicet (19 januarii-27 julii 1757) et Samuel Khanzeris (1763-1768

1. Mansi-Petit, *loc. cit.*, col. 587-606.
2. *Ibid.*, col. 609-618. Cf. col. 576-586.
3. « Τούτοις τοίνυν τοῖς θείοις καὶ ἱεροῖς διατάγμασιν ἑπόμενοι καὶ ἡμεῖς, τὰ μὲν τῶν αἱρετικῶν βαπτίσματα, ὡς ἀπάδοντα καὶ ἀλλότρια τῆς ἀποστολικῆς θείας διατάξεως καὶ ὕδατα ἀνόνητα, ὡς ὁ ἱερὸς Ἀμβρόσιος καὶ ὁ μέγας φησὶν Ἀθανάσιος, καὶ ἁγιασμὸν μηδένα παρέχοντα τοῖς ταῦτα δεχομένοις καὶ πρὸς κάθαρσιν ἁμαρτημάτων οὐδὲν ὠφελοῦντα, ἀπόβλητα καὶ ἀποτρόπαια ἡγούμεθα· τοὺς δ'ἐξ αὐτῶν ἀβαπτίστως βαπτιζομένους ὡς ἀβαπτίστους ἀποδέχομεθα προσερχομένους τῇ ὀρθοδόξῳ πίστει, καὶ ἀκινδύνως αὐτοὺς βαπτίζομεν κατά τε τοὺς ἀποστολικοὺς καὶ συνοδικοὺς κανόνας. » *Ibid.*, col. 619.

et 1773-1774) illud abrogare frustra tentarunt [1], atque inde ab anno 1774 in Ecclesiis græcæ dialecti vim legis obtinuit. Non raro tamen ab hac regula recedunt auctoritates ecclesiasticæ, nempe quando proselyti trinæ immersioni nimium repugnant. Tunc ad antiquum receptionis modum per fidei professionem et chrismatis unctionem redeunt, οἰκονομίᾳ, ut dicunt, utentes. Οἰκονομίᾳ, v. g., usi sunt anno 1860 erga quosdam Melkitas unitos, dum prius, anno scilicet 1846 alios ex iisdem Melkitis, secundum ritum byzantinum trina immersione, sed a sacerdote catholico jam baptizatos, synodi Constantinopolitanæ jussu, iterum baptizarunt. Item anno 1875, usus *œconomiæ* metropolitæ Atheniensi permissus est; immo decreto anni 1888 omnibus commendatus est; interim vero, anno videlicet 1878, rebaptizatio præscribebatur [2]. Anno 1891, synodus hellenica œconomia utebatur erga Sophiam Lutheranam principi Constantino, inde Græciæ regi, nuptam; anno vero 1915, Latinus quidam e Syra insula rebaptizabatur [3].

Quarta propositio. — *De validitate baptismi Lutheranorum et Calvinistarum Græci primum, ut videtur, dubie senserunt. Sæculo autem XVIII ineunte, duo patriarchæ œcumenici, Cyprianus I scilicet* (1708-1709) *et Jeremias III* (1716-1726) *hæreticos illos Latinis catholicis assimilarunt decreveruntque eos nullo pacto esse rebaptizandos, sed per fidei professionem et chrismatis unctionem recipiendos. Inde vero ab anno 1755, decreto rebaptizationis a Cyrillo V lato omnes Protestantes, ut patet, obnoxii fuerunt.*

Ratio specialis de valore baptismi Lutheranorum et Calvinistarum dubitandi pro Græcis in eo erat, quod hæretici illi verum sacerdotium non habebant; unde quantum ad ipsos, quæstio erat num valeret baptismus a laicis extra necessitatem collatus. Russos aliunde videbant hæreticos hujusmodi rebaptizare ; nec eos ab hac praxi in concilio

1. Sergius Macræus, Ἐκκλησιαστικὴ ἱστορία, apud Satham, Μεσαιωνικὴ βιβλιοθήκη, t. III, Venetiis, 1872, p. 222-223; Hypsilantis, Τὰ μετὰ τὴν ἅλωσιν, Constantinopoli, 1870, p. 376.

2. Cf. Theotocam, Νομολογία τοῦ οἰκουμενικοῦ πατριαρχείου, Constantinopoli, 1897, p. 368-370; L. Petit, *art. cit.*, in *Échos d'Orient*, t. II, p. 132-135; M. Gedeon, Κανονικαὶ διατάξεις, t. II, p. 365-377.

3. Cf. C. Papadopulum, *art. cit.*, Ἐκκλησ. Φάρος, t. XIV (1915), p. 469 sq.

Mosquensi anni 1667 deterrere ausi sunt, sicut fecerunt ad Latinos catholicos quod attinet [1]; immo, ut supra diximus [2], Parthenius II, ad Russos rescribens, baptismum Lutheranorum reprobare non dubitavit. Cum autem Petrus Magnus, Lutheranis et Calvinistis omnino favens, de validitate eorum baptismi Jeremiam III, patriarcham œcumenicum, anno 1718, consuluisset, Jeremias epistolam synodalem tsaro rescripsit, qua decernebat Reformatos nullo pacto esse rebaptizandos, sed per abjurationem errorum et chrismatis unctionem secundum morem consuetum in Ecclesiam orthodoxam recipiendos; quod auctoritate firmavit sui prædecessoris Cypriani I, qui anno 1708 simile decretum synodice ediderat [3]. Sub decreto autem Cyrilli V, hæreticos rebaptizare jubentis, Protestantes omnes jure cadebant, et de facto, data occasione, a Græcis rebaptizati sunt, quotiescumque *œconomia* non intercessit.

III. — De receptione Catholicorum et Protestantium in Ecclesiam russicam.

Iis quæ de ratione agendi Russorum erga Latinos jam supra dicta sunt quæ dicenda supersunt addentes, totam quæstionem sequentibus propositionibus comprehendimus :

Prima propositio. — *A sæculo XII ad tempus concilii Florentini, rarissimi Latini qui ad Ecclesiam russicam transierunt, secundum ritum a Niphonte Novogrodiensi descriptum* [4] *recepti fuisse videntur. Excipiendi sunt tamen quidam casus rebaptizationis, de quibus queruntur latini auctores* [5]. *Inde autem a concilio Florentino in synodo Mosquensi anni*

1. Vide p. 93, n. 2, quæ Russis in concilio Mosquensi anni 1656 dixerit Macarius Antiochenus.

2. P. 95.

3. Epistola Jeremii III russice versa *Collectioni completæ legum imperii russici* (ed. 1830, t. v, n. 3225, p. 386) inserta est. Data est die 31 augusti 1718. Textus originalis Mosquæ, in Archivio Ministerii rerum exterarum asservatur. Versionem russicam transcripsit A. Palmieri, *art. cit.*, in *Revue de l'Orient chrétien*, t. VII (1902), p. 640. Nota Jeremiam decernere suam ordinationem *immutabiliter per omnia sæcula* servandam esse.

4. Cf. supra, p. 107, n. 2.

5. Cf. p. 91 sq.

1441 damnato usque ad magnam synodum Mosquensem anni 1667, Catholici cujuscumque ritus per rebaptizationem regulariter recepti fuere [1].

Patres synodi Mosquensis anni 1620, cui præfuit patriarcha Philaretus Nikititch, plura argumenta in medium protulerunt, ut rebaptizationem Latinorum secundum canones fieri statuerent. Dixerunt : 1° Latinismum in se continere omnem substantiam illarum hæresum quarum asseclas canon 95 Trullanus rebaptizationi subjecit, scilicet Paulianistas, Eunomianos, Montanistas, Melchisedekianos, Manichæos, Judæos, Messalianos, Basilidianos, etc.; 2° Latinos proprias hæreses habere, ex quibus circa triginta recensuerunt(plerasque ex *Tractatu contra Francos* desumptas) [2]; 3° Omnes hæreticos esse rebaptizandos, ex canonibus apostolicis 46 et 47; 4° Praxim rebaptizandi Latinos, casu excepto Marinæ Mnischek, inde a sancto Vladimiro in Ecclesia russica semper viguisse, et hanc nunc omnes episcopos Russiæ probare [3]; 5° Immo omnes patriarchas œcumenicos Orientis eidem suffragari [4].

Hujusmodi autem rationes ordine confutarunt Patres synodi Mosquensis anni 1667, ostendentes : 1° Latinos non in unam immersionem, sed per trinam infusionem et sanctissimæ Trinitatis invocationem baptizare; 2° Septimum canonem secundi concilii œcumenici et 95 Trullanum multorum hæreticorum gravius Latinis errantium baptismum ratum habuisse; 3° Antiquos canones apostolicos renovationem *veri* baptismi districte prohibere; Latinorum autem baptismum esse *verum baptismum;* 4° Ecclesiam orientalem in synodo Constantinopolitana anni *1484* baptismum Latinorum ut verum habuisse, Latinosque per errorum abjurationem et solam chrismatis unctionem recipere jussisse [5].

Secunda propositio. — *A synodo Mosquensi anni 1667*

1. Cf. p. 92.

2. Inter novas Latinorum hæreses notantur trina infusio et indebitæ formæ usus in baptismo; usus salis saliva mixti in Confirmatione (!); novum kalendarium Gregorianum.

3. Hoc veritati non plene consonabat. Cf. p. 92, n. 3.

4. A. Grenkov, *art. cit.* de synodo anni 1620.

5. A. Grenkov, *De decretis synodi Mosquensis* (1666-1667), in *Pravoslavny Sobiesiednik*, 1863, t. III, p. 348-351.

usque ad annum 1757, Catholici cujuscumque ritus secundum ritum a synodo Constantinopolitana anni 1484 statutum Ecclesiæ russicæ adscripti sunt. Inde vero ab anno 1757, scilicet eodem fere tempore quo Cyrillus V Constantinopolitanus decretum de rebaptizandis Latinis et Armenis ferebat, Ecclesia russica suum fecit ritum recipiendi Latinos jam a sæculo XVII a Kioviensibus servatum, et in Trebnikum Petri Maghilæ relatum, juxta quem Catholici cujuscumque ritus, si a suis episcopis vel presbyteris prius fuerint confirmati, per solam errorum abjurationem et symboli recitationem ad communionem recipiuntur. Hunc ritum, paucis tantum mutatis, adhuc observat eadem Ecclesia.

Ut jam diximus, Kiovienses, Græcos sequentes, decreto Philareti Nikititch de rebaptizandis Latinis minime suffragati sunt. Anno vero 1646, Petrus Moghila ultra processit, et Catholicos dignos censuit qui tertiæ classi hæreticorum, illorum nempe quos antiqua Ecclesia orientalis per solam fidei professionem reconciliabat, ut Nestorianos, Monophysitas, Iconoclastas, annumerarentur. Hanc consuetudinem, quæ sæculis XIII et XIV apud Byzantinos quandoque recepta fuerat [1], suam fecit Ecclesia russica anno 1767, et exinde servavit usque ad hodiernam diem : Catholici cujuscumque ritus, cum ad Ecclesiam russicam accedunt, de differentiis inter utramque Ecclesiam primum monentur; deinde omnia peccata sua a juventute commissa episcopo « orthodoxo » confitentur; de quibus absolutionem accipiunt postquam errores latinos ejuraverint, symbolum fidei recitaverint, dogmata Ecclesiæ « orthodoxæ » propria professi fuerint, et super eos episcopus psalmun LXVI aliasque preces recitaverit; post absolutionem vero, sacro chrismate more byzantino liniuntur, *si a suis episcopis vel presbyteris non fuerint prius confirmati*, et ad communionem admittuntur [2].

1. Cf. supra, p. 108.

2. Hic reconciliationis ritus seu *officium (tchinoposliedovanie* = ἀκολουθία) anno 1757 primum editus est; 2ª ed., 1776; 3ª, 1831; 4ª, 1845; 5ª, 1858, a Philareto Drozdov parata, mutatis vix quibusdam verbis; 6ª, 1895. Textum cum versione germanica invenies apud Maltzev, *Die Sakramente der orth. kathol. Kirche des Morgenlandes*, Berolini, 1898, p. 146-164; cf. p. XCIII; versionem gallicam a L. Petit, in *Échos d'Orient*, t. II (1899), p. 136-137. Jam anno 1722, quidam ritus

Tertia propositio. — *Lutherani et calvinistæ Ecclesiæ russicæ per rebaptizationem regulariter adscripti sunt usque ad annum 1718; ex quo, accepto rescripto Jeremiæ III ad Petrum Magnum*[1], *eodem fere ritu in Ecclesiam russicam recepti sunt quo Catholici, addita tamen semper, etiam ab anno 1757, chrismatis unctione, cum Protestantes sacramentum Confirmationis non habeant. Inde jam a sæculo XVII, Petrus Moghila et Kiovienses eumdem ritum erga Protestantes servabant.*

IV. — De variis explicationibus a theologis græco-russis prolatis, ut Ecclesiæ suæ variationes in recipiendis heterodoxis, ac praesertim Latinis et Protestantibus, excusent.

Theologi russi nostri ævi libenter agnoscunt rebaptizationem Latinorum et Protestantium, prout in Ecclesia russica olim usurpabatur et apud Græcos etiam nunc viget, vero fundamento theologico carere, antiquæ Ecclesiæ græcæ ac byzantinæ praxi adversari, et tanquam abusum exstirpandum habendam esse; cujus ortum et propagationem ex circumstantiis historicis explicant, atque aliquatenus excusant. Dicunt siquidem Moscovitarum simultatem in Polonos et Ruthenos Unitos Philareti Nikititch decreto ansam præbuisse; Graecos vero ad rebaptizandos Latinos sæculo XVIII impulsos fuisse successibus missionum catholicarum inter Syros; nec fateri recusant concilium Mosquense anni 1620, utpote locale ac particulare, errasse; item Cyrilli V ordinationem pro tota Ecclesia orthodoxa obligatoriam non esse, quippe quæ istius Ecclesiæ agendi rationi erga heterodoxos aperte contradicat. Unde, ut jam diximus, contra bezpopovtsos variis argumentis demonstrant validitatem baptismi ab hæreticis vel Latinis collati[2].

reconciliationis rascolnikorum absque rebaptizatione et reconfirmatione per solam pœnitentiam et fidei professionem editus fuerat. Cf. Seraphimov, *De officiis receptionis heterodoxorum in Ecclesiam orthodoxam*, in *Trudy kiov.*, 1867, t. I, p. 281-316.

1. Cf. supra, p. 114.

2. Cf. diversa compendia theologiæ polemicæ contra bezpopovtsos rascolnikos, v. g., Plotnikov, *Manuale confutationis russici schismatis*, 4ª ed., Petropoli, 1897, p. 222-227; I. Strelbitskii, *Confutatio rascolis*, Odessæ, 1896, p. 228 sq.; Nilskii, *art. cit.*, Seraphinov, *art. cit.*, A. Gren-

Græci vero ab hac quaestione non tam facile se expediunt. Ex ipsis aliqui, illi scilicet qui validitatem baptismi hæreticorum agnoscunt, etiamsi per trinam infusionem collatus fuerit, cum Russis conveniunt de rationibus mere historicis, quæ tum olim in Russia, tum recentius in Græcia, rebaptizationem Occidentalium pepererunt; siquidem candide fatentur rebaptizationem ab Ecclesia « orthodoxa » adhibitam fuisse tanquam munimentum ac propugnaculum « Orthodoxiæ » contra proselyticos impetus Catholicorum [1]; neque hunc defensionis modum improbare videntur.

Alii vero multo plures non infitiantur quidem Ecclesiam græcam hanc viam in hunc scopum, nempe ut ab ovili Orthodoxorum « papicos arceret lupos », elegisse [2]; contendunt autem eam hoc jure ac merito fecisse, neque ideo aliquo pacto culpandam. Docent namque omnia heterodoxorum sacramenta, etiam illa quæ modo debito et ad ritus byzantini apices fuerint collata, esse ex se vana, vacua, invalida, omni efficacia salutifera carentia, quod extra veram Ecclesiam nulla detur gratia, nullum spiritale charisma, nulla vera sacerdotii potestas. Habet tamen vera Ecclesia hanc miram facultatem ut *pro libitu* possit reddere validum illud quod fuit ex se invalidum ac inane. Hoc a sua voluntate pendet ut, prout sibi utile ac opportunum judicaverit, heterodoxorum sacramenta modo ad juris ac principiorum theologicorum rigorem, seu ut aiunt, κατὰ τὴν ἀκρίβειαν consideret atque in praxi habeat, id est ut nullius roboris ac valoris; modo vero eisdem applicet principium alicujus

kov, *art. cit. de decretis concilii Mosquensis* anni 1667; Sergius, Viatkæ episcopus, *op. cit.*, p. 110-111; Milasch, *Jus canonicum*, pars IV, § 171, ed. græc., p. 797-798.

1. Apostolus Christodulu, *op. cit.*, p. 407, hæc habet : « Ecclesia orthodoxa Latinos ideo rebaptizat, ut suos filios a proselytismi laqueis præservet, expressiusque notet discrimen inter utramque Ecclesiam existens. »

2. Ita Mesoloras, *op. cit.*, t. II², p. 204 : « Nostra Ecclesia, inquit, qui ex heterodoxis Ecclesiis accedunt rebaptizare consuevit, quia baptismum eorum non ut validum et canonicum habet. Hoc etiam decrevit, ut suos filios tueretur ἀπὸ τῶν προπαγανδῶν τῆς Δύσεως καὶ δὴ τῶν Ἰησουϊτῶν, διακηρυττόντων ἐν ταῖς τῆς Ἀνατολῆς χωραῖς καὶ ταῖς νήσοις, ὅτι οὐδεμία διαφορὰ ἐν τῷ βαπτίσματι μεταξὺ ὀρθοδόξων καὶ δυτικῶν, » Ita etiam Andrutsus, Συμβολική, p. 278.

dispensationis, seu indulgentiæ, seu temperantiæ, quam nomine *œconomiæ* designant. Unde κατὰ τὴν ἀκρίβειαν, omnia heterodoxorum sacramenta, etsi modo debito perfecta, invalida sunt, eaque vera Ecclesia, *si velit*, hæreticis ad se accedentibus omnino inculpate renovare potest; κατὰ τὴν οἰκονομίαν vero, eadem Ecclesia, ob rationabile motivum, de cujus pondere ipsa sola judicat, hæreticorum sacramenta rata habere potest ac valida. Aliis verbis, theologi illi veræ Ecclesiæ pro omnibus sacramentis, baptismo non excepto, eamdem potestatem tribuunt, quam Catholici romano Pontifici pro *sanatione in radice proprie dicta* matrimonii, quod fuerit invalidum non quidem propter defectum consensus, in quo stat sacramenti essentia, sed propter impedimentum dirimens juris ecclesiastici, vel juris divini quod per se cessat. Quemadmodum enim Summus Pontifex sanat in radice consensum, impedimentum auferendo, ita nostrorum theologorum οἰκονομία sanat heterodoxorum sacramenta per Ecclesiæ voluntatem, quæ, pro causa sibi nota, hujusmodi sacramenta ut valida habere proprio motu decernit. Vel hujus οἰκονομίας usum conferre *ex parte* licet cum potestatis jurisdictionis exercitio tum in sacramenti pœnitentiæ foro, tum in simplicis presbyteri delegatione pro sacramento Confirmationis administrando. Etenim, ut presbyter jurisdictionis potestate pro confessionibus audiendis, vel papæ delegatione pro conferenda Confirmatione nondum munitus, nec valide absolvere, nec valide confirmare potest, atque ad hæc munia obeunda radicalem tantum et adhuc ligatam potestatem ex sacra ordinatione retinet; ita heterodoxorum sacramenta ex se nullius sunt valoris; possunt tamen fieri valida ex Ecclesiæ beneplacito, quemadmodum voluntas episcopi vel papæ confert presbytero expeditam potestatem valide absolvendi vel confirmandi. Vel, si mavis, heterodoxorum sacramenta sunt quasi materia informis, inanis, inanima; quæ, si Ecclesia ad stricta τῆς ἀκριβείας principia steterit, in hoc statu permanebit et nihil valebit; quæ vero, si Ecclesia, τῇ οἰκονομίᾳ utendo, *sua voluntate* eam informare, replere, vivificare voluerit, tunc veri sacramenti valorem atque efficaciam consequetur. Porro horum theologorum unus ex recentioribus de hoc capite audiatur :

« Si œconomiæ rationem ad Ecclesiæ principia accommodare velimus, alterutrum manifesto constat : Vel sacramenta reviviscunt, quando ad veram Ecclesiam quis convertitur, ut tenent theologi occidentales non pauci; vel Ecclesia ut suprema sacramentorum domina exhibetur, hac gaudens facultate, ut ea pro circumstantiis ex invalidis natura in valida mutare possit. Ita sane τὴν οἰκονομίαν interpretatur et Puller, animadvertens « Patres orientales plerumque docere baptismum hæreticorum esse invalidum, etsi secundum regulas rite perfectum ; censere vero Ecclesiam, *si suam voluerit potestatem exserere fortiter*, illud quod natura sua invalidum sit, validare posse. Ita, ut videtur, rem considerat orientalis Ecclesia usque ad hodiernam diem [1]. » Ecclesia utique, utpote proprii juris, societas, τῆς ἀκριβείας καὶ τῆς οἰκονομίας usum, et in genere suam de sacramentis sententiam temperat ac manifestat pro commodo proprio, intendens quidem universe salutem, rationem vero habens tum propriorum filiorum, tum resectorum membrorum. Porro reviviscentia sacramentorum contingens tempore conversionis ad Orthodoxiam rejicienda est, quia supponit hæreticos quosdam exstare qui sacramenta valide conficiant; quod non admittit Ecclesia orthodoxa, ex quo eosdem prorsus hæreticos modo quidem iterum baptizat, modo vero non; aut eosdem alia synodus recipit, alia minime. Præfata τῆς οἰκονομίας acceptio, etsi nondum authentice definita; quamvis item hujus œconomiæ extensio non fuerit theologice investigata, innititur tamen sufficienter Ecclesiæ praxi, juxta quam idem sacramentum pro variis circumstantiis nunc validum, nunc invalidum declaratur. Quidquid sit, maxime optandum, ut aliquando tandem authentico decreto praxis ad theoriæ normam adducatur, atque ab ipsa Ecclesia authentica detur interpretatio modi recipiendi hæreticos, quisquis ille sit qui in praxim deductus fuerit [2]. »

1. Puller, *The primitive saints*, p. 63.

2. Andrutsus, Δογματική, p. 307-308 : « Ἡ δὲ εἰρημένη ἐκδοχὴ τῆς οἰκονομίας, καίπερ μὴ αὐθεντικῶς καθωρισμένη, μηδὲ θεολογικῶς ἐρευνηθέντος παρ' ἡμῖν τοῦ μέτρου τῆς οἰκονομίας, ἐρείδεται ὅμως ἱκανῶς ἐπὶ τῆς πράξεως τῆς Ἐκκλησίας, ἐν ᾗ τὸ αὐτὸ μυστήριον κηρύσσεται κατὰ τὰς περιστάσεις ὅτε μὲν ἔγκυρον, ὅτε δ' ἄκυρον. » Eodem fere modo

Anglicanum Puller una cum Andrutso asserentem audivimus hanc de œconomia doctrinam ab antiquis Patribus orientalibus repetendam esse. Num revera ita sit? Rem penitus investigandi hic locus non est. Nobis satis sit tantum notare præfatam theoriam aliquod fundamentum sine controversia invenire, in modo dicendi sancti Basilii Magni, tum in 1, tum in 47 suo canone. In primo namque sanctus doctor utramque vocem, τὴν οἰκονομίαν scilicet et τὴν ἀκρίβειαν, jam usurpat, et quidem quantum ad baptismi hæreticorum validitatem, et in eodem fere sensu quo moderni theologi græci. Scribit enim :

« Quæ ad Catharos pertinent quæstiones..., recte admonuisti quod oportet uniuscujusque regionis morem sequi, quod variæ fuerunt de ipsorum baptismate dissensiones inter eos qui de ipsis statuerunt... Antiquis visum est, Cypriano dico et nostro Firmiliano... Catharos ad Ecclesiam venientes vero Ecclesiæ baptismo expurgandos esse; sed quoniam nonnullis Asiaticis omnino visum est *propter multorum œconomiam et dispensationem*, οἰκονομίας ἕνεκα τῶν πολλῶν, *eorum baptisma suscipi*, *suscipiatur*. Ad Encratitas autem quod attinet.., existimo nos oportere eorum baptisma abrogare, et si quis ab eis baptismum acceperit, eum ad Ecclesiam accedentem baptizare. Quod si hoc institutum catholicæ Ecclesiæ [1] impedimento futurum sit, rursus consuetudine utendum est, et sequi oportet Patres qui ad nos quæ pertinent, providerunt. Vereor enim ne dum volumus eos tardiores efficere ad baptismum, iis qui salvantur impedimento simus propter sententiæ severitatem. Sin autem illi

Dyovuniotis, *op. cit.*, p. 162-165, naturam τῆς οἰκονομίας declarat : « Ἡ Ἐκκλησία, ὡς ταμιοῦχος τῆς χάριτος καὶ κυρίαρχος τῶν μυστηρίων, ἔχει τὴν δύναμιν νὰ μεταβάλλῃ τὸ κῦρος τῶν μυστηρίων, καθιστῶσα τὰ ἄκυρα τούτων ἔγκυρα καὶ τὰ ἔγκυρα ἄκυρα... Τῶν αἱρετικῶν τὰ μυστήρια, καίπερ κανονικῶς γινόμενα, θεωροῦνται ἐνίοτε ὑπὸ τῆς Ἐκκλησίας ἄκυρα, καὶ τοὐναντίον ἔγκυρα, καίπερ μὴ κανονικῶς γινόμενα : Hæreticorum sacramenta, etsi canonice perfecta, quandoque ab Ecclesia habentur invalida, et e contra, valida habentur, etsi non secundum canones facta. » De hac œconomiæ doctrina quædam habent S. A. Duglas, *The relation of the Anglican Churches with the Eastern-Orthodox*, Londini, 1921, p. 51 sq.; Th. Spacil, *op. cit.*, p. 216-220, 256-259.

1. Alii : τῇ καθόλου οἰκολομίᾳ. Ita Pitra, *Juris eccles. Græcorum monumenta*, t. I, p. 578.

nostrum servant baptismum, hoc ne nos flectat; neque enim illis gratiam reddere tenemur, sed *canonum exactæ observationi servire*, ἀλλὰ δουλεύειν ἀκριβείᾳ κανόνων [1]. »

Item in canone 47 :

« Encratitæ et Saccophori et Apoctatitæ subjiciuntur eidem rationi, cui et Novatiani, quia de illis editus est canon, etsi diversus; quæ autem ad hos pertinent silentio prætermissa sunt. Nos tamen una ratione eos rebaptizamus. Quod si apud vos rebaptizare vetitum est, sicut et apud Romanos, *alicujus œconomiæ gratia*, οἰκονομίας τινὸς ἕνεκα, nostra tamen ratio ad hoc valeat, ut eorum baptisma abrogetur, quandoquidem eorum hæresis est veluti Marcionistarum germen... Unde eos in Ecclesiam non admittimus, nisi in nostrum baptismum fuerint baptizati [2]. »

Hac de *œconomia* et *acribia* doctrina veluti gladio ancipiti instructi, theologi græci mirum in modum dirimunt omnes objectiones et difficultates, quæ contra Ecclesiæ græ-

1. Pitra, *ibid.*, p. 576-579. Cum jam a sancto Basilio voces οἰκονομία et ἀκρίβεια in sensu canonico fuerint usurpatæ, mirum non est illas apud Græcos, inde a Patrum ævo, passim occurrere. Οἰκονομία enim idem sonat ac *indulgentia*, *dispensatio*, *compositio*, et quandoque *la combinazione* Italorum; Ἀκρίβεια vero est exacta juris et principiorum observatio. Οἰκονομία ad liberalismum ac laxismum prona est; ἀκρίβεια vero ad integrismum et rigorismum.

2. Ad hæc Arcudius jure notat : « Basilius, in eo primo canone, nescio qua de causa est indifferens, ut doceat et rebaptizandos esse et non rebaptizandos [hujusmodi hæreticos] οἰκονομίας ἕνεκα, œconomiæ ac moderationis gratia. Hoc est, ut interpretatur Zonaras, « ne διὰ τὴν ἀκρίβειαν segniores eos reddamus ad accedendum in catholicam Ecclesiam »; ut etiam Matthæus Blastarius in suo Nomocanone, « providentia quadam, ut hac ratione multo plures ad catholicam accedant fidem »; quas expositiones ex verbis Basilii nominati auctores eruunt. Nescio, inquam, qua de causa ita judicet Basilius. Non enim in nostra est positum potestate immutare naturam baptismi, qui illud sibi peculiare et de jure divino habet ut, si adsint causæ constituentes, et validus sit, et nefas sit eum amplius iterare; et si desint causæ et circumstantiæ necessariæ, nulla hominum voluntate, nullo arbitrio validus effici possit. Quæ igitur ista est œconomia, ut propterea modo validus, modo nullus censeri debeat? Animadvertant itaque Græci nostri temporis quantum suis, immo nostris sanctis et doctoribus tribuant. Ergo, inquiet aliquis, cum hæreticis doctores Ecclesiæ, quippe homines, confutandos atque rejiciendos censes? Non hoc, apage, sed extrema fugienda moneo. Non enim quandoque

cæ immutabilitatem ac infallibilitatem ex perpetuis ejus variationibus in recipiendis heterodoxis haud ægre moveri possent. Si enim, inquiunt, Medio Ævo Ecclesia orthodoxa Latinos non rebaptizabat, hoc fecit οἰκονομίᾳ in illos utendo, quod gens ferox ac potens erat, et eo animo in Orthodoxos affecta, ut eis haud parvum detrimentum afferre posset [1]. Si vero sæculo XVIII mediante eosdem Latinos rebaptizandos esse decrevit, mutationis rationem reddit recursus ad ἀκρίβειαν. Eos autem κατὰ τὴν ἀκρίβειαν tractare statuit, quia, attentis circumstantiis, hæc agendi ratio bono Ecclesiæ magis conducebat quam œconomiæ usus. Anno 1755, utrique, tum patriarchæ, rebaptizationis tenaces, tum metropolitæ synodi huic modo receptionis adversantes, recte judicabant, sub diverso tamen respectu; illi quidem κατὰ

satis est dicere : Hoc Basilius ait; illud Chrysostomus docet... In sanctorum commentarios, quantumvis licet eruditissimos, humanos errores aliquando irrepserunt. Ut igitur Basilius merito rejicit Dionysium martyrem in illo priori, ita nos Basilium in hoc posteriori, idque cum concilio secundo œcumenico Constantinopolitano, cap. 7, ubi statuitur commemoratos hæreticos, quos Basilius appellat schismaticos, non esse rebaptizandos. » *Op. cit.*, l. I, c. XI, p. 30-31. Vestigium τῆς οἰκονομίας etiam deprehenditur in *Epistola Theophili Alexandrini ad Flavianum Antiochenum* a Severo Antiocheno laudata. Cf. W. Brooks, *The sixth book of the select letters of Severus patriarch of Antioch*, t. II (1903), p. 303; Cavallera, *Le schisme d'Antioche*, Parisiis, 1905, p. 290.

1. Ita expressis verbis *Pidalii* auctores : « Κάποιάν τινα μεγάλην οἰκονομίαν ἠθέλησε νὰ μεταχειρισθῇ εἰς τοὺς Λατίνους ἡ Ἐκκλησία ..., διατὶ ὁ παπισμὸς τότε ἤκμαζε, καὶ ὅλας τὰς δυνάμεις τῶν τῆς Εὐρώπης βασιλέων εἶχεν εἰς τὰς χεῖράς του, τὸ δὲ βασίλειον τὸ ἰδικόν μας ἔπνεε τὰ λοίσθια. Ὅθεν ἦτο ἀνάγκη, ἂν ἡ οἰκονομία αὐτὴ δὲν ἐγίνετο, νὰ ἐγείρῃ τὰ λατινικὰ γένη ὁ πάπας κατὰ τῶν Ἀνατολικῶν, νὰ αἰχμαλωτίζουν, νὰ φονεύουν, καὶ ἄλλα μύρια εἰς αὐτοὺς νὰ κάμνουν δεινά. Ἀλλὰ τώρα, ὅπου κατὰ τοιαῦτα δὲν δύνανται νὰ κάμνουν,.. τί πλέον οἰκονομία χρειάζεται; Magnam quamdam œconomiam voluit Ecclesia in Latinos ostendere... quia papismus tunc florebat, in manus habens omnes regum Europæ copias, dum nostrum regnum in extremo erat. Unde necesse erat, si œconomia ista non intercessisset, ut papa latinicas gentes adversus Orientales concitaret, ut in servitutem redigere, occidere et sexcenta alia mala in eos patrare possent. Nunc vero, ubi hujusmodi malis inferendis impares sunt... ad quid amplius œconomia? » Ita etiam Athanasius Pariensis, *op. cit.*, p. 352 in nota : « Οἰκονομίᾳ οἱ τότε χρώμενοι διὰ τὸν βρασμὸν τοῦ παπισμοῦ καὶ τὴν τυραννίαν οὕτως ἐτύπωσαν. Ἀλλὰ νῦν ὁ τῆς οἰκονομίας παρῆλθε καιρός. »

τὴν ἀκρίβειαν, hi vero κατὰ τὴν οἰκονομίαν [1]. Sæculo XVIII, Cyrillus V *acribiam* adhibuit, sicut Philaretus Nikititch sæculo XVII ineunte fecerat. In synodo autem Mosquensi anni 1667, patriarchæ orientales propter majus Ecclesiæ bonum usum œconomiæ erga Latinos Russis commendarunt. Anno 1718 item, eamdem, agendi rationem erga Protestantes Jeremias III Petro Magno suasit; atque exinde in Ecclesia russica *œconomia* pacifice regnavit, tacite approbante Ecclesia græca, quæ ratas habuit Catholicorum receptiones κατὰ τὴν οἰκονομίαν Petropoli factas, dum ipsa eosdem Catholicos secundum rigorem τῆς ἀκριβείας tractare malebat [2].

1. Ita ludimagister Ephrem Atheniensis in quadam ad amicum epistola, die 9 augusti 1755 scripta, Mansi-Petit, *op. cit.*, t. XXXVIII, col. 629-634 : « Ὁ παναγιώτατος πατριάχης καλῶς λέγει, ἐὰν μόνον ζητῶμεν τὰ τῆς ἀκριβείας. Ὅταν δὲ τὰ τῆς οἰκονομίας πολλῶν ἕνεκα τηροῦμεν, ὅπερ καὶ ἔθος τῇ Ἐκκλησίᾳ, καλῶς λέγουσι καὶ οἱ ἀρχιερεῖς : Sanctissimus patriarcha recte loquitur, si τῆς ἀκριβείας tantum rationem habeamus. Sin autem multis de causis τῆς οἰκονομίας rationem custodimus, quod et Ecclesiæ solemne est, recte loquuntur et metropolitæ », col. 629.

2. Ita, quoad sensum, Joachimus II, patriarcha œcumenicus, cum sua synodo in responsione ad metropolitam Atheniensem anno 1875 data : « Τὸ βάπτισμα τῶν δυτικῶν ὅτε μὲν ἐθεωρήθη ὡς ἔγκυρον... ὅτε δὲ τοὐναντίον ὡς ἄκυρον... Ἡ μὲν ἁγιωτάτη ῥωσσικὴ Ἐκκλησία, ἐκ λόγων εὐλόγων ὁρμωμένη, ἔχει ἐν χρήσει τὰς ἀποφάσεις τῆς νεωτέρας ἐπὶ Ἰωάσαφ ... συνελθούσης ἐν Μόσχᾳ συνόδου, ὡς συντελεστικὰς εἰς τὰ συμφέροντα τῆς ἐκεῖ Ἐκκλησίας θεωροῦσα. Αἱ δὲ ἐν τῇ Ἀνατολῇ Ἐκκλησίαι θεωροῦσι μέχρι τοῦδε ἐπάναγκες εἰς τὰ συμφέροντα τῆς Ὀρθοδοξίας τὸ ἀκολουθεῖν τῷ ἐπὶ Κυρίλλου τοῦ Ε′ ἐκδοθέντι ὅρῳ : Baptismus Occidentalium nunc quidem ut validus habitus est, nunc vero, e contra, invalidus. Sanctissima Ecclesia Russiæ, rationibus probabilibus innixa, in praxi servat decreta recentioris sub Joasaph synodi, Mosquæ congregatæ, eas commodis Ecclesiæ, quæ ibi est, utiles judicans. Ecclesiæ Orientis autem hactenus necessarium omnino ad Orthodoxiæ emolumenta censent decreto sub Cyrillo V lato obsequi. » Apud Theotokam, *op. cit.*, p. 367 sq. Rem non ita ducunt plerique theologi Russi, ibique haud contemnendum discrimen inter Ecclesias græcas et Ecclesiam russicam inveniunt. Cf. Philaretum Drozdov, *Epistolæ ad A. N. Muraviev* (russice), Kioviæ, 1869, p. 368 sq. De hac discrepantia non semel tum in Oriente, tum in Occidente actum est, occasione peregrinationis Anglicani William Palmer ad regiones Orientis et Russiæ, necnon ejusdem postremo conversionis ad Ecclesiam catholicam. Primum quidem Palmer Orthodoxiam orientalem amplecti volebat. Videns autem hanc inter utramque Ecclesiam, russicam videlicet et græcam, differentiam, proposito destitit, recusa-

Porro theologi græci non pauci dicunt pro ipsa Ecclesia græca tempus jam advenisse ad œconomiæ usum erga heterodoxos occidentales redeundi [1].

vitque nomen dare Ecclesiæ, in qua « peregrinatio ad Petropolim tanti valebat quanti baptismus Constantinopoli susceptus »; quæ loquebatur « comme un ventriloque, sans voir grand mal à tourmenter les particuliers par ses deux voix discordantes. » Cf. S. Tyszkievvicz, *Un épisode du mouvement d'Oxford : La mission de William Palmer*, in *Études*, 20 juillet 1913, t. CXXXVI, p. 200 sq.

1. Ita v. g. Chrysostomus Papadopulus, *art. cit.*, Ἐκκλησιαστικὸς Φᾶρος, t. XIV (1915), p. 483 : « Ἡ ὀρθόδοξος Ἐκκλησία δύναται ν'ἀγνωρίζῃ αὐτὸ [τὸ βάπτισμα τῶν Δυτικῶν] κατ'οἰκονομίαν, ἐκεῖ μάλιστα ἔνθα οὐδαμῶς προέρχεταί τις βλάβη τῆς ὀρθοδοξίας. »

CAPUT TERTIUM

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS SEU SACRI UNGUENTI

Prænotamina.

Inde jam a Photii tempore, Græcorum criminatio duplex adversus Latinos de sacramento Confirmationis prolata est. Missionarii enim byzantini in Bulgariam a Photio missi huic genti asserere non dubitabant sanctum chrisma in Græcia oriri ac jugiter manare [1]; Latinos vero eo carere, et ejus loco meram fluminis aquam adhibere [2]. Ipse vero Photius, cum latini episcopi ad Bulgaros a Nicolao papa ablegati a græcis presbyteris confirmatos sacro chrismate rursus unxissent, in Latinos, quod simplicem presbyterum sacramenti Confirmationis validum ministrum non haberent, vehementer atque clamose invectus est [3], advertere nolens Nicolai papæ missos Bulgaris recenter conversis chrismatis unctionem non ideo iterasse, quod a simplicibus presbyteris confirmati fuissent, sed quod a presbyteris *photianis*, et in territorio alieno, et chrismate a Photio, usurpatore ac deposito, benedicto [4]. Non enim antea Latini validitatem Confirmationis a presbyteris græcis pro more Ecclesiæ orientalis collatæ in dubium umquam vocaverant.

Sæculo XV ineunte, cum jam in Ecclesia occidentali mos invaluisset sacramentum Confirmationis non statim post

1. « Græcos dicere perhibetis, quod in illorum patria chrisma oriatur, et ab illis per totum mundum tribuatur : et ideo nosse desideratis si verum sit ; sed jam credimus quod vestra solertia quod verum non sit animadvertit. » *Nicolai papæ I responsa ad consulta Bulgarorum*, n. 94; *P. L.*, t. CXIX, col. 1012 C.

2. « Chrisma nos ex aqua fluminis conficere fallaciter arbitrantur. » *Nicolai papæ I epist. CLII, ad Hincmarum et cæteros episcopos in regno Caroli constitutos*, *P. L.*, *ibid.*, col. 1155 C.

3. *Encyclica epist. ad archiepiscopales thronos Orientis*, 7; *P. G.*, t. CII, col. 725.

4. De hac Bulgarorum reconfirmatione infra, p. 169, sermo erit.

baptismum conferendi, sed illius receptionem usque ad discretionis annos procrastinandi, polemistæ antilatini, Simeone Thessalonicensi duce [1], hujusmodi usum Latinis crimini vertere inceperunt, eos etiam reprehendentes quod hujus sacramenti administrationem solis reservent episcopis. Progrediente vero tempore, et nostris præsertim diebus, omnia fere quæ in ritu latino Confirmationis aguntur, iisdem polemistis accusabilia visa sunt. Improbant siquidem tum materiam proximam, quod una tantum unctio fit in fronte, et non chrismantur diversae corporis partes [2], ut apud Orientales mos est; quod etiam apostolicus ritus impositionis manuum adhuc retinetur, cum hic, juxta illos, jam a tempore apostolorum abrogatus fuerit [3]; tum formam, quod omnino recens sit [4]; tum doctrinam de ministro ordinario hujus sacramenti a concilio Tridentino definitam [5]; tum praxim differendi collationem sacramenti usque ad annos discretionis [6]; tum doctrinam de charactere indelebili, quam, ut vidimus, ex illis non pauci rejiciunt; immo etiam alapam ipsam super confirmati genam ab episcopo datam, quam e ritu consecrationis equitum Medio Ævo usitato desumptam esse contendunt [7].

Dum talia Latinis isti exprobrant, quæ fere omnia ad usus liturgicos vel disciplinares spectant, quibusdam novitatibus ad doctrinam quod attinet minus innocuis, in Ecclesiam græco-russicam post schisma consummatum introductas, parum vel minime attendunt. Græci enim, contra manifestam Ecclesiæ antiquæ traditionem, in infidelitatem lapsis vel etiam a quacumque hæresi vel schismate reducibus sacramentum iterant. Item antiqui Byzantini sacramentalem efficaciam ritui chrismationis imperatorum tribuere visi sunt, dum theologi russi recentiores eumdem ut quemdam

1. *De sacramentis*, c. XLIII; *P. G.*, t. CLV, col. 188 C.
2. Dyovuniotis, *op. cit.*, p. 78; Perov, *op. cit.*, p. 81; Mesoloras, *op. cit.*, p. 239-240.
3. Truskovskii, *Theologia polemica*, p. 55; Perov, *op. cit.*, p. 80.
4. Perov, p. 80-81.
5. Sylvester Malevanskii, *op. cit.*, Kioviæ, 1889, t. IV, p. 357-358; Dyovuniotis, p. 79-80; Truskovskii, p. 55, etc.
6. Perov, *op. cit.*, p. 81-82.
7. Malinovskii,. *op. cit.*, p. 357.

sacramenti Confirmationis gradum superiorem communiter habent. Ad validitatem autem Confirmationis a ministro hæretico vel deposito collatæ quod attinet, non una semper fuit, neque nunc est et Ecclesiæ græco-russicæ praxis et theologorum illius doctrina.

Ut de his omnibus aliisque quæ respectum mereantur, sermo congruus instituatur, præsens caput in sex articulos partimur, scilicet :

1° De nominibus, definitione et institutione sacramenti Confirmationis;

2° De materia quum remota, tum proxima ejusdem sacramenti;

3° De forma ejusdem;

4° De ejus effectibus; in quo et de reconfirmatione apostatarum necnon de significatione theologica chrismationis imperatorum;

5° De ministro ordinario et extraordinario hujus sacramenti;

6° De subjecto ejusdem.

ARTICULUS I

De nominibus, definitione et institutione sacramenti Confirmationis.

Usitatiora nomina hujus sacramenti apud Byzantinos et Græcos recentiores desumuntur ex materia tum proxima tum remota suntque hæc duo : τὸ χρίσμα, τὸ ἅγιον μύρον. Russi utuntur voce *myropomazanie*, id est, *unctio unguenti*. Non raro occurrit, etiam apud theologos recentiores, vox βεβαίωσις, ad sacramenti effectum alludens et *Confirmationi* Latinorum respondens; cujus origo in textu apostolico (II Corinth, n. 21) quærenda est, jamque in *Constitutionibus apostolicis* usurpatur [1]. Hac voce usus est qui *Confessionem fidei* de Michaele Palæologo dictam græce reddidit [2],

1. *Const. Apost.*, l. III, c. XVII : Βεβαίωσις τῆς ὁμολογίας.

2. « Ἄλλο ἐστὶ μυστήριον βεβαιώσεως, ὃ διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν οἱ ἐπίσκοποι φέρουσι. » A. Theiner et F. Miklosich, *Monumenta spectantia ad unionem Ecclesiarum*, Vindobonæ, 1872, p. 18.

dum Joannes Veccus patriarcha, in propria *Confessione* anno 1277 ad papam missa, appellationem τὸ τῆς βεβαιώσεως χρίσμα adhibet [1]. Dositheus, in *Fidei Confessione*, c. xv, a voce βεβαίωσις non abhorret [2], dum *Confessio orthodoxa* Petri Moghilæ habet τὸ μύρον τοῦ χρίσματος, id est *unguentum chrismatis* [3]; qua voce non semel usi sunt theologi russi, quum theologicas disciplinas latine traderent, vocem latinam *Confirmatio* sæpius usurpantes [4].

Definitiones hujus sacramenti a compendiorum vel catechismorum auctoribus traditæ irreprehensibiles generatim sunt illiusque proprium effectum, ad gratiam quod attinet, bene notant; prætermissione tamen peccant, quatenus de charactere indelebili silent. Sylvester Lebedinskii hanc longam habet :

« Unguentum chrismatis sive Confirmatio est sacramentum, in quo, per externam, visibilem et materialem olei consecrati unctionem in certis definitisque corporis partibus factam, significatur et confertur interna, spiritualis et mystica Spiritus Sancti unctio ad confirmandam ex parte Dei baptizati animam omnis spiritualis gratiæ robore, ex parte vero hominum ad confirmamdam fidei professionem et obedientiæ promissionem in baptismo factam. *Vel aliter :* Confirmatio est signum sacrum et sensibile ex institutione Christi vim habens conferendi christianis baptizatis novum robur et augmentum gratiæ, quo et fidem suam constanter profiteantur, et pugnam cum Christi et fidei hostibus fortiter ineant [5]. »

Brevior est definitio *Catechismo Philareti* inserta : « Unguenti unctio est sacramentum in quo, per unctionem unguenti consecrati super corporis partes in nomine Spiritus Sancti, credenti tribuuntur dona Spiritus Sancti, illum educantia ac roborantia in vita spirituali [6]. »

Huic definitioni generatim stant theologi russi recen-

1. A. Theiner et F. Miklosich, *op. cit.*, p. 27.
2. « Τὸ δὲ τῆς βεβαιώσεως [μυστήριον], ταὐτὸν εἰπεῖν, τοῦ ἁγίου μύρου καὶ ἁγίου χρίσματος. » Kimmel, p. 449.
3. I pars, q. civ, Kimmel, p. 175.
4. Cf., v., g. Sylv. Lebedinskii, *op. cit.*, p. 488 sq.
5. *Ibid.*, p. 489.
6. *Ad art.* x *Symboli.*

tiores, illam plus minusve explicantes [1]. Neque ab illa discrepat definitio a Græco Dyovuniota tradita :

« Chrisma est sacramentum in quo qui post baptismum sacro unguento ungitur charismata accipit Spiritus Sancti necnon virtutem corroborantem et evolventem quæ in eo est novam vitam spiritualem [2]. »

Hoc sacramentum esse a baptismo distinctum communiter docent compendiorum auctores contra Protestantes [3]. Quidam dicunt illud fuisse a Christo institutum, quando exclamavit : « Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ » (Joan., VII, 37-38) [4]. Dositheo magis placet asserere Christum illud instituisse his verbis : « Vos autem sedete in civitate Jerusalem quoadusque induamini virtute ex alto » (Luc. XXIV, 49); qua virtute, inquit, per Spiritus Sancti adventum sunt induti, hancque indicat Confirmationis sacramentum [5]. » Juxta *Confessionem orthodoxam* item hoc sacramentum incepit eo tempore quo super apostolos descendit Spiritus Sanctus, eos divina sua gratia obsignans, ut constanter et sine intermissione Christi fidem prædicarent [6]. « Quidam, ait Lebedinskii, ejusdem originem derivant *ex impositione manuum*, cujus antiquitas ab omnibus vetustis scriptoribus ad apostolorum refertur ætatem eorumque exemplo ac praxi fundatur [7]. »

Plerique hujus sacramenti indicia plus minusve clara reperiunt in iisdem Novi Testamenti locis, quos laudant theologi catholici, scilicet : Joan., VII, 37-39; Luc., XXIV, 49; Act., VIII, 14-17; XIX, 2-6; II Corinth., I, 21-22; Hebr., VI, 2-4; I Joan., II, 20, 27. Jeremias II solus, in *I Responso ad lutheranos*, c. VII, fassus est hoc sacramentum « in divinis

1. Cf. Macar., *op. cit.*, p. 347; Malinovskii, *Compendium theol. dogmaticæ*, t. II, p. 345.

2. « Χρίσμα εἶνε τὸ μυστήριον ἐν ᾧ ὁ χριόμενος μετὰ τὸ βάπτισμα δι'ἁγίου μύρου λαμβάνει τὰ χαρίσματα τοῦ ἁγίου Πνεύματος καὶ δύναμιν ἐνισχύουσαν καὶ ἀναπτύσσουσαν τὴν ἐν αὐτῷ νέαν πνευματικὴν ζωήν. » *Op. cit.*, p. 66.

3. Cf. Dyovun., p. 68; Macarium, p. 347; Mesoloram, p. 223.

4. Antonius Amphit., *op. cit.*, § 290, p. 337.

5. *Confessio fidei*, c. XV.

6. I pars, q. CIV, Kimmel, p. 175-176.

7. *Op. cit.*, p. 490.

litteris non occurrere; traditum tamen fuisse a discipulis Verbi, sicut tradidit in sacris suis scriptis Dionysius a divo Paulo institutus [1] »; quibus in *II ad eosdem Responsio*, c. IV, hæc adjunxit : « Quod vero in baptismis quos recensuistis, chrismatis nulla mentio fiat, nolite mirari. Ecclesia enim Christi, gratia ejus proficiens, divinis dictis ac fundamentis innixa, *multa adinvenit iisque sese ornavit* [2]. » Hæc autem lutheranis non parum placuerunt; qui patriarchæ græco in hunc modum responderunt :

« Quod autem Chrisma olei nullum habeat testimonium in Novo Testamento vos ipsi non negatis. Non enim tantum fatemini quod Paulus ea de re nihil scripserit, sed neque ullum Christi aut alicujus apostoli testimonium pro chrismate affertis, et inter alia dicitis : *Ecclesia Christi, gratia ejus proficiens*, etc... Quibus verbis significatis Chrisma esse adinventionem Ecclesiæ [3]. »

Non præviderat utique imprudens apologeta Reformatos ejus testimonio esse usuros, ut divinam sacramenti institutionem labefactarent.

ARTICULUS II

De materia remota et proxima Confirmationis.

I. — De materia remota.

Materia remota hujus sacramenti, juxta Græco-Russos, est τὸ μύρον, id est oleum olivæ variis aromatibus et unguentis admixtum (inter quæ semper occurrit balsamum), ab episcopo vel patriarcha feria quinta Majoris Hebdomadæ consecratum. Quidam theologi notant quantitatem olei adhibitam cæteris elementis prævalere debere [4]. Cæterum varias materias odoramentaque oleo addita non esse, si

1. « Τὸ δὲ τοῦ θείου μύρου μυστήριον οὐκ ἐμφέρεται μὲν ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ, παραδέδοταί γε μὴν ὑπὸ τῶν μαθητῶν τοῦ Λόγου. » Apud Gedeonem Cyprium, Κριτὴς τῆς ἀληθείας, Lipsiæ, 1758, p. 41.

2. « Ἡ γὰρ τοῦ Χριστοῦ Ἐκκλησία, τῇ χάριτι αὐτοῦ προκόπτουσα..... πολλὰ ἐξεῦρε καὶ κατεστολίσατο. » *Ibid.*, p. 183.

3. *Secunda ad patriarcham responsio. Ibid.*, t. II, p. 209-210.

4. Cf. v. g., Mesoloram, *op. cit.*, p. 232.

balsamum excipias [1], de necessitate sacramenti, exinde colligitur quod : 1° Græco-Russi materiam Latinorum, quæ solum balsamum admixtum habet, invalidam nunquam declararunt; 2° numerus et natura elementorum, quibus τὸ μύρον pro temporum et locorum diversitate constitit, multum variaverunt, ut patet tum ex codicibus manuscriptis euchologii, tum ex ipsis exemplaribus editis. In vetustissimo *codice III*, *55 Barberino*, ante annum 797 exarato, species Sacrum Unguentum componentes sunt tantum numero tredecim [2]; in euchologio vero a Goario edito, sunt triginta novem [3], et in euchologiis sæculo XIX ultimo prelo mandatis, triginta octo [4]. Cæterum hæc novissima exemplaria veram sacri Unguenti compositionem, prout nunc inter Græcos exstat, non referunt. Anno enim 1833,Constantius I, patriarcha œcumenicus, novum officium consecrationis τοῦ μύρου concinnavit, ex quo non minus quam quinquaginta et septem species ad conficiendum chrisma adhibentur. Ex illis quadraginta tres una cum oleo coquuntur; cæteræ materiis ita decoctis infunduntur [5].

Secundum theologos, hæc multiplicitas varietasque odoramentorum varietatem donorum ac charismatum Spiritus Sancti significat [6]. Hujus sacri unguenti originem ab ipsis apostolis plerique derivant [7].

Loco τοῦ μύρου, unguentum e corpore sancti Demetrii Thessalonicensis vel aliorum sanctorum miraculose (?)

1. *Confessio orthodoxa*, I pars, q. CV, hæc habet : « Δεύτερον, νὰ ἔχῃ τὴν πρεπουμένην του ὕλην, ἤγουν τὸ ἔλαιον, τὸ βάλσαμον καὶ τὰ λοιπὰ μυρίσματα. » Kimmel, p. 177.

2. Goar., *op. cit.*, p. 509. Hunc codicem Goarius vocat *Barberinum Sancti Marci*.

3. *Ibid.*, p. 508-509.

4. Cf. ed. Venet., 1851, p. 159; Roman., 1873, p. 327.

5. Totum hoc novum officium accurate descriptum invenies in articulo a L. Petit conscripto : *Composition et consécration du saint chrême*, in *Échos d'Orient*, t. III (1900), p. 129-142. Ibi etiam leges specierum odoriferarum in compositionem τοῦ μύρου venientium mira nomina.

6. Cf. Athanasium Pariensem, *op. cit.*, p. 357; Mesoloram, p. 332-333.

7. Macarius, *op. cit.*, p. 354; Nectarius Kephalas, Κατήχησις, p. 171-172; etc. De hac origine apostolica iterum sermo infra erit, ubi de materia proxima hujus sacramenti.

manans interdum a quibusdam adhibitum fuisse non uno constat testimonio. Hæc tamen praxis tum a præsulibus tum a theologis tanquam abusus haud semel damnata est [1]. In casu necessitatis, deficiente *myro*, « aqua, ait Theophilus Papaphibus, sufficit tum ad unctionem, tum ad signaculum, tum ad confessionem mortui [2]. »

Juxta omnes, benedictio chrismatis solis reservatur episcopis; quidam vero expresse docent hoc esse de necessitate sacramenti [3]. Olim quidem quilibet episcopus pro sua diœcesi hanc consecrationem peragebat, secundum canonem Carthaginensem a Byzantinis receptum; progrediente vero tempore, patriarcha Constantinopolitanus hanc consecrationem pro toto Oriente, quibusdam præsulibus identidem reclamantibus [4], sibi soli sensim reservavit. Sæculo XVII, Russi ab hac pia servitute jam sese expedierunt [5]. Sæculo

1. Sæculo XIV, Bulgari nec τὸ μύρον a patriarcha Constantinopolitano petebant, nec ipsi illud consecrabant, sed ex reliquiis sancti Demetrii hauriebant; quod illis exprobravit Callistus III patriarcha, anno 1355. Cf. Miklosich et Müller, *Acta et diplomata græca Medii Ævi*, t. I, p. 440-445. Simeon Thessalonicensis, *De sacramentis*, c. XLIII, *loc. cit.*, col. 188 CD, tanquam materiam invalidam sacramenti habet τὸ μύρον e reliquiis sanctorum vel e sacris imaginibus fluens : « Καὶ ταῦτα μὲν σεβάσμια, inquit, καὶ χάριν ἔχοντα θείαν... ἀλλ'οὐ τὴν δύναμιν ἐκείνου τοῦ θειοτάτου μύρου. » Sæculo XVIII, abusus utendi unguento sancti Demetrii (cujus reliquiæ jam non comparebant) loco chrismatis nondum penitus exstirpatus fuerat; cui reclamat Theophilus Papaphilus in Ταμείῳ ὀρθοδοξίας, *ed. cit.*, p. 27-28, hujusmodi unguentum κακόμυρον appellans.

2. « Εἰ δὲ ἐξ ἀνάγκης ἐν τόπῳ τινὶ μήτε μύρον ᾖ, μήτε ἔλαιον, ἀρκεῖ ὕδωρ καὶ πρὸς χρίσιν καὶ πρὸς σφραγῖδα καὶ πρὸς ὁμολογίαν τοῦ ἀποθανόντος. » Ταμεῖον ὀρθοδοξίας, p. 26. Cf. *Const. Apost.*, l. VII, c. XXIII.

3. Cf. Malinovskii, *op. cit.*, p. 350; Simeon Thessal., *loc. cit.*, col. 188 D : « Virtus illius unguenti διὰ τῆς ἀρχιερωσύνης καὶ τῶν ἀρχιερατικῶν εὐχῶν χορηγεῖται. »

4. Reclamavit, inter alios, initio sæculi XIII, Demetrius Chomatianus, criminationibus Germani II patriarchæ œcumenici respondens. Cf. Pitra, *Analecta sacra et classica*, t. VII, col. 493. Cf. etiam L. Petit : *Du pouvoir de consacrer le saint chrême*, in *Échos d'Orient*, t. III (1900), p. 1-7; S. Petridès, *Consécration du saint chrême à Damas, en 1660*, *ibid.*, t. V (1902), p. 76-81, ex quo comperies compositionem chrismatis a patriarcha Antiocheno Macario III tunc benedicti a chrismate nunc Constantinopoli usitato haud parum differe.

5. Teste Arcudio, *op. cit.*, l. II, c. IX, p. 90-91, Rutheni (id est Russi), adhuc sæculo XVII ineunte, loco chrismatis ad Confirmationem oleo

autem XIX, alii, ut Rumeni, eamdem libertatem sibi vindicarunt; recenter vero et alii. Ubique tamen privilegium consecrandi chrisma primati cujusque Ecclesiæ autocephalæ defertur; a quo alii episcopi ejusdem regionis illud recipiunt. Neque quotannis hæc benedictio celebratur, ut apud Latinos mos est; sed plerumque per intervalla plus minusve longa tum propter implicatam Sacri Unguenti compositionem, tum etiam propter gravia expensa ad comparandas multiplices materias necessaria [1]. Ratio autem cur hujusmodi consecratio episcopis, et quidem primoribus, reservatur, juxta *Catechismum* Philareti hæc est; scilicet quod episcopi successores exstant apostolorum, qui impositionem manuum ad dona Spiritus Sancti communicanda ipsi perficiebant [2].

Notum est theologos catholicos de materia proxima Confirmationis in varias olim abiisse sententias, necdum inter se plene consentire. Communior tamen nunc videtur illa sententia, quæ materiam proximam reponit in ipsa chrismatione cum impositione manus episcopi ungentis frontem baptizati conjuncta. Illam invenimus expressam in ipsa *Confessione fidei Michaelis Palæologi* Græcis proposita et in concilio Ludgunensi II anno 1274 approbata [3]; cui favet

infirmorum utebantur. Hic abusus tamen mox cessavit. Patriarcha enim œcumenicus exarcham ad Russos misit, qui modum conficiendi τὸ ἅγιον μύρον eos edocuit. Synodus Mosquensis anni 1675 patriarchæ Mosquæ necnon metropolitæ Kioviensi jus consecrandi sacrum unguentum reservavit. Ecclesia russica, ante recens bellum, quibusdam autocephaliis τὸ μύρον distribuebat. Cf. A. Maltzev, *Begräbniss-Ritus*, Berolini, 1898, II pars, p. 92.

1. Ab anno 1850 ad annum 1900 quater tantum chrisma a patriarcha œcumenico consecratum est, annis scilicet 1856, 1865, 1879, 1890. Cf. L. Petit, *art. cit.*, p. 137.

2. *Loc. cit.*

3. « Aliud est sacramentum Confirmationis, quod per manus impositionem episcopi conferunt chrismando renatos »; quæ verba ita græce reddita sunt : « Ἄλλο ἐστὶ μυστήριον βεβαιώσεως, ὃ διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν οἱ ἐπίσκοποι φέρουσι χρίοντες τοὺς ἀναγεννωμένους. » A. Theiner et F. Miklosich, *op. cit.*, p. 18. Hoc ratum habuit Joannes Veccus patriarcha in Confessione fidei ad Joannem XXI papam anno 1277 missa; adjecit tamen apud Græcos, episcopos et presbyteros ἀδιαφόρως chrismare renatos. *Ibid.*, p. 27.

etiam novum jus canonicum [1]. Hæc manus impositio cum chrismatione conjuncta omnino diversa est ab illa manuum impositione quæ sacramentalis cæremoniæ initio fit et in ritu latino semper exstitit. Num hæc ad essentiam sacramenti apud Latinos adhuc pertineat, quæstio nondum definite soluta est. Theologi et historici haud pauci docent eam primum fuisse ritum essentialem, in cujus locum chrismatis unctio postea substituta fuerit [2]. Quonam autem tempore ista suffectio contigerit, non est una horum theologorum sententia [3].

Jam vero hæc prima manuum impositio in ritu byzantino non occurrit, et forsan in eo nunquam exstitit [4]. Unde theologi græco-russi solam chrismationem ut materiam proximam hujus sacramenti communiter habent. Non diffitentur quidem apostolos Spiritum Sanctum per solam manuum

1. *Can.* 780 : « Sacramentum Confirmationis conferri debet per manus impositionem cum unctione chrismatis in fronte et per verba in pontificalibus libris ab Ecclesia probatis præscripta. » *Can.* 781, § 2 : « Unctio autem ne fiat aliquo instrumento, sed ipsa ministri manu capiti confirmandi rite imposita. » Hæc ultima præscriptio profligat abusum quorumdam Orientalium ope penicilli chrismantes. Cæterum novum jus quæstionem speculativam de materia proxima necessaria Confirmationis non dirimit, ut ex canone 789 colligere licet : « Confirmandi, si plures sint, adsint primæ manuum impositioni seu extensioni, nec nisi expleto ritu discedant. »

2. In *Decreto Florentino pro Armenis* hæc habentur : *De solis apostolis legitur quod per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant... Loco autem illius manus impositionis datur in Ecclesia Confirmatio.* De valore dogmatico hujus decreti, ad sacramenta quod attinet, disputant theologi catholici. Plerique negant illud habere auctoritatem definitoriam; quibus adversantur quidem recentes, ut de Guibert in *Bulletin de littérature ecclésiastique de l'Institut catholique de Toulouse*, 1919, p. 81-95, 150-162, 195-215; P. Galtier, art. *Imposition des mains*, in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. VII, col. 1384-1393, 1408-1416.

3. Cf. *art. Confirmation*, in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. III, col. 998-999, 1072-1074; L. Saltet, *Les réordinations*, Parisiis, 1907, p. 402-406. De diversis theologorum catholicorum opinionibus circa materiam necnon circa ministrum Confirmationis, vide Witasse, *De Confirmatione*, Venetiis, 1738. Hoc præclarum opus invenies apud Migne, *Cursus theologicus*, t. XXI.

4. In quibusdam euchologiis, ut in *Barberino Sancti Marci* (sæc. VIII,) in *Sinaiticis 961* (sæc. X-XI) et *973* (anni 1153), Dmitrievskii, *Euchol.* p. 80 et 95, in reconciliatione hæreticorum notatur manus impositio super caput convertentis se ad Ecclesiam. Hic ritus tamen non fuit

impositionem neophytis primum contulisse; docent vero ex illis plerique ipsos apostolos in locum impositionis manuum unctionem chrismatis postea suffecisse, vel saltem sub se episcopis vel presbyteris concessisse administrationem Confirmationis per unctionem chrismatis a se benedicti, dum ipsi manuum impositione uti pergerent [1]. Quidam tamen dicunt hanc substitutionem a successoribus apostolorum factam fuisse [2]; quibus assentire videtur *Confessio orthodoxa*, in qua hæc leguntur :

« Hæc unguenti unctio, vel potius hæc efficentia unctionis, apostolorum ævo per impositionem manuum fiebat; unde Scriptura (Act., VIII, 17) dicit : « Tunc imponebant illis manus et accipiebant Spiritum Sanctum. » Postmodum per unctionem unguenti facta est, teste sancto Dionysio Areopagita, beati Pauli apostoli discipulo » (*Cæl. Hier.*, c. II et IV) [3].

De utriusque signi, impositionis manuum scilicet et chrismationis, convenientia, Philaretus Gumilevskii hæc habet :

« Manuum impositio, expeditam potestatem, qua servus Christi gaudet, largiendi dona exprimens, apostolicæ largitionis indicium merito vocari debet; ex alia vero parte,

communiter receptus, ut videtur, in Ecclesia byzantina, saltem post sæculum VIII, sed quarumdam Ecclesiarum tantum proprius fuit. Euchologia enim Ecclesiarum græcarum haud parum inter se differunt, etiam post sæculum IX, ut ex opere Dmitrievskii, Εὐχολόγια, videre est. *Epistola ad Martyrium Antiochenum*, necnon *canon 95 Trullanus* de manus impositione super hæreticos tacent, et de sola chrismatione loquuntur.

1. De apostolica origine unctionis chrismatis, cf. S. Lebedinskii, p. 495; Macarium, p. 349, 354-355; Philar. Gumilevskii, p. 149; Ant. Amphiteatrov, p. 338; S. Malevanskii, *op. cit.*, t. IV, p. 456; C. Andrutsum, Δογματική, p. 338-339; Dyovuniotis, p. 72, 75-76; Malinovskii, p. 349-350, qui docet apostolos chrismationem ideo introduxisse, quod ipsi quocumque pergere non possent ad imponendum manus supra baptizatos. Plerique unctionem innui dicunt in II Corinth., I, 21; I Joan., II, 20, 27.

2. Ita Philaretus Drozdov in *Catechismo*, *loc. cit.*, Bernardakis, Κατήχησις, p. 163. E contra Koïdakis, Κατήχησις, p. 138, dicit : « Certe Sacri Unguenti usus a successoribus apostolorum non fuisset introductus, si hunc ab ipsis apostolis non accepissent. »

3. I pars, q. CIV, Kimmel, p. 176-177.

chrismatis unctio, hanc prærogativam non habens, humilibus apostolicæ potestatis successoribus apprime congruit; et insuper unguentum, ad usum sacrum benedictum, sublimem, invisibilem gratiam vividius nobis repræsentat, ideoque communi nostræ infirmitati magis convenit [1]. »

Sententia inter Catholicos nunc communior de chrismatione cum manus impositione conjuncta quibusdam Græco-Russis arridet [2]. Aegre tamen probabit quis Byzantinos de hac manus impositione vel extensione super caput confirmandi unquam curasse.

Dum episcopus latinus unicam perficit unctionem super frontem baptizati, minister byzantinus octo corporis partes *nunc* inungit, scilicet : frontem, oculos, nares, os, aures, pectus, manus et pedes. In utroque ritu, et quidem ab antiquo, unctio fit in modum crucis. Partium corporis quæ chrismantur numerus pro temporum et locorum diversitate multum variavit. Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus (*Catech. mystag*, III) notat frontem, aures, nares et pectus, sensumque cujusque unctionis explicat. Epistola Constantinopolitanorum ad Martyrium Antiochenum (459-471), quæ sub nomine canonis [3] concilii secundi œcumenici in collectionibus canonicis Byzantinorum venit, quosdam hæreticos, dum ad Ecclesiam se convertunt, chrismate inungere jubet in fronte, oculis, naribus, ore et auribus [4]. In euchologio Barberino sæculi VIII finientis, unguntur : frons, oculi, nares, aures, manus, cor [5]; in euchologio vero a Goario edito, indicantur : frons, oculi, nares, aures et pedes [6]; in codice Cryptoferratensi Bessarionis : frons, oculi, nares, os et

1. *Op. cit.*, t. II, p. 149-150.

2. Ita Mesoloras, *op. cit.*, p. 234 : « Πανσόφως ὡρίσθη νὰ τελῆται ἡ διὰ τοῦ μύρου χρίσις ὑπὸ τοῦ λειτουργοῦ (ἐπισκόπου ἢ πρεσβυτέρου), ὥστε μετὰ τῆς χρίσεως νὰ ἑνῶται καὶ ἡ τῆς δεξιᾶς ἐπίθεσις, τῆς χριούσης τὸν βαπτισθέντα. »

3. Ita apud Pitra, *Juris eccles. Græc. monumenta*, t. I, p. 512. In versione latina hujus canonis apud Beveridge, *Synodicum*, t. II, *Annotationes*, p. 100, Oxonii, 1672, post vocem *pectus*, additur : *et omnes sensus.*

4. Goar., *op. cit.*, p. 296.

5. *Ibid.*, p. 291.

6. *Ibid.*, p. 292

aures [1]; item in cod. *Sinaitico 956*, sæculi x [2]; in *Sinait. 962*, sæc. xi-xii : frons, oculi, nares, os, aures et pectus [3]; in cod. *189* Lauræ sancti Athanasii Athonensis sæculi xiii : frons et pectus tantum [4]; in *Sinait. 968*, anni 1426 : frons, oculi, nares, os, aures, manus, genua, pectus, venter [5]; in *Sinait. 978*, sæcul. xvi : frons, pectus nares, aures, venter, renes ; immo in quibusdam euchologiis dicitur totum corpus chrismari [6].

Harum diversarum unctionum Malinovskii hanc dat rationem :

« Per Sacrum Unguentum baptizato communicantur varia dona Spiritus Sancti Dei, quæ ei necessaria sunt, ut circa fidei veritates illuminetur et in vita crescat ejus inspiratione; item tota hominis natura sanctificatione indiget. Unde unguento signare congruit non una tantum corporis baptizati pars, sed omnes ejus præcipuæ partes, utpote instrumenta omnium virium et facultatum animæ. Unctio cujusque partis suam habet significationem [7]. »

ARTICULUS III

De forma sacramenti Confirmationis.

Plerique theologi græco-russi formam sacramenti Confirmationis inveniunt in verbis a sacerdote prolatis, dum singulas corporis baptizati partes inungit; sunt vero hæc : Σφραγὶς δωρεᾶς Πνεύματος ἁγίου, *Signaculum doni Spiritus Sancti* [8]. Hujus formæ fundamentum originemque repetunt a verbis Apostoli in II Corinth., i, 21-22: « Ὁ δὲ βεβαιῶν ἡμᾶς σὺν ὑμῖν εἰς Χριστὸν καὶ χρίσας ἡμᾶς Θεός, ὁ καὶ σφραγισάμενος ἡμᾶς καὶ δοὺς τὸν ἀρραβῶνα τοῦ Πνεύματος ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν », necnon in Eph., i, 13 : ἐσφραγίσθητε τῷ Πνεύματι τῆς ἐπαγγελίας

1. Dmitrievskii, *op .cit.*, p. 17.
2. *Ibid.*, p. 70.
3. *Ibid.*, p. 177.
4. *Ibid.*, p. 399-400.
5. *Ibid.*, p. 860.
6. *Ibid.*, p. 487, 653 (cod. Patmiacensis *690*, sæculi xv); p. 779 (cod. *470* monasterii Kutlumutsi Athonensis, anni 1520).
7. *Op. cit.*, p. 350-351.
8. Euchologia addunt : *Amen.*

τῷ ἁγίῳ [1], notantque eam esse antiquissimam ; quod verum est. Ad illam enim haud obscure alludit sanctus Cyrillus Hierosolymitanus [2]; sanctus Asterius vero, Amaseae episcopus, eam ad verbum tradit [3]; quæ et occurrit in canone 7 concilii æcumenici III (*Epistola ad Martyrium Antiochenum*).

Ejus convenientiam declarat *Confessio orthodoxa* (p. I, q. XIV) :

« *Signaculum doni Spiritus Sancti. Amen;* quasi si dicat : Inunctione sacri hujus unguenti obsignaris confirmarisque in Spiritus Sancti donis, quæ in confirmationem christianæ fidei tuæ accipis. Quod cum verbis Apostoli congruit (II Corinth., I, 21). »

Sylvester Lebedinskii item dicit :

« Deest [in hac forma] verbum more Græcorum, quorum phrasis propria hoc eleganter aliquando exigit, et sensus est : *Hoc signo donantur munera Spiritus Sancti, immo et ipsemet Spiritus Sanctus* [4]. »

Theologi scholastici haud pauci hæc verba ad validitatem sacramenti non sufficere olim contenderunt [5], ad auctoritatem sancti Thomæ (*Sum. theol.*, p. III, q. LXXII, art. 4) immerito provocantes [6]; quibus fuse respondit Arcudius [7]. Revera forma græca effectus Confirmationis optime exprimit, characterem scilicet et largitionem Spiritus

1. *Catechis. Philareti, loc. cit.*; Macarius, p. 357; Malinovskii, p. 351; Dyovuniotis, p. 78.

2. « Στρατεύσοι ὑμᾶς ἑαυτῷ καὶ Πνεύματος ἁγίου σφραγῖδα δῴη ἀνεξάλειπτον. » *Procatech.*, 17; *P. G.*, t. XXXIII, col. 365.

3. « Ὡς γὰρ ἐν τῇ διὰ τοῦ βαπτίσματος παλιγγενεσίᾳ καὶ στολὴ καὶ σφραγὶς δωρεᾶς Πνεύματος ἁγίου, οὕτω καὶ ἐν τῇ διὰ τῆς μετανοίας ἀναγεννήσει. » *Homilia in duos filios Evangelii Lucæ*, apud A. Bretz, *Studien und Texte zu Asterios von Amasea*, in *Texte und Untersuchungen*, t. XL, p. 113-114 (1914). Cf. *Biblioth. Photii*, cod. CCLXXI; *P. G.*, t. CIV, col. 213.

4. *Op. cit.*, p. 491.

5. De opinionibus Scholasticorum circa formam græcam, vide Witasse, apud Migne, *Cursus theolog.*, t. XXI, p. 894 sq.

6. Sanctus Thomas, *in art. cit.*, de forma græca omnino tacet, nihilque aliud sibi proponit nisi ut ostendat convenientiam formæ latinæ. Notum est diversas formas in antiquis ritualibus Occidentalium occurrere, quæ a forma nunc usurpata magis discrepant quam forma græca.

7. *Op. cit.*, l. II, c. VII-VIII, p. 82-90.

Sancti ejusque donorum, et sub hoc respectu forma latina excellit.

Quidam dissidentes, præter hæc verba, ad validitatem exigere videntur orationem chrismationi præviam in euchologio, sic incipientem : Εὐλόγητος εἶ, Κύριε ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ, quod apostoli orare solebant, dum manus ad dandum Spiritum Sanctum imponebant (Act., VIII, 15) [1]. Dyovuniotis ad signum sacramentale pertinere vult non solum hanc primam orationem, verum etiam longam formulam benedictionis chrismatis : Κύριε τοῦ ἐλέους καὶ πατὴρ τῶν φώτων [2]. Gabriel Severus vero, Confirmationem sacramento Eucharistiæ quadamtenus assimilans, formam videt in hac ipsa τοῦ μύρου benedictione a pontifice facta, [3] quasi Sacrum Unguentum sacramentum permanens esset, Eucharistiæ instar. Eum confutat Arcudius [4].

In quibusdam euchologiis manuscriptis occurrit forma specialis pro unctione cujusque sensus. Forma pro unctione frontis est semper : Σφραγὶς δωρεᾶς Πνεύματος ἁγίου, cui quædam verba addunt rari codices [5]. Euchologium sæculi VIII (*Barber. S. Marci*) sequentes formulas post unctionem frontis exhibet :

« Super oculos : Χρίσμα δωρεᾶς Πνεύματος ἁγίου, *Unctio doni Spiritus Sancti* — In naribus : Χρίσμα ἀρραβῶνος Πνεύματος ἁγίου,, *Unctio pignoris Spiritus Sancti* — In auribus : Χρίσμα μετοχῆς ζωῆς αἰωνίου, *Unctio participationis vitæ æternæ* — In manibus, vola interiore : Χρίσμα ἁγίου Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ καὶ σφραγὶς ἀνεπιβούλευτος, *Unctio sancti Christi Dei et signaculum insidiis liberum* — Super cor : Πλήρωμα δωρεᾶς Πνεύματος ἁγίου καὶ θώραξ πίστεως καὶ ἀληθείας, *Plenitudo* (seu *complementum*) *doni Spiritus Sancti et thorax fidei et veritatis* [6]. »

1. Ita Malinovskii, p. 350.
2. *Op. cit.*, p. 78.
3. « Τὸ εἶδος τοῦ μύρου ἐστὶν ἡ τῶν ῥημάτων δύναμις τοῦ ἀρχιερέως ἐπ'αὐτῷ λεγομένη καὶ εἰδοποιοῦσα αὐτό. » *De Sacro Unguento*, c. VI. Συνταγμάτιον περὶ τῶν ἁγίων καὶ ἱερῶν μυστηρίων, ed. Venet. 1691, p. 70.
4. *Op. cit.*, l. II, c. VI, p. 80-82.
5. *Cod. Sinait. 961* (XI-XII sæc.) addit : εἰς πλησμονὴν σοφίας, εἰς ὑπακοὴν πίστεως νῦν καὶ ἀεὶ... Dmitrievskii, *op. cit.*, p. 79. Cf., p. 154.
6. Goar., *op. cit.*, p. 296.

Leguntur etiam formulæ diversæ in euchologiis Sinaiticis *957* (IX-X^e^ sæc.) [1]; *958* (sæc. X) [2]; *991* (sæc. XIV) [3]; 984 (sæc. XV) [4]; in cod. *7* Lauræ S. Athanasii Athonensis [5]; in cod. *279* bibliothecæ synodalis Mosquensis [6]; in cod. *8* Metochii sancti Sepulcri Constantinopoli (sæc. XV) [7]; in cod. *149* monasterii Pantocratoris, Athonensis [8]; in cod. *470* monasterii Kutlumutsi Athonensis [9].

ARTICULUS IV

De effectibus sacramenti Confirmationis.

I. — De gratia sacramentali.

Secundum doctrinam catholicam, duplex est Confirmationis effectus, gratia scilicet huic sacramento propria et character indelebilis in anima impressus, ex quo habet,

1. Dmitrievskii, *op. cit.*, p. 3. Formæ eædem fere sunt, duobus vel tribus vocibus mutatis, ac in Barberino.

2. *Ibid.*, ut in cod. *957*, *Amen* additur post singulas formas.

3. *Ibid.*, p. 332. In hoc codice, formæ a præcedentibus paulum differunt et novæ formæ occurrunt : in gutture : Χρίσμα εἰς περιποίησιν ψυχῶν καὶ σωμάτων, *Unctio in servationem animarum et corporum.* In pectore : Εἰς ἔνδυμα τοῦ βασιλικοῦ ἀξιώματος, *In vestimentum regalis dignitatis.* Super ventrem : Πλήρωμα δωρεᾶς Πνεύματος ἁγίου, *Plenitudo doni Spiritus Sancti.* In manibus, exterius : Θώρακα πίστεως καὶ ἀληθείας, *Loricam fidei et veritatis.* Super pedes : Βάσις θείας ὁδοῦ· χρίσμα δωρεᾶς Πνεύματος ἁγίου, *Fundamentum divinæ viæ ; unctio muneris Spiritus Sancti.*

4. *Ibid.*, p. 598-599. Formæ omnino singulares : *Super oculos :* Εἰς φωτισμὸν γνώσεως. Ἀμήν. *In naribus :* Εἰς ὀσμὴν εὐωδίας. Ἀμήν. *Super os :* Εἰς λόγον ἀληθείας, Ἀμήν.. *In auribus :* Εἰς ἀκοὴν πίστεως. Ἀμήν. *In manibus :* Εἰς ζυγὸν δικαιοσύνης. Ἀμήν. *Super cor :* Εἰς στηριγμὸν καρδίας. Ἀμήν. *Super pedes :* Εἰς ὁδὸν δικαιωμάτων. Ἀμήν.

5. *Ibid.*, p. 3, ut in Barberino.

6. *Ibid.*, p. 3-4.

7. *Ibid.*, p. 458. Hic formam consuetam habet pro unctione frontis et ventris; pro unctione autem aurium : Εἰς ὑπακοὴν πίστεως; pro manibus : Εἰς πᾶν ἐργὸν ἀγαθόν.

8. *Ibid.*, p. 487 : Pro auribus et manibus ut in codice Metochii S. Sepulcri; pro unctione genuum : Τοῦ πατεῖν ἐπάνω ὄφεων καὶ σκορπίων καὶ ἐπὶ πᾶσαν δύναμιν τοῦ ἐχθροῦ.

9. *Ibid.*, p. 719 : Ad manus : Τοῦ ἐργάζεσθαι ἔργα δικαιοσύνης. — Ad pedes, ut in codice Pantocratorino.

ut iterari non possit. Jam vero de gratia sacramentali Græco-Russi cum Catholicis communiter hodie conveniunt ut ex definitionibus hujus sacramenti supra relatis satis liquet. *Confessio orthodoxa* (p. I, q. cv) de fructibus hujus sacramenti ita loquitur :

« Ex hoc sacramento hi proveniunt fructus : Primum, quemadmodum per baptisma renascimur, ita per Sacrum Unguentum *Spiritus Sancti participes efficimur*, in fide Domini confirmamur et in divina gratia crescimus, secundum Apostolum dicentem : *Salvavit nos secundum misericordiam suam per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem copiose super nos effudit per Jesum Christum, salvatorem nostrum* (Tit., III, 5). Secundo, Spiritus Sancti adjutorio ita confirmamur et corroboramur, ut nihil penitus animæ nostræ spiritualis hostis noster nocere valeat [1]. »

Ex his verbis concludere quis possit secundum *Confessionem orthodoxam* Spiritum Sanctum seu donum increatum non dari in baptismo, sed per Confirmationem solam. Et revera inveniuntur quidam theologi qui ita sentire videantur, ut Macarius, cujus verba sunt hæc :

« Præcipuus effectus invisibilis sacramenti Confirmationis in hoc est quod fidelibus communicat Spiritum Sanctum. In baptismo nos peccatis tantum expiamur et renascimur *virtute Spiritus Sancti*, sed *nondum dignamur eum ut in se est recipere ejusque templa effici;* per Confirmationem vero nobis tribuitur Spiritus Sanctus cum omnibus donis suis gratos nos facientibus et ad vitam spiritualem necessariis [2]. »

Alii tamen jure animadvertunt nomine Spiritus Sancti in Scriptura designari « Spiritum perficientem quemque credentem in vita spirituali, et generatim gratiam divinam omnibus baptizatis necessariam [3] »; neque infitiantur personam Spiritus Sancti etiam in baptismo dari, sed recte docent eum per Confirmationem κυρίως tribui [4].

1. Kimmel, p. 177-178.
2. *Op. cit.*, p. 358.
3. Malinovskii, *op. cit.*, p. 352.
4. Dyovuniotis, *op. cit.*, p. 82. Hic refellit Tertullianum asserentem nos in baptismo Spiritum Sanctum non recipere, sed purgari tantummodo et præparari ad ejus receptionem. Potuisset etiam, et quidem potiori jure, tela convertere in Simeonem Thessalonicensem, qui bap-

Gratiam huic sacramento propriam esse gratiam roborantem et vitam spiritualem augentem ac perficientem omnes fere expressis verbis docent [1].

II. — De charactere Confirmationis.

Quid de charactere Confirmationis olim senserint et nunc sentiant Græco-Russi, in capite *De sacramentis in genere* pauca jam diximus [2]. De eodem argumento quædam hic subjicere juvat. Mirandum, quidem est quod multi Byzantini et Græco-Russi hodierni existentiam alicujus signaculi seu characteris permanentis per hoc sacramentum impressi negaverint, cum tum in orationibus liturgicis benedictionis et collationis Sacri Unguenti, tum in ipsa ejus forma, cujusdam σφραγῖδος mentio fiat, immo hoc ipsum sacramentum σφραγίς quandoque vocetur. Notatu sane digna sunt hæc verba in formula benedictionis chrismatis occurrentia :

« Domine Deus omnipotens, fac illud unguentum Sancti et adorandi tui Spiritus esse incorruptionis indumentum, *signaculum perfectivum, imprimens divinam tuam et unigeniti Filii tui et Sancti Spiritus appellationem iis qui lavacrum sanctum tuum receperunt* (καὶ σφραγίδα τελειοποιόν, ἐντυποῦσαν τοῖς τὸ θεῖόν σου λουτρὸν δεχομένοις θείαν σου ὀνομασίαν καὶ τοῦ μονογενοῦς σου Υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος), ut coram te sint *noti* familiares et cives et servi... atque *amictu indumenti illibatæ gloriæ tuæ per sanctam hanc obsignationem* (διὰ τῆς ἁγίας ταύτης σημειώσεως) *a sanctis angelis et archangelis et ab omni cælesti virtute agnoscantur*, malignis autem et impuris dæmonibus formidandi appareant; ut sint acquisitus et peculiaris populus, regale sacerdotium, gens sancta et

tismo meram peccatorum purgationem passim tribuit, gratiæ vero et Spiritus Sancti, ipsiusque characteris collationem soli Confirmationi agnoscit; de cujus doctrina quædam jam, p. 85, diximus, et nunc videas sequentes locos in tomo *P. G.*, CLV, ejus opera continente : col. 177 C, 188, 228 BC, 229-232, 237 CD, 245-247, 529 D, 700 AB.

1. Cf. Nicol. Bulgarim, Κατήχησις, p. 9; S. Lebedinskii, p. 492; Philaretum Gumilevskii, p. 145; Malinovskii, p. 352-354; Mesoloram, p. 221, 236 sq.; Andrutsum, Δογματική, p. 339-40; Nectarium Kephalam, Κατήχησις, p. 171.

2. P. 47 sq.

illibato hoc mysterio signati, ἐσφραγισμένους διὰ τοῦ ἀχράντου σου μυστηρίου τούτου [1]. »

In novo *Officio consecrationis* τοῦ μύρου, anno 1833 edito, de quo supra [2], cantatur sequens troparium :

« Salve, immaculata Dei sponsa, illum Spiritum, cujus virtute exclamare tibi licet : *Abba, Pater*, in visceribus tuis Unguentum renovaturum est. *Ecce signaculum indelebile;* gratia jam appropinquat; in medio tui advenit Christus, rex tuus [3]. »

Notandum est quosdam dissidentes non negare quidem existentiam alicujus characteris vel signaculi a Confirmatione impressi; hujusmodi autem signaculum habere ut aliquid mere externum vel deputationem extrinsecam [4]; quosdam autem alios docere, ut videtur, τὴν σφραγίδα Sacri Unguenti internam quidem, sed delebilem et amissibilem esse, ipsumque sacramentum in certis casibus iterari posse [5]. Hujus sententiæ occasio fuit praxis Ecclesiæ byzantinæ chrismandi apostatas a fide christiana, et etiam imperatores in cæremonia coronationis. De utroque ritu fusius nobis disserendum est, utpote qui doctrinæ de indelebilitate characteris necnon de *initerabilitate* sacramenti adversari primo aspectu videatur.

III. — De reconfirmatione apostatarum [6].

Sacramentum Confirmationis, sicut et ipsum baptisma, semel valide in Ecclesia receptum, iterari non posse est Patrum quum græcorum tum latinorum firma et constans doctrina; cui plene assentit Photius in *Epistola encyclica*

1. Goar, *op. cit.*, p. 502.
2. P. 132.
3. L. Petit, *Préparation et composition du saint chrême*, in *Échos d'Orient*, t. III (1900), p. 140.
4. Ita S. Lebedinskii, *op. cit.*, p. 492; C. Andrutsus, Δογματική, p. 339, n. 3.
5. Ita Macarius, *op. cit.*, p. 360 : « Hoc sacramentum imprimit signaculum doni Spiritus Sancti; unde iterari non debet nisi solis apostatis »; Philaretus Gumilevskii, *op. cit.*, p. 153-154.
6. De reconfirmatione apostatarum in Ecclesia græco-russica quædam diximus in *Échos d'Orient*, t. IX (1906), p. 65-76. Huic tamen articulo quidam errores irrepserunt, quos hic emendamus.

ad Orientales, ubi Latinis tam vehementer exprobrat reconfirmationem neophytorum bulgarorum [1]. Neque apud Byzantinos ullum præceptum exstitit reconciliandi apostatas a christiana fide, vel ex fide orthodoxa in hæresim lapsos per unctionem chrismatis, ante sæculum IX [2]. Inde vero a sæculo XI incipiente, in euchologiis manuscriptis occurrit novus ritus reconciliationis eorum qui fidem christianam abnegarunt, sive agatur de pueris qui ab infidelibus comprehensi fuerint, sive de adultis qui vi, metu vel sponte ad infideles transierint [3]. Juxta hunc ritum, orationes quædam propitiatoriæ, quorum numerus variat in codicibus [4], super pœnitentem per dies septem recitantur; die autem octavo, lavatur ille; « et a lavacro surgens, linteo accinctus, *chrismate inungitur, sicut inungi solent qui baptizantur*, χριέσθω μύρῳ καθάπερ οἱ βαπτιζόμενοι. » Num vero verba : Σφραγὶς δωρεᾶς Πνεύματος ἁγίου a sacerdote proferenda sint, dum chrismatio super diversos sensus peragitur, hoc tacent codices antiquiores, præscribunt expresse recentiores necnon euchologia græca inde a sæculo XVI typis impressa; verum, ut nobis videtur, præfata verba plerumque recitabantur ut rubrica satis clare innuit, dum dicit : *Chrismate unguantur sicut baptizati*, et ut conjici etiam potest ex more jam a sæculo V in Ecclesia constantinopolitana vigente

1. Cf. *P. G.*, t. CII, col. 725; Hergenröther, *Photius*, t. III, p. 123-124, 602 sq.

2. Revera antiqui canones Ecclesiæ græcæ de reconciliandis lapsis unctionem chrismatis omnino tacent, neque illius mentio fit in cod. *Barber.* sæculi VIII. Cf. Brightman, *Liturgies eastern and western*, Oxonii, 1896, t. I, p. LXXXVIII.

3. Reconciliatio apostatarum per unctionem chrismatis occurrit in cod. *Coislino 213*, anno 1027 exarato, necnon in *Cryptoferratensi 28*, sæculi XI. Hunc ritum invenies in diversis euchologiis editis, ut apud Goarium, p. 689-692, etiam in edit. romana anni 1873, p. 473-478.

4. In plerisque euchologiis editis exstant orationes sex; in multis vero codicibus antiquis non inveniuntur nisi quatuor orationes diversis titulis insignitæ. Nota in ritu romano tum schismaticos et hæreticos, tum apostatas reconciliari per manus impositionem episcopi cum oratione ad petendum dona Spiritus Sancti, eadem sane quæ in ritu Confirmationis chrismationi præmittitur. Nunquam tamen, Romæ, hæretici vel apostatæ chrismate uncti sunt; ex quo satis clare innuitur hanc manus impositionem cum oratione comitante esse merum ritum pœnitentialem.

chrismandi quosdam hæreticos dicendo : *Signaculum doni Spiritus Sancti.*

Hujusmodi ritus reconciliationis apostatarum in codicibus manuscriptis, etiam in antiquioribus, sancto Methodio patriarchæ Constantinopolitano (843-847) tribuitur; neque ulla probabilis ratio adest negandi eum hujus novationis auctorem fuisse, quidquid olim quidam in contrarium dixerint [1]. Ritus enim habendus est non ut vera sacramenti Confirmationis super apostatas iteratio, sed ut merus ritus pœnitentialis. Hoc luculente apparet 1° ex comparatione cum illo balneo, baptismi olim ab apostata in Ecclesia recepti symbolo, cui ad fidem conversus submittitur. Sicut enim lavacrum hujusmodi non est veri nominis baptismus, sed ejus mystica revocatio; ita etiam illa chrismatis unctio sacramenti baptismum complentis memoriam habet; 2° ex his verbis in tertia oratione propitiatoria occurrentibus :

« Virtute et operatione Sancti tui Spiritus mentem ejus irradia, ut *salutaris baptismatis scintilla in ejus anima insidens et relicta aura gratiæ ventilata spiritaliter rursus accendatur, et impressum ei sigillum in ejus corde et cogitationibus per crucis Christi tui signationem expressius appareat*, καὶ τὴν ἐνσημανθεῖσαν αὐτῷ σφραγίδα ἐκτυπώτερον ἐπιφαίνεσθαι ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ καὶ τοῖς λογισμοῖς διὰ τῆς σημειώσεως τοῦ σταυροῦ τοῦ Χριστοῦ σου [2]. »

Ergo ritus ad hoc tendit, ut significet tum gratiæ sanctificantis a duobus initiationis sacramentis collatæ reviviscentiam, tum evidentiorem characteris ab utroque sacramento impressi, ac per lapsum in infidelitatem aliquatenus obscurati et obtenebrati manifestationem. Sanctum Metho-

1. Cf. Arcudium, *op. cit.*, l. II, c. XVIII, p. 118-120, 141.

2. Goar., *op. cit.*, p. 691. Non solum a fide apostatas, verum etiam in hæresim lapsos sanctus Methodius chrismate inungere consuevit ad Ecclesiam revertentes, ut patet ex narratione tum Joannis Skylitzis *Historiæ compendium*, *P. G.*, t. CXXI, col. 1036, tum Nicetæ Choniatæ in *Thesauro orthodoxiæ*, *P. G.*, t. CXL, col. 281-284, et Mai, *Spicilegium romanum*, t. IV, p. 498, de conversione cujusdam Zilikis ejusque asseclarum, qui ab Ecclesia defecerant doctrinasque manichæismum redolentes amplexi fuerant : « Χρίσας αὐτοὺς μύρῳ ἁγίῳ, ait Nicetas, καὶ λευκοῖς κοσμήσας ἐμφωτίοις, λαμπάδας κατέχοντας τοῖς ὀρθοδόξοις συνέστησεν. » Hic etiam agitur non de iteratione Confirmationis, sed de ritu pœnitentiali.

dium hunc sensum toti cærimoniæ præfixisse, nullo autem pacto sacramentum Confirmationis apostatis renovare intendisse probat etiam Photii adversus Latinos clamosa reclamatio. Qua enim fronte potuerit ille asserere reconfirmationis praxim « omnes impietatis limites transgredi », si suo tempore — Photius enim post Methodium venit — apostatis hoc sacramentum iterare Constantinopoli consueverint?

Fatendum est tamen veram hujus ritus significationem post separationem Ecclesiarum (saltem inde a sæculo XII) oblivioni traditam fuisse, theologosque byzantinos eum ut sacramenti Confirmationis iterationem communiter duxisse. Ita Jobus monachus in sua de septem sacramentis dissertatione :

« Qui, inquit, vel improba voluntate atque ignavia vel cruciatuum vi lapsi, Christi fidem negarunt, eos divino unguento denuo ungentes et sacrum in ipsis signaculum renovantes, amissam gratiam Spiritus Sancti revocamus, et Deo iterum eos conjungimus et conciliamus sicut prius. Quod ipsum quoque iis præstamus qui ex quacumque hæresi revertuntur et ad catholicam orthodoxam Ecclesiam accedunt [1]. »

Nicolaus Cabasilas, in *libro II De vita in Christo*, sacramentum baptismi cum Confirmationis sacramento conferens, illud quidem habet ut quoddam operationis principium, quod amitti non possit etiam per apostasiam; hoc vero ut ipsum actum vel motum facultatis, qui propriæ voluntatis arbitrio interrumpi possit et evanescere. Unde qui « Christo abnegato, sceleris sui pœnitudine ducti ad Ecclesiam redierint, cum consequens esset eos ad lavacrum statim adducere ac denuo res mysticas peragere, tanquam qui totum perdiderint, tamen lex sacra *divino unguento eorum corpora obsignans, addens præterea nihil,*

1. « Τοῖς γὰρ ἢ μοχθηρίᾳ γνώμης καὶ ῥᾳθυμίᾳ ἢ βίᾳ τινὶ πρὸς τὴν τῆς πίστεως ἄρνησιν ἐκπεσοῦσιν, ἐπιχρίοντες αὖθις, μύρον ἅγιον καὶ τὴν ἱερὰν ἐγκαινίζοντες τούτοις σφραγίδα, τὴν ἀποβληθεῖσαν χάριν τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἀνακαλούμεθα, καὶ αὖθις οἰκειοῦμεν Θεῷ καὶ συνιστῶμεν ὡς τὸ πρότερον. » *Cod. cit.*, fol. 246 *a*. Ex contextu Jobus loquitur de iteratione sacramenti. Unde ejus verba de mero ritu pœnitentiali interpretari non possunt.

eos in numerum fidelium adscribit [1]. » Alio loco sui operis Cabasilas mentem suam clarius aperit, ubi verba sancti Pauli : *In ipso vivimus, movemur et sumus* (Act., XVII, 28) tribus initiationis christianæ sacramentis accommodans docet baptismum nobis conferre esse spirituale, Sacrum Unguentum, motum et usum sive operationem hujus esse spiritualis, Eucharistiam autem vitam hanc spiritualem conservare et alere [2]; quæ quidem ingeniosa sunt nec omni veritate vacua; in hoc autem peccat byzantinus theologus, quod ad characterem Confirmationis nullo modo attendit; quo fit, ut in iteratione Confirmationis nullam detegat repugnantiam.

Cabasilæ sententiam Simeon Thessalonicensis suam facit in *Responsione XXIII ad Gabrielem Pentapolitanum;* cui sciscitanti *quare ab apostasia reversus sacro Unguento ungatur tantum et non iterum baptizetur*, ita respondet :

« Eum qui ab apostasia se converterit chrismate ungimus non vero rebaptizamus, quia baptismus τὸ esse in Christo tribuit; Unguentum vero vitam secundum Christum et spirationem et sanctitatem et sigillum confert. Quemadmodum enim angelis intelligentibus a principio datum est esse et manere immortales; qui vero ex eis ceciderunt... non amplius secundum Deum vivunt... neque in se habent Dei sigillum, neque divinam similitudinem, neque gratiam, quanquam vitam suam incorporalem natura retinent: ita et homines per baptisma gratiam acceperunt resurrectionis et incorruptibilitatis Christi, per Unguentum vero sanctitatem ejus et Spiritus sigillum. Si igitur ex ipsis quidam fidem negaverint, permanebunt quidem, et tunc resurgent incorruptibilitateque donabuntur ; sanctitatem vero et Spiritus gratiam non habebunt, sed cum apostatis dæmonibus condemnabuntur... Apostata ad Ecclesiam rever-

1. « Ὁ δὲ τῷ θείῳ μύρῳ τὰ σώματα αὐτοῖς ἀποσημηνάμενος καὶ μηδὲν πλέον προσθεὶς τοῦ κύκλου γράφεται τῶν πιστῶν. » *P. G.*, t. CL, col. 545.

2. « Τὸ μὲν βάπτισμα τὸ εἶναι δίδωσι καὶ ὅλως ὑποστῆναι κατὰ Χριστόν... Ἡ δὲ τοῦ μύρου χρίσις τελειοῖ τὸν γεγεννημένον, τῇ τοιᾷδε ζωῇ προσήκουσαν ἐνέργειαν ἐντιθεῖσα· ἡ δὲ θεία εὐχαριστία τὴν ζωὴν ταύτην καὶ τὴν ὑγείαν συντηρεῖ καὶ συνέχει.... Διὰ τοῦτο τούτῳ μὲν τῷ ἄρτῳ ζῶμεν, κινούμεθα δὲ τῷ μύρῳ, ἀπὸ τοῦ λουτροῦ τὸ εἶναι λαβόντες. *De vita in Christo*, L. I, *P. G., ibid.*, col. 504.

tens suscipiendus est... et divinum sigillum sanctitatemque, quam corrupit, divino Unguento in illo renovamus et rursum dedicamus [1]. »

Inde a sæculo XVI ad nostra usque tempora, theologi græci, veterum Byzantinorum sententiæ inhærentes, chrismationem apostatarum secundum ritum sancti Methodii factam tanquam veram sacramenti Confirmationis iterationem communiter habuerunt. Hanc doctrinam Meletius Syrigus ipsi *Confessioni orthodoxæ* inseruit [2]; quæ tamen de solis apostatis stricte dictis seu de lapsis in infidelitatem loquitur. Recentiori vero tempore, in autocephaliis græci sermonis et apud Rumenos [3], Confirmatio iteratur etiam iis conversis qui in Ecclesia græco-russica primum rite baptizati chrismateque uncti alicui sectæ christianæ nomen dederunt [4]. Occurrunt tamen in hac periodo, et præsertim nostris diebus, quidam theologi qui chrismationem apostatarum ad merum ritum pænitentialem sive indirecte, sive expressis verbis redigunt. Hoc indirecte facere dicendi sunt qui missis ambagibus docent Confirmationem imprimere in anima characterem indelebilem, de quibus jam locuti sumus [5]; vel qui asserunt peccatores quoscumque, etiam a fide apostatas, Deo et Ecclesiae reconciliari per sacramentum pænitentiæ, ut Dositheus in *Confessione fidei*, c. XVI [6]. Diserte vero chrismationi apostatarum vim sacramenti denegarunt quidam recentes, inter quos nomi-

1. « Τὸν ἐπιστρέφοντα ἀπὸ ἀρνήσεως ἄνθρωπον μύρῳ χρίομεν, καὶ οὐ βαπτίζομεν πάλιν ὅτι τὸ βάπτισμα τὸ εἶναι παρέχει ἐν Χριστῷ, τὸ μύρον δὲ τὴν κατὰ Χριστὸν ζωὴν καὶ πνοὴν καὶ ἁγιωσύνην καὶ σφραγῖδα..... Ἣν ἠχρείωσε θείαν σφραγίδα καὶ τὸν ἁγιασμὸν τῷ θείῳ μύρῳ πάλιν ἀνανεοῦμεν καὶ ἐν αὐτῷ ἐγκαινίζομεν. » *P. G.*, t. CLV, col. 873-876. Perspicue constat τὴν σφραγίδα de qua loquitur Simeon vel a gratia sanctificante non differre, vel esse characterem *delebilem.*

2. « Τοῦτο τὸ μυστήριον δὲν δίδοται δεύτερον παρὰ εἰς ἐκείνους, ὁποῦ θέλουσιν ἀποστρέφειν ἀπὸ τὴν ἄρνησιν τοῦ ὀνόματος τοῦ Χριστοῦ : *Hoc sacramentum iterum non datur nisi iis qui ab nominis Christi ejuratione* [ad Ecclesiam] *redire volunt.* » P I., q. CV, Kimmel, p. 178.

3. Cf. Schaguna, *Compendium des kanonischen Rechtes*, Sibiu, 1868, p. 48.

4. Theotocas, Νομολογία τοῦ οἰκουμενικοῦ πατριαρχείου, Constantinopoli, 1897, p. 373 sq.

5. Cf. p. 48 sq.

6. Cf. p. 49.

nandi sunt Andrutsus et Dyovuniotis. In sua *Symbolica*, anno 1901 edita, prior quidem sententiæ inter suos communi de reconfirmatione apostatarum aperte adhæserat [1]; eidem vero valedixit, anno 1907, in sua *Theologia orthodoxa* [2]. Dyovuniotis item, qui anno 1907 novam Andrutsi doctrinam carpserat [3], anno 1913 suam fecit [4]. Mesoloras de hoc capite ambigue loquitur. Ex una quidem parte Confirmationem characterem indelebilem imprimere asserit; ex altera vero dicit Ecclesiam « orthodoxam » hoc sacramentum renovare iis qui ab « Orthodoxia » defecerunt, cum ad eam revertuntur, hanc subjungens explicationem : « Ecclesia nostra, ut videtur, ad praxim Sacrum Unguentum renovandi iis qui a fide recesserunt ob hoc adducta est, quod putet tales perdidisse divina dona per Unguentum eis collata, fidemque firmantia ac roborantia [5]. »

Sub influxu theologiæ catholicæ, theologi Kiovienses sæculi XVII praxi reconfirmandi apostatas a fide vel a quacumque hæresi reduces renuntiarunt. Ritum reconciliandi apostatas a sancto Methodio introductum Petrus Moghila in suo *Trebniko* non retinuit, sed quoscumque apostatas vel hæreticos jam in Ecclesia « orthodoxa », vel

1. « Ἡ διὰ μύρου χρίσις ἐπαναλαμβάνεται ἐξαιρετῶς εἰς τὸν ἐκ τῆς Ὀρθοδοξίας ἐκπεσόντα καὶ εἶτα εἰς τοὺς κόλπους αὐτῆς ἐπανερχόμενον. » Συμβολική, p. 282, n. 1.

2. « Διὰ τοὺς ἐπανιόντας εἰς τὴν Ὀρθοδοξίαν τὸ χρῖσμα εἶνε τελετὴ τῆς ἐπανόδου τῶν μετανοούντων εἰς τοὺς κόλπους τῆς Ὀρθοδοξίας. » Δογματική, p. 340.

3. Ἡ δογματικὴ τοῦ Χ. Ἀνδρούτσου κρινομένη, Athenis, 1907, p. 56.

4. Τὰ μυστήρια τῆς ἀνατ. ὀρθ. Ἐκκλησίας, Athenis, 1913, p. 84 : « Ἡ δευτέρα αὕτη χρίσις δὲν εἶνε οὐδὲ πρέπει νὰ θεωρηθῇ ὡς ἐπανάληψις τοῦ μυστηρίου τοῦ χρίσματος. » In quodam articulo inscripto : Τὸ μυστήριον τοῦ χρίσματος ἐξ ἐπόψεως κανονικῆς, in commentario Ἡ Καινὴ διδαχή edito, t. I (1919), p. 44-50, 88-94, 178-187, idem auctor toti Ecclesiæ orthodoxæ propriam de hoc capite sententiam tribuere non dubitat, nec de doctrina in *Confessione orthodoxa* contenta ullo modo curat : « Ἡ διὰ μύρου χρίσις τῶν ἀποστατῶν, inquit, δὲν θεωρεῖται ὑπὸ τῆς ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας ὡς ἐπανάληψις τοῦ μυστηρίου τοῦ χρίσματος. » *Ibid.*, p. 184. Animadvertimus Andrutsum et Dyovuniotam sententiam de reconfirmatione apostatarum mutasse, postquam in *Échos d'Orient* nostram de hac materia dissertationem edidimus.

5. *Op. cit.*, p. 227, n. 3. Cf. p. 221.

etiam in Ecclesia catholica confirmatos, per solam errorum abjurationem recipere jussit [1]. Hunc reconciliationis apostatarum modum Ecclesia russica anno 1757 suum publice fecit et hactenus servavit. Unde plerique theologi russi ab hoc tempore reconfirmationem apostatarum reprobarunt [2]. Quidam tamen, contra manifestam Ecclesiæ suæ consuetudinem, *Confessionis orthodoxæ* auctoritate, ut videtur, moti, Græcorum instar docuerunt Confirmationem iterari iis qui in infidelitatem vel etiam in sectam hæreticam lapsi fuerint; inter quos invenimus Philaretum Gumilevskii [3] et Macarium Bulgakov [4].

IV. — De significatione theologica chrismationis imperatorum.

Imperatores byzantini primum quidem non ungebantur chrismate, sed ritu prorsus simplici inaugurabantur. In vetustis euchologiis hic ritus duabus tantum orationibus constat a patriarcha recitatis, quarum una est pro chlamydis purpureæ, altera pro diadematis benedictione; quibus dictis, patriarcha coronam ab altari assumens, capiti imperatoris imponebat dicens : *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Idem ritus servabatur in coronatione imperatricis; quæ tamen non directe a patriarcha, sed ab imperatore coronam accipiebat [5]. Ante cæremoniam, imperator professionem fidei recitabat promittebatque se Ecclesiam protecturum ejusque dogmata et traditiones servaturum. Quandonam autem huic primævo ritui addita fuerit chrismatis unctio, non est una historicorum sententia. Quidam jam sæculo IX, tempore Photii scilicet, eam usurpatam fuisse

1. *Trebnik*, p. 191, 215. Cf. Sergium, Viatkæ episcopum, *op. cit.*, p. 123. Notavimus supra, p. 49, Kiovienses docuisse indelebilitatem characteris Confirmationis.

2. Sylvester Lebedinskii, *op. cit.*, p. 496, cuidam objectioni ex reconfirmatione apostatarum petitæ respondens, dicit : « In lapsis illis et resipiscentibus chrismatis iterandi consuetudo non est constans et perpetua; plurimi enim contradicunt. »

3. *Op. cit.*, p. 153-154.

4. *Op. cit.*, p. 427-428. *Starovieri popovtsy* per iterationem chrismatis recipiunt presbyteros ex Orthodoxia Niconiana ad se transeuntes.

5. Goar., *op. cit.*, p. 726-727.

contendunt [1]. Alii a patriarchatu Polyeuctæ (956-970), qui die Natalis Domini anno 969 imperatorem Joannem Tzimitsam coronavit, illam repetunt [2]. Alii vero sæculo XIII eamdem antiquiorem non esse existimant [3]; quorum sententiæ non dubitanter suffragamur. Nullum enim validum argumentum adhuc allatum est, quo certe constet imperatores byzantinos ante hoc tempus chrismatione fuisse inauguratos. Nec nos deludere debent voces χρίσμα, χρίειν, quibus auctores communiter uti solent ad designandum ritum inaugurationis et coronationis imperatorum; siquidem verba hujusmodi unctionem mere metaphoricam significant; quæ etiam a Byzantinis plerumque usurpantur de electione et consecratione episcoporum vel patriarcharum, quanquam in ritu byzantino nulla adhibetur unctio ad sacras ordinationes [4]. Certum autem nobis videtur Græcos usum ungendi imperatores a Latinis mutuatos fuisse post quartam cruce signatorum expeditionem. Cum enim Balduinus I, Constantinopolis imperator latinus, die 23 maii anni 1204, solenniter coronatus et more latino unctus fuisset, Byzantini, ne βασιλεὺς ipsorum in hoc Latino cederet, antiquo coronationis ritui unctionem adjungere mox inceperunt. Primus autem inter βασιλεῖς unctus fuit Theodorus Dukas, Epiri

1. Ita W. Sickel in sua dissertatione : *Das byzantinische Krönungsrecht bis zum X Iahrhundert*, in *Byzantinische Zeitschrift*, t. VII (1898), p. 511-557, ubi copiosam bibliographiam de materia invenies. Scriptorum Photii locos huc spectantes invenies in *P. G.*, t. CII, col. 573, 765, 772. Voces : χρίσμα τῆς βασιλείας, χρίσμα καὶ χειροθεσία βασιλείας, χρίειν, a Photio usurpatæ de mera unctione metaphorica bene explicantur.

2. Ita A. V. Gorskii, in opusculo : *Coronatio et unctio tsarorum*, p. 8, (russice), occasione coronationis Alexandri II anno 1856 edito, et iterum anno 1882, in *Pribavleniia ad opera SS. Patrum*, t. XXIX. De coronatione Joannis Tzimiscæ vide G. Schlumberger, *L'épopée byzantine à la fin du X^e siècle*, t. I, 1896, p. 14 sq.

3. Ita Brightman, in *The Journal of theological studies*, 1901, p. 383 sq.

4. De hac significatione vide, v. g., Nicetam Choniatem, *De Manuele Comneno*, l. I, c. II, *P. G.*, t. CXXXIX, col. 381 B, ubi patriarcha Michael II Kurkuas (1143-1146) ab imperatore Manuele Comneno primum electus, dicitur *unxisse* postea eum qui ipsum *unxerat*, τὸν χρίσαντα χρίει. Passim occurrit apud Byzantinos vox : τὸ χρίσμα τῆς ἱερωσύνης vel ἀρχιερωσύνης. Cf. textum Balsamonis infra citandum, p. 421, de *unctione* episcoporum *unctioni* imperatorum comparata.

ac Macedoniæ despota, Thessalonicæ, anno 1222, ab archiepiscopo Achridensi, Demetrio Chomatiano, et quidem non sacro μύρῳ, sed catechumenorum oleo, ut mos Latinis erat [1]. Primus autem qui unctionem τοῦ μύρου acceperit, fuit, ut videtur, Joannes III Dukas, imperator Nicænus (1222-1254), vel ex ejus successoribus unus [2]. Circa finem

1. Theodorum unctionem olei accepisse die suae coronationis, omnino certum est. Ad nos enim pervenit decretum synodi metropolitarum provinciarum occidentalium imperii, cui præfuit Demetrius Chomatianus, quo coronationem despotæ Epiri approbabant, et in quo hæc legimus : « Τοῦτον μόνον βασιλέα ὁμολογοῦμεν καὶ τοῦτον στέφομεν, καὶ τοῦτον χρίομεν. » In hoc documento, metropolitæ bene distnguunt inter στεμματοφορίαν et χρίσιν. Cf. Miliarakis, Ἱστορία τοῦ βασιλείου τῆς Νικαίας, Athenis, 1898, p. 160-164, 653-654. Præterea habemus responsionem Demetrii Chomatiani ad criminationes Germani II, patriarchæ œcumenici, Nicææ sedentis, qui ei culpæ verterat 1° quod τὸ ἅγιον μύρον consecrasset; 2° quod eodem sacro unguento Theodorum in imperatorem unxisset. Demetrius respondet 1° consecrationem chrismatis a quolibet episcopo perfici posse : « Τὴν τοῦ μύρου δὲ τελετήν, inquit, οὐκ οἶδ' ὅπως ἡ σὴ τελειότης μόνῃ ἑαυτῇ ἀπεκλήρωσε »; 2° morem non vigere *ungendi τῷ μύρῳ novum imperatorem, sed oleo sacris hymnis sanctificato* (ἄλλως τε δὲ οὐδὲ τοῦ ἐπικρατοῦντος ἔθους ἐστὶ μύρῳ χρίεσθαι τὸν εἰς τὴν βασίλειον ἀνάρρησιν προκαλούμενον, ἐλαίῳ δὲ ἱεροῖς ἁγιαζομένῳ ἐπάσμασι). Quomodo ergo, ait, *nobis crimini vertisti chrisma, quo non sumus usi?* πῶς οὖν ὧπερ οὐκ ἐχρησάμεθα, πρὸς κατηγορίαν ἡμῖν προέτεινας; » Pitra, *Analecta sacra*, t. VII, Parisiis, 1891, p. 493. Ergo Chomatianus Demetrium unxit non chrismate, sed oleo baptismatis seu catechumenorum. Mos autem de quo loquitur non apud Byzantinos vigebat, sed apud Occidentales. Unde Chomatianus, Theodorum ungendo Latinorum more, novitatem revera perpetrarat; ad quam alludere videtur Germanus, dum ei scribit : « Τῷ ὄντι γὰρ τὸ διὰ σοῦ καινοτομηθὲν χρίσμα βασιλικὸν οὐκ ἔλαιον ἡμῖν ἐστὶν ἀγαλλιάσεως. » *Ibid.*, col. 484.

2. Conjicere licet Germanum II, postquam rescivit Chomatianum unxisse Theodorum, non tulisse suum βασιλέα tum imperatori græco Macedoniæ tum Latino, qui Constantinopolim tenebat, manere inferiorem; immo, ut hic aliis præcelleret, eum non simplici catechumenorum oleo sed sacro unxisse μύρῳ. Cæterum non omnino improbabile judicamus jam Theodorum I Lascarim aliquam chrismatis unctionem accepisse, circa annum 1208, a patriarcha Michaele IV Autoriano (1207-1213); quod insinuare videtur Nicephorus Gregoras scribens, *Byzant. Historiæ*, l. III, c. 1, 2, *P. G.*, t. CXLVIII, col. 181 A : « Ὁ βασιλεὺς παρὰ τοῦ πατριάρχου χρισθεὶς καὶ τὸ στέφος ἀναδυσάμενος, πρὸς ἐκστρατείαν παρεσκευάζετο. » In narratione autem Nicetæ Choniatæ de coronatione Alexii III Angeli (1195), *P. G.*, t. CXXXIX, col. 828-830, ne ullum verbum occurrit de aliqua chrismatione vel unctione, sed de coronatione tantum fit mentio.

namque sæculi XIII, tempore scilicet quo Jobus monachus suam de septem sacramentis tractatiunculam scribebat, usus chrismandi imperatores obtinuerat, quandoquidem ille docet sacramentum Sacri Unguenti « ordine quodam dignitatis *iterari* in ritu imperatoriæ inaugurationis [1]. » Hujus autem novi ritus descriptionem habemus tum in *Historiis* Joannis Cantacuzeni [2], tum apud Simeonem Thessalonicensem [3]. Imperator, post primam orationem, illam scilicet quæ ad benedictionem chlamydis recitabatur, chrismate *in fronte tantum* ungebatur a patriarcha dicente non formam consuetam : *Signaculum doni Spiritus Sancti*, sed hanc simplicem vocem : *Sanctus*, Ἅγιος. Ex hoc inferre quis poterat unctionem hujusmodi non esse veram sacramenti Confirmationis iterationem, sed tantummodo aliquod sacramentale; verum non ita theologi byzantini haud pauci rem habuere.

Jobum monachum jam audivimus de vera sacramenti renovatione loquentem. Huic concordare videtur Nicolaus Cabasilas, dum scribit :

« Cum vetus lex reges et sacerdotes æque ungeret, Ecclesiæ norma illos (scilicet (βασιλέας) chrismate ad regalem dignitatem evehens, sacerdotibus, manus imponit et Spiritus Sancti gratiam utrique precatur; quo ostenditur *et hoc et illud eodem spectare, et ambo eamdem vim habere* [4]. »

Simeon Thessalonicensis autem de ritus significatione ambigua quædam profert. Ex una enim parte, efficaciam sacramentalem ei tribuere videtur his verbis :

« Pontifex chrismate signans imperatorem signo et unctione veri dominatoris totius universi, et ad ipsius imitationem super terram illum constituens, *Spiritu illum corro-*

1. « Τάξει δέ τινι, ὡς ἐν τῇ τελετῇ τῆς βασιλικῆς διφρηφορίας vel στεφηφορίας. » *Loc. cit.*

2. *Hist.*, l. I, c. XLI; *P. G.*, t. CLIII, col. 276-288.

3. *De sacro templo*, 146, col. 353.

4. « Ὁ τῆς Ἐκκλησίας θεσμὸς ἐκείνους (= βασιλέας) τῷ μύρῳ βασιλεύων, τοῖς ἱερεῦσι ἐπιτίθησι χεῖρας, καὶ τὴν τοῦ Πνεύματος εὔχεται χάριν, ὅπερ ἐστὶ δεικνύντος καὶ τοῦτο κἀκεῖνο πρὸς ταὐτὰ φέρειν καὶ τὴν αὐτὴν ἄμφω δύναμιν ἔχειν. » *De vita in Christo*, l. III; *P. G.*, t. CL, col. 569. Sententia vero Cabasilæ aliqua obscuritate involvitur ex iis quæ statim sequuntur.

borat et per chrismationis suave olentiam largissimam ei impertitur gratiam ad duces civiles et militares constituendos. Precibus eum protegit, circummunit, roborat et perficit, ab universorum Domino terrestria cælestiaque bona ipsi exoptans [1]. »

Ex alia vero, eamdem vim illi haud obscure denegat, dum ordinationem episcopi cum chrismatione imperatorum conferens dicit :

« Episcopus imperatorem ungens, eum sanctum proclamat, *sed verbo solo hoc per proclamationem dicit* propter sanctam unctionem Sacri Unguenti, a quo fideles omnes et unguntur et sancti denominantur... *Sanctus tantum renuntiatur* unctione chrismatis; episcopus vero per ordinationis preces et *sanctum esse cum donis ipsis accipit* [2]. »

Non solum autem post chrismationis adjectionem, verum etiam antea, quando nempe inaugurationis imperatoriæ ritus duabus tantum constabat orationibus et formula : *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, a patriarcha coronam imponente dicta, Byzantini cærimoniæ efficaciam vere sacramentalem tribuerunt. Hujus primum doctorem habemus Polyeuctam patriarcham, qui occasione coronationis Joannis Timitsæ (25 dec. 969), hæc cum sua synodo decrevit :

« Quoniam sancti baptismatis unctio omnia quæ ante baptismum fuerunt, qualia et quanta fuerint, peccata delet, imperii quoque unctio cædem, quam ante eam Tzimisces commisit, prorsus delevit [3]. »

Hanc synodalem sententiam referens, Theodorus Balsamon sequentia subjicit, quæ non parvam admirationem excitare nata sunt :

1. « Καὶ ἐνισχύων τῷ Πνεύματι καὶ μεταδοτικὴν διὰ τῆς εὐωδίας τοῦ μύρου χαριζόμενος αὐτῷ χάριν εἰς τὸ ἄρχοντας κατὰ κόσμον καὶ στρατηγοὺς καθιστᾶν. » *De sacro templo, loc. cit.*

2. « Καὶ τὸν βασιλέα δὲ χρίων ὁ ἀρχιερεὺς ἅγιον ἀνακηρύττει, ἀλλὰ μόνῃ τῇ ἀνακηρύξει φησὶ διὰ τὸ χρίσμα τὸ ἅγιον τοῦ ἁγίου μύρου,... Ὁ δὲ ἀρχιερεὺς σὺν αὐτοῖς τοῖς χαρίσμασι καὶ τὸ ἅγιος εἶναι διὰ τῶν εὐχῶν τῆς χειροτονίας λαμβάνει. » *De sacris ordinationibus*, 207, col. 417. Cf. c. 218, col. 429, 432.

3. « Ἐπεὶ τὸ χρίσμα τοῦ ἁγίου βαπτίσματος τὰ πρὸ τούτου ἁμαρτήματα ἀπαλείφει, οἷα καὶ ὅσα ἂν ὦσι, πάντως καὶ τὸ χρίσμα τῆς βασιλείας τὸν πρὸ ταύτης γεγονότα φόνον παρὰ τοῦ Τζιμισκῆ ἐξήλειψεν. » Refert Balsamon, *In can. 12 concilii Ancyrani comment.*, *P. G.*, t. CXXXVII, col. 1156.

« Secundum hujusmodi actionem synodalem, quicumque sunt paulo misericordiores et Dei misericordiam ante judicium corripiunt, per *episcopalem unctionem* quæ ante ea commissa sunt peccata deleri dicunt, et instant de animæ sordibus ante episcopatum commissis præsules non postulari; ut enim imperatores uncti Domini appellati sunt, sic etiam antistites et sunt et nominantur. Dictum autem suum ex hoc quoque confirmant, quod ejusdem virtutis sunt preces quæ leguntur quando imperatores coronantur, et quando ordinantur antistites... Ex his ergo nota *antistitum ordinationem et imperatorum unctionem omnia peccata ante ordinationem et unctionem commissa, qualiacumque fuerint, delere* [1]. »

Ergo Balsamon Polyeuctæ sententiæ adhaeret, nedum illam improbet. Eadem non temere tribui potest Michaeli Psello, qui de *sacramento imperii*, ad ritum coronationis alludens, alicubi loquitur [2].

Quid autem epochæ modernæ theologi de hac quæstione sentiant, antequam dicamus, de chrismatione tsarorum russorum quædam præmittenda sunt. Fabulosas narrationes de insignibus imperialibus, quæ Byzantini sive sancto Vladmiro, primo Russorum principi christiano, sive ejus successori Kniazo Vladimiro Monomacho (1113-1125) miserint, libenter nunc relinquunt historici russi [3]. Primus autem inter principes Russorum coronatus fuit (non chrismate

1. « Καὶ σημείωσαι ἐκ τούτων ὅτι ἡ χειροτονία τῶν ἀρχιερέων καὶ τὸ χρίσμα τῶν βασιλέων ἀπαλείφουσι τὰ πρὸ τῆς χειροτονίας καὶ τοῦ χρίσματος ἁμάρτηματα, οἷα ἂν ὦσι, » *Ibid.*, col. 1157 AB. Cf. quæ dicuntur infra, p. 420.

2. « Καὶ τελεῖται ἐπὶ τῷ Καίσαρι τὸ τῆς βασιλείας μυστήριον. » Βυζαντινῆς ἱστορίας ἑκατονταετηρίς, apud Satham, Μεσαιωνικὴ βιβλιοθήκη, t. v, Parisiis, 1874, p. 178.

3. De origine chrismationis imperatorum tum apud Byzantinos tum præsertim apud Russos egerunt : 1° A. V. Gorskii, *op. cit.*, 2° K. Popov, *Ritus sanctæ coronationis*, in commentario *Bogoslovskii Viestnik*, 1896, t. II, p. 59-72, 173-196; 3° N. Pokrovskii, *Ritus coronationis imperatorum historice examinatus*, in *Tserkovnyi Viestnik*, 1896, n. 17-20; 4° Elpidoforus Vassilievitch Barsov, *Monumenta vetera russica de coronatione tsarorum*, in *Tchteniia Societ. imper. historiæ et antiquit. apud Universitatem Mosquensem*, 1883, t. I, p. XXXV + 160 p. Cf. etiam *Étude historique d'un ecclésiastique russe sur le couronnement des tsars*, in *Questions actuelles*, t. XXXIV, p. 50-60, 90-94.

unctus) Ivanus III, anno 1498. Quis autem eorumdem primus chrismatis unctionem acceperit, litigunt inter se critici. Haud pauci volunt Ivanum IV, Terribilem dictum, anno 1547, quando scilicet tsari nomen sibi sumpsit, a metropolita Macario non solum fuisse coronatum, quod extra dubium est, sed etiam chrismate inunctum ritu prorsus diverso a ritu apud Byzantinos usitato, verum omnino simili ritui sacramenti Confirmationis : scilicet eum chrismatum fuisse in formam crucis in fronte, auribus, pectore, scapulis et manibus cum prolatione verborum sacramentalium : *Signaculum doni Spiritus Sancti* [1]. Quod de Ivano IV quadamtenus dubium manet, de ejus successore Feodoro Ivanovitch omnino certum est. Hic anno 1584 a metropolita Mosquensi Dionysio chrismatus est ut baptizati solent. Et ita tsari omnes usque ad Nicolaum II inclusive, paucis tantum decursu temporum in ritu mutatis [2]. Byzantii quidem, imperatrices non chrismabantur; apud Russos vero, inde ab anno 1724, etiam illæ unctionem acceperunt, sed in fronte tantum cum verborum sacramentalium prolatione.

Ad significationem autem theologicam hujus chrismationis quod attinet, theologi russi, inde præsertim a sæculo XVIII et per totum sæculum XIX ad nostra tempora, communiter docuerunt eam habendam esse tanquam gradum superio-

1. Ita sentiunt A. Gorskii et K. Popov, hic tamen cum aliqua dubitatione. C. Pokrovskii autem dubitat de veritate narrationis a Novikov, *Rossiiskii Bibliothek*, t. VII, editæ, de chrismatione Ivani IV. Certum est autem Ivanum, post decimum suæ coronationis annum, legationem ad patriarcham œcumenium misisse, ut ab eo obtineret validationem et approbationem eorum quæ a metropolita Macario anno 1547 gesta fuerant, id est, ut tanquam verus βασιλεὺς rite coronatus agnosceretur. Post quatuor annos, scilicet anno 1562 patriarcha œcumenicus Joasaphus II (1555-1565) tsaro rescripsit epistolam synodalem a 31 metropolitis, 1 archiepiscopo et 3 episcopis subsignatam, qua postulatum concedebat declarabatque tsarum: « εἶναι καὶ ὀνομάζεσθαι εἰς βασιλέα νόμιμον καὶ εὐσεβέστατον, ἐστεμμένον. » Hanc epistolam anno 1850 edidit princeps Obolenskii. Patriarcha misit etiam exemplar ritus coronationis, prout olim Byzantii fiebat. Russi vero de eo parum curarunt, et suum proprium ritum servarunt.

2. Ritus coronationis tsarorum immutatus remansit inde a coronatione Pauli I (5 aprilis 1797). Eum cum versione germanica edidit A. Maltzev, *Bitt-Dank-und Weihe Gottesdienste der orthodox-katholischen Kirche des Morgenlandes*, Berolini, 1897, p. 1-60.

rem sacramenti Confirmationis novo imperatori gratias speciales, ut grave munus regendi populos rite obire possit, tribuentem, eodem prorsus modo quo episcopatus est gradus superior unius sacramenti Ordinis. Quidam autem de mera Confirmationis iteratione, Jobi monachi instar, loqui visi sunt. Non pauci hanc doctrinam nonnisi implicite tradiderunt, asserentes nempe chrismationem imperatoriam gratiam divinam donaque Spiritus Sancti conferre. Paucos hic textus referre sufficiat.

Jam in coronatione Boris Godunov anno 1598 a patriarcha Jobo peracta, in quadam oratione post chrismationem jam factam recitata hæc occurrebant : « Sicut tu, Domine, reges antiquos per sanctos prophetas tuos unxisti et in Novo Testamento idem præstas per beatissimos patriarchas, ita nunc coronatur inter reges, servus tuus Boris Theodorovitch, *qui Spiritus Sancti gratia unctus est* [1]. » Doctrinam autem de efficacia sacramentali hujusmodi ritus quotannis solenniter profitebantur Russi, die dominica Orthodoxiæ inde ab anno 1761, quando Catharinæ II imperatricis auctoritate novum officium seu ἀκολουθίαν Dominicæ Orthodoxiæ, ab officio ejusdem diei apud Græcos, et antea etiam apud Russos servato prorsus diversum, auspicatum est [2]. Inter anathematismos ad hoc officium pertinentes hic legebatur :

« Existimantibus orthodoxos imperatores non ex speciali erga ipsos Dei benevolentia ad thronum exaltari, *neque illis, quando chrismate inunguntur, Spiritus Sancti dona infundi, ut suum sublime officium adimplere valeant;* indeque adversus illos insurgere ac rebellare audentibus, ut fecerunt Griska Otrepiev, Ivan Mazeppa et alii similes, anathema, anathema, anathema. »

Eamdem sententiam adhuc explicitius exprimere solebant ecclesiastici oratores vel scriptores, occasione coronationis cujusque tsari, vel quotannis, anniversario die hujus cæremoniæ. Philaretus Drozdov, metropolita Mosquensis,

1. A. Gorskii, *op. cit.*, p. 28. Notandum est in coronatione Boris Godunov quædam in ritu jam usitato mutata fuisse, quæ illa vice tantum observata sunt.

2. *Officium Dominicæ Orthodoxiæ*, Mosquæ, 1850, p. 8.

in oratione habita die coronationis Alexandri II (26 augusti 1856), hæc proferebat :

« Unctio imperatoria non est merus ritus eo spectans, ut adsistentium pellat animos; non est signum mortuum vel vacuum, sed est *actio vere sacramentalis* (*deitsvie taïnstvennoe*), *in qua sensibilis species virtute spiritali ac prorsus divina comitatur atque penetratur; admotioni olei super unctum annectitur infusio gratiae* [1]. »

Anno sequenti, anniversario die, idem Philaretus dicebat : « Ad conferendum tsaro sanctificationem vere internam, *sacramentalem*, Ecclesia per sanctam Unctionem signaculum doni Spiritus Sancti in eo imprimit. Ad mensam Domini eum adducit roboratque cibo corporis et sanguinis Christi [2]. »

Ipse Alexander II imperator, in edicto occasione coronationis suæ dato, a metropolita non dissentiebat : « Fideles subditos, aiebat, rogamus, ut suas ad Altissimum preces nostris adjungant, ut *per oleum sanctum super nos ejus gratia effundatur*, sitque hæc sacramentalis actio ipsius benevolentiæ in nos et signum et pignus [3]. »

Anno 1883, postridie coronationis Alexandri III (16 maii), Plato, metropolita Mosquensis, in magna aula Kremlini dicebat :

« Gaudemus quod in *sacramento unctionis* tibi collato, coronationis tuæ die, Spiritus Sanctus super te invisibiliter descendit et super te eo volitat modo, quo nunquam super David... Laetamur adhuc quod Spiritus Sanctus, in sacra chrismatione super te effusus, *sacramentaliter* (*taïnsvenno*), ut nostra docet Ecclesia, sua diversa dona ad sublime munus tuum obeundum tibi largitus est [4]. »

Occasione coronationis Nicolai II, die 14 maii 1896,

1. Locus a N. Pokrovskii laudatus in *art. cit.*, *Tserkovnyi Viestnik*, 1896, p. 540.

2. *Pribavleniia ad opera SS. Patrum*, t. XVI (1857), p. 325. Eamdem doctrinam invenies in aliis orationibus præsulum russorum die coronationis vel ejus anniversario habitis et in commentariis theologicis, ut *Lectio christiana*, *Pribavleniia ad op. Patr.*, etc., editis.

3. Pokrovskii, *loc. cit.*, p. 540.

4. *Tserkovnyi Viestnik*, n. 21, 1883, p. 3. Cf. *articulum*, *ibidem*, p. 1, editum, ubi auctor A. K. expresse docet chrismationem imperatoriam esse gradum superiorem unius sacramenti Confirmationis.

Sergius, metropolita Mosquensis, suorum antecessorum doctrinæ haud dubie suffragabatur, dum dicebat :

« Avita corona tua ad te quidem solum, utpote solum tsarum autocratoria potestate gaudentem, pertinet; christiani vero orthodoxi omnes chrismatis unctione dignantur; quæ iteranda non est. Si ergo tu *nova hujus sacramenti signacula recipis*, ratio in eo quærenda est, quod : sicut nihil super terram potestate imperiali sublimius, ita nihil tsari munere gravius. Ideo, ut ad illud ferendum te adjuvaret, sancta Ecclesia ab antiquo necessarium duxit aliquod medium extraordinarium, *sacramentale*, *gratiæ collativum*... Super te nunc effundatur donorum gratiæ abundantia, atque per unctionem visibilem desuper tibi tribuatur virtus invisibilis ad virtutum tuarum imperialium incrementum, ad illuminationem consilii tui supremi pro subjectorum tuorum fidelium felicitate ac prosperitate [1]. »

Quod e pulpito docebant oratores, hoc in theologiæ dogmaticæ compendiis addiscebant seminariorum et academiarum alumni. Siquidem chrismationem imperatorum gradum superiorem esse sacramenti Confirmationis asserunt Ignatius, Voronegeæ episcopus [2], Macarius in utroque cursu dogmatico, longiori videlicet et abbreviato [3], Malinovskii [4], alii.

Occurrunt tamen, etiam apud Russos, quædam voces absonæ. Sæculo XVIII, aliqui ex discipulis Theophanis Procopovitch, anathematismi Dominicæ Orthodoxiæ obliti, *sacramento imperatorum* repugnabant. Ita, v. g., Sylvester Lebedinskii, qui, in suo compendio dogmatico, objicienti sacramentum Confirmationis in regum coronatione iterari respondet :

« Reges inunguntur non ut in fide Christi crescant, sed ritum Veteris Testamenti secuti, præsente et preces Deo offerente multitudine, inunguntur, ut per preces Ecclesiæ

1. *Tserkovnyi Viestnik*, n. 21, 1896, p. 667-668. In num. 20 ejusdem commentarii ejusdem anni, p. 633-634, occurrit appellatio : *Magnum coronationis sacramentum.*

2. *De sacramentis Ecclesiæ*, Petropoli, 1849, p. 143.

3. *Theologia dogmatica orthodoxa*, t. II, p. 361; *Compendium theologiæ orthodoxæ, versio græca Neophyti Paghidæ*, p. 412-413.

4. *Op. cit.*, p. 354-355.

hoc ritu inaugurati copiosam et ad regnandum sufficientem gratiam Dei obtineant [1]. »

Ipse Antonius Amphiteatrov Sylvestro consentire videtur. Dicit enim « Ecclesiam, ad imitationem unctionis regum in Veteri Testamento usitatæ imperatores ungere, ut pro eis specialia gratiæ dona expostulet [2]. » Ex recentioribus autem Russis solum A. Maltzev invenimus qui communi sententiæ theologorum Ecclesiæ suæ aperte contradicat, eamque firmis argumentis penitus evertat :

« In Ecclesia orientali, inquit, unctio imperatorum fit etiam per sanctum chrisma. At vero inde non sequitur hanc chrismationem esse sacramenti Confirmationis renovationem, vel hujus sacramenti specialem gradum. Etenim, imperatorum unctio non fuit introducta nisi postquam christianismus ut religio Status agnitus est; neque de ea mentio occurrit ante sæculum x. Gratia sacramenti Sancti Unguenti post baptismum datur tota ac perfecta; ideo ejus iteratio eo facta ut pars specialis doni gratiæ conferatur, omnino supervacua est; siquidem pars in toto jam recepta est. Ipsa Ecclesia distinctum gratiæ gradum huic sacramento addere non potest, perinde ac si a Christo institutus fuisset, quia supernaturalis effectus sacramenti Dei immediata institutione innititur. Sacra imperatorum unctio ad sacramentales actiones ab Ecclesia institutas pertinet seu, quod idem est, unum est ex sacramentalibus. Plus quam a Christo accepit, Ecclesia dare non potest [3]. »

Quid autem de hac quæstione sentiant Græci recentiores, responsio in promptu est. Cum enim ab anno 1453 imperatores non habuerint, de significatione chrismationis imperatoriæ parum curarunt; neque ex eis omnes Russorum ritum bene nosse videntur [4]. Qui vero de eo nuper mentio-

1. Malinovski, *Op. cit.*, p. 496.

2. *Op. cit.*, § 295, p. 341 edit. græcæ.

3. *Die Sakramente der orthodox-katholischen Kirche des Morgenlandes*, Berolini, 1898, p. LXXXI-LXXXII. Cf. ejusdem opus : *Bitt-Dank-und Weihe-Gottesdienste der orth-kat. Kirche des Morgenlandes*, Berolini, 1897, p. XIX. Ut nobis videtur, ideo hoc docuit Maltzev, quia diu Berolini moratus est beneque perspexit Russorum sententiam communem cum sanis theologiæ principiis non posse componi.

4. Mesoloras, v. g., *op. cit.*, p. 237, n. 4, ignorat Russos antiquum ritum byzantinum mutasse.

nem fecerunt, ut merum sacramentale illum habuerunt. Ita Mesoloras [1], Andrutsus [2] et Dyovuniotis [3]. Nota tamen *Enchiridion theologiæ dogmaticæ* Macarii a Neophyta Paghida græce versum, ubi sententia contraria docetur, in manibus tradi alumnorum sacræ theologiæ. Recentioribus Græcis Serbus Milasch de hoc capite consentit [4].

ARTICULUS V

De ministro ordinario et extraordinario Confirmationis.

Prænotamina.

Contra Protestantes, qui asserebant quemlibet presbyterum pari ac eodem, quo episcopi, jure gaudere ad sacramentum Confirmationis administrandum, concilium Tridentinum definivit « *ordinarium* ministrum sanctæ Confirmationis esse solum episcopum, non vero quemvis simplicem sacerdotem. » (Sess. VII, can. 3). Item, in sess. XXIII, can. 7, idem concilium anathematizat dicentem « episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam, quam habent, *illis esse cum presbyteris communem.* » Ergo secundum doctrinam catholicam, ad administrationem sacramenti Confirmationis quod attinet, episcopus aliquid amplius habet quod non habet simplex presbyter; quo scilicet merito vocatur minister *ordinarius* hujus sacramenti. Quonam autem jure hoc habeat, divino an ecclesiastico tantum, Ecclesia catholica nunquam definivit, et hoc liberae theologorum disputationi adhuc relinquitur. Multo autem probabilior, quæ etiam certa nobis videtur, sententia est hanc majorem potestatem episcopum habere ex jure divino, ut ex Novi Testamenti libris colligere licet.

Si vero quæras quid significet effatum : *minister ordinarius*, dicendum hoc non necessario referri ad *frequentiorem*

1. Mesoloras, *ibid.*
2. Δογματική, p. 341 : « Ἡ τύπωσις αὕτη τοῦ μύρου οὐδέποτε (!) ἐθεωρήθη ὡς ἐπανάληψις τοῦ μυστηρίου τοῦ μύρου. »
3. *Op. cit.*, p. 84, n. 5.
4. *Jus ecclesiasticum*, vers. græca, p. 391 et 634.

sacramenti administrationem ex parte episcopi. Fieri enim potest, ut in certis circumstantiis vel regionibus, aliquis minister *extraordinarius*, presbyter scilicet, *frequentius* hoc sacramentum conferat quam episcopus. Appositum *ordinarius* referendum est ad perfectionem, plenitudinem, liberum et expeditum exercitium potestatis valide et licite confirmandi, non autem necessario ad frequentem usum hujus potestatis.

Simplicem presbyterum posse esse ministrum extraordinarium Confirmationis, olim quidem a quibusdam in dubium vocatum est; nunc autem de hoc ambigendi nullus amplius remanet locus. Multo enim ante schisma byzantinum, orientalium Ecclesiarum presbyteri, bene conscia et nullo pacto reclamante tota Ecclesia occidentali et romana, hoc sacramentum non quidem *ordinaria potestate* sed *ordinaria praxi*, statim post baptismum, de licentia propriorum episcoporum, neophytis conferre solebant; quæ praxis et post schisma semper viguit hodieque viget. Quoties autem post consummatum schisma de unitate communionis inter Græcos et Latinos instauranda actum est, sive in concilio Lugdunensi II, sive in Florentino, de validitate Confirmationis a presbyteris orientalibus collatæ nunquam disputatum est; neque potestas his presbyteris concessa administrandi hoc sacramentum unquam sublata est. Verum quidem est in *Confessione fidei* Michaeli Palæologo a romano pontifice proposita, simpliciter affirmari sacramentum Confirmationis conferri per impositionem manus episcopi renatos chrismantis; at vero aliunde constat Byzantinos unioni addictos ad suum usum relinquendum non fuisse obligatos. Joannes Veccus enim in illa fidei professione, quam ad Joannem XXI papam misit, hæc dicit :

« Sacramentum Confirmationis, quanquam in Ecclesia romana soli episcopi perficiunt per manuum impositionem chrismando renatos, apud nos tamen indifferenter episcopi et presbyteri hoc faciunt. *Nos vero consuetudinem, quæ apud nos ab antiquo de hoc ritu viguit, retinentes*, usum in romana Ecclesia de eodem servatum sanctitatis ac perfectionis collatorem esse confitemur. [1] »

1. « Εἰ παρὰ μὲν τῇ Ἐκκλησίᾳ τῆς Ῥώμης διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν

Item in concilio Florentino, post factam unionem, Latini a Græcis quæsierunt quare « apud eos episcopi sacro chrismate non inungerent, sed sacerdotes tantum, cum hoc pontificibus fuerit datum »; Græci vero per Dorotheum Mitylenensem « canonice omnia legitimeque dissolverunt [1]. »

Recentiori vero tempore, Ecclesia catholica, presbyteris unitis cujuscumque ritus orientalis, potestatem confirmandi *praxi ordinaria* secundum proprium uniuscujusque ritum concessit et agnovit [2]. Neque rari olim fuerunt, neque hodie rari sunt in Ecclesia occidentali casus delegationis simplicis presbyteri ad conferendum hoc sacramentum [3].

Undenam simplex presbyter habeat, ut possit valide Confirmationem conferre, utrum a potestate ordinis an a potestate jurisdictionis, an ab utraque simul, disputant inter se theologi. Sententia quæ nobis omnino vera videtur, hæc est : Potestas confirmandi in presbytero *radicaliter* fundatur super potestate ordinis; hæc tamen ligata manet, neque valide exerceri potest absque legitima delegatione superioris.

Si quæras ulterius quisnam delegationem legitimam presbytero dare possit ad confirmandum, respondendum : *Per se loquendo*, legitimus episcopus, qui est hujus sacramenti minister ordinarius, presbyteris sibi subditis hanc delegationem conferre potest. Cum vero hæc delegatio sit exercitium potestatis jurisdictionis, plenitudo autem jurisdic-

χειρῶν μόνοι οἱ ἐπίσκοποι ἐκτελοῦσι, χρίοντες τοὺς ἀναγεννωμένους, παρ'ἡμῖν δὲ ἀδιαφόρως οἱ ἀρχιερεῖς καὶ πρεσβύτεροι τοῦτο ποιοῦσιν. Ἀλλ'ἡμεῖς τὸ παρ'ἡμῖν ἀνέκαθεν κρατῆσαν ἔθος ἐπὶ τῇ τοιαύτῃ τάξει τηροῦντες, τὸ παρὰ τῆς ῥωμαϊκῆς Ἐκκλησίας ἐπὶ ταύτῃ γινόμενον ἁγιαστικὸν καὶ τελειοποιὸν εἶναι ὁμολογοῦμεν. » A. Theiner et F. Miklosich, *op. cit.*, p. 27.

1. « Καὶ διατί οὐ χρίουσιν οἱ ἀρχιερεῖς τὸ μύρον, ἀλλ'οἱ ἱερεῖς· καὶ γὰρ τοῖς ἀρχιερεῦσι δέδοται τοῦτο... Ταῦτα τῶν Λατίνων προκεκομισάντων, ὁ Μιτυλήνης κανονικῶς τε καὶ νομίμως ταῦτα πάντα ἔλυσε. » *Sanctum et œcumenicum in Florentia concilium a monacho Benedictino editum*, Romæ, 1864, textus græcus, p. 323-324.

2. Presbyteris italo-græcis potestas confirmandi non concedebatur; recenter vero presbyteris novæ diœcesis Lungrensis hæc facultas data est.

3. Sic sanctus Gregorius Magnus presbyteris Sardiniæ insulæ permisit baptizatos in fronte chrismare, ubi episcopi deessent. *Epist.* l. IV, *epist.* XXVI; *P. L.*, t. LXXVII, col. 696.

tionis ecclesiasticæ in romano pontifice, utpote totius Ecclesiæ visibili capite, resideat, Romanus pontifex jus delegandi sibi soli reservare potest. Jam vero, historice constat papam in Ecclesiis ritus latini, et quandoque etiam in certis Ecclesiis ritus orientalis, hujusmodi jus sibi reservasse; in Ecclesiis autem Orientis, a primis jam sæculis, quando scilicet licentia baptismum conferendi simplicibus presbyteris ab episcopis dari incepit, iisdem etiam ab iisdem concessam esse delegationem ad conferendum Confirmationis sacramentum, quandoquidem in iis Ecclesiis mos primævus ministrandi Confirmationem statim post baptismum perduravit. Hæc autem delegatio omnino valida erat et legitima, quia romanus pontifex hanc potestatem pro Ecclesiis orientalibus non sibi reservaverat, sed episcopis orientalibus ordinariæ (etsi circumscriptæ et successori Petri subordinatæ) jurisdictionis, qua gaudebant, plenum exercitium relinquebat. Et ita consuetudo diversa, ad ministrum Confirmationis quod attinet, in utraque Ecclesia invaluit.

Alia quæstio est utrum potestas ordinaria confirmandi, qua potiuntur episcopi, ita in illis ad potestatem ordinis pertineat, ut a romano pontifice vel generatim a vera Ecclesia in suo *valido* exercitio nullo pacto ligari vel impediri possit, etiam in episcopo hæretico, schismatico vel quocumque modo indigno; an, e contra, hæc potestas a vera Ecclesia aliqua via, si non auferri, saltem in suo exercitio suspendi possit? Quæstio nondum definite soluta est. De solo enim baptismo definitum est defectum veræ fidei in ministro sacramenti validitati non officere. Communis autem inter Catholicos sententia, quæ ut certa proponi solet, est Confirmationem ab episcopo heterodoxo collatam esse validam, neque per subtractionem jurisdictionis infirmari posse [1].

His prænotatis, quærendum nobis est :

1° Utrum Græco-Russi aliquid episcopo, quod non sim-

1. Non idem asseri potest de Confirmatione a presbytero dissidenti ministrata, cum presbyter, ut dictum est, delegatione superioris egeat ad valide conferendum sacramentum, et papa, vi plenitudinis suæ jurisdictionis, jus dandi hanc delegationem sibi reservare possit. Quid autem papa fecerit vel faciat erga presbyteros dissidentes Orientis, non est hic quærendi locus.

plici presbytero, tribuant quantum ad Confirmationis administrationem?

2° Utrum doctrinæ catholicæ de ministro ordinario hujus sacramenti revera contradicant?

3° Quid sentiendum sit de iteratione Confirmationis neophytis bulgaris ab episcopis latinis tempore Photii facta?

4° Quid Græco-Russi sentiant de validitate Confirmationis a ministro heterodoxo collatæ, et quænam fuerit tum antiquæ Ecclesiæ byzantinæ, tum graeco-russicæ dissidentis in hac materia praxis?

I. — De diversa potestate episcopi et presbyteri quantum ad Confirmationis administrationem secundum doctrinam Græco-Russorum.

Quanquam, inde a Photii tempore, Græco-Russi Latinis, quod Confirmationis administrationem solis reservant episcopis, crimini vertere solent, ipsi tamen non eamdem omnino potestatem et episcopo et simplici presbytero in hujus sacramenti collatione tribuunt. Primum quidem libenter agnoscunt, saltem qui in historia ecclesiastica versati sunt, primitus solos episcopos hoc sacramentum, sicut et alia sacramenta, administrare consuevisse.

« In primis Ecclesiæ sæculis, ait Nectarius Kephalas, unctio baptizatorum per Sacrum Unguentum episcoporum tantum opus erat, ut videtur... Ab ipsis autem postea et presbyteris propter eorum sacram dignitatem commissa est [1]. »

Insuper consecratio chrismatis, quod est materia necessaria hujus sacramenti, episcopis solis, et quidem plerumque dignioribus et in sacra hierarchia summis, semper in Ecclesia græco-russica reservata est; unde ex hac parte saltem episcopi præcellentia super simplicem presbyterum indubia exstat. Hanc episcopi super presbyterum excellentiam non

1. « Ἡ χρίσις διὰ τοῦ ἁγίου μύρου τῶν βαπτισθέντων..... φαίνεται ὅτι ἦν κατὰ τοὺς πρώτους αἰῶνας καὶ ἔργον μόνον τῶν ἀρχιερέων... Τὸ θεῖον χρίσμα παρὰ τῶν ἀρχιερέων ἐπετράπη καὶ τοῖς ἱερεῦσι. » Μελέται περὶ τῶν θείων μυστηρίων, Athenis, 1915, p. 35. Cf. Pachymerem, *In Eccles. Hier. Dionysii c. v. paraphr.*; *P. G.*, t. III, col. 524 A.

solum quantum ad Confirmationis sacramentum, sed etiam quantum ad alia sacramenta Simeon Thessalonicensis his verbis declarat :

« Nullus sacerdos sacra facere in spiritu valet, aut aliud quidpiam operari nisi ordinationem habeat; hæc autem ab episcopo venit. Ergo episcopatus per eum operatur. Rursum, sacerdos liturgiam non celebrat sine altari. Hoc autem per chrisma consecratur. Chrisma vero per episcopum solum perficitur. Ergo sine episcopo neque sacrificium exstat, neque sacerdos, neque altare omnino; quæ omnia per episcopum habentur. Iterum, nemo baptizat, si ordinationem non acceperit; quæ est ab episcopo. Item, nemo baptizare potest sine chrismate; hoc autem episcopatus proprium est. Igitur omnia divina sacramenta et in omnibus consecratis episcopatus operatur [1]. »

Notatu etiam digna sunt Gabrielis Severi verba de ministro Confirmationis.

« Quanquam hoc in sacris synodorum canonibus expressis verbis invenire non potui, verisimile tamen mihi videtur facultatem chrismandi episcopis *principaliter* traditam fuisse; quibus et solis chrisma præparare licet, secundum canonem 6 sanctæ synodi Carthaginensis. Orientalis vero Ecclesia non solum episcopis, verum etiam per ipsos et presbyteris indifferenter chrismare concedit, statim post sancti baptismi ritum. Et hoc, ut puto, concessit, ne baptizatorum quis, improvisa vel immatura morte præventus, ut inter mortales accidere solet, hujusmodi gratia privatus abscedat [2]. »

1. *De sacramentis*, 77, *P. G.*, *t. cit.*, col. 252 : « Ἆρα πάντα τὰ θεῖα μυστήρια καὶ ἐν πᾶσιν ἱερωμένοις ἡ ἀρχιερωσύνη ἐνεργοῦσά ἐστι. »

2. « Εἰ καὶ τοῦτο παρὰ τοῖς κανόσι τῶν συνόδων οὐκ ἐδυνήθην εὑρεῖν ὡρισμένως, ὅμως δοκεῖ μοι εἰκότως τοῖς ἀρχιερεῦσι δεδόσθαι προηγουμένως τοῦτο, οἷς καὶ μόνοις ἔξεστι κατασκευάζειν αὐτό... Ἡ δὲ ἀνατολικὴ Ἐκκλησία οὐ μόνον τοῖς ἀρχιερεῦσιν, ἀλλὰ δι' αὐτῶν καὶ τοῖς ἱερεῦσι συγκατανεύει χρίειν ἀπροκριματίστως μετὰ τὴν τοῦ ἁγίου βαπτίσματος εὐθὺς τελετήν. Καὶ τοῦτο, οἶμαι, συγκεχώρηκεν, ἵνα μή τις τῶν βαπτισθέντων ἀπολειφθῇ τῆς τοιαύτης χάριτος ὑστερούμενος, ἐξαπίνης καὶ ἀωρὶ, οἷα φιλεῖ γίγνεσθαι, ἐξ ἀνθρώπων γενόμενος. » Συνταγμάτιον περὶ μυστηρίων, ed. Venet., 1691, p. 71. Propter rationem a theologo græco allatam, liceat nobis hic pium exprimere desiderium, ut scilicet in Ecclesia latina in casu necessitatis, id est in periculo mortis, quando

Antonius Amphiteatrov item hæc habet :

« Jus perficiendi sacramentum Unguenti habent tantum Ecclesiæ pastores, utpote apostolorum successores; et præsertim unguentum consecrant episcopi soli, quia in apostolica Ecclesia Spiritum Sanctum per manuum impositionem demittebant non omnes, sed primores apostolorum tantum. Ideo ad fidem quidem convertit et Samaritanos baptizat Philippus, ex septem diaconis unus, sed mittuntur Petrus et Joannes, Sanctum daturi Spiritum. Ungere autem chrismate ab episcopis sanctificato quilibet sacerdos valet [1]. »

Graeco-Russi ergo presbyterum episcopo non omnino æquiparant quantum ad sacramenti Confirmationis administrationem.

II. — Utrum doctrinæ catholicæ de ministro ordinario Confirmationis revera contradicant.

Ex his quæ mox dicta sunt responsio jam obvia est. Cum enim, juxta Græco-Russos, presbyteri chrisma consecrare non possint, nec expeditam et a propriis episcopis omnino independentem chrismandi facultatem habeant, sed illam ab episcopo in sacra ordinatione recipiant, significationi dogmaticæ definitionis Tridentinæ de ministro *ordinario* Confirmationis vere contradicere non videntur. Etenim, ut supra diximus, *minister ordinarius* dogmatice acceptus non est necessario ille qui *frequentius* sacramentum administrat, sed qui plenum jus et expeditam potestatem habet sacramentum conferendi. Ut bene notat Macarius Bulgakov, tota differentia inter utramque Ecclesiam de hoc capite in eo est quod « Ecclesia orthodoxa jus conferendi Confirmationem sicut et alia sacramenta, præter Ordinem omnibus generatim presbyteris semel et in perpetuum concedit in ipsa eorum ordinatione ad ordinem presbyteratus; dum romana Ecclesia facultatem chrismandi quibusdam tantum presbyteris tribuit, et hoc non in

episcopus adesse non potest, presbyteris concedatur facultas ministrandi Confirmationem iis qui hoc sacramentum nondum receperunt, eodem plane jure quo facultas hujusmodi presbyteris aliquando data est, grassante peste vel aliquo alio morbo contagioso.

1. *Op. cit.*, § 293, ed. græc., p. 340.

ipsa eorum ordinatione, sed temporis decursu, pro circumstantiarum exigentia; unde episcopos vocat hujus sacramenti ministros ordinarios, presbyteros vero ministros extraordinarios [1]. »

Discrepantia manifestius adhuc evanescit, si attendas Ecclesiam catholicam praxim orientalem in Ecclesiis unitis rituum orientalium approbare et ratam habere. Equidem non negandum quosdam polemistas, inter quos primus venit Photius, sensum dogmaticum catholicæ definitionis impugnare visos fuisse, dum, v. g., dixerint : « Presbyter baptizat; presbyter corpus Christi consecrat; atqui baptismus et Eucharistia sacramentum Confirmationis dignitate superant; qui autem potest plus, potest et minus; ergo simplex presbyter chrismare potest [2]. » Verum hujusmodi sophismata pauci tantum iterarunt, et hi quidem magis polemice, quam ex intima persuasione, et ut magistri Photii vestigia premerent.

III. — De reconfirmatione Bulgarorum a latinis episcopis tempore Photii peracta.

Quare autem Photius in Latinos de Confirmationis ministro invectus fuerit, causa bene nota est. Episcopi enim quos Nicolaus papa in Bulgariam, post photianorum presbyterorum expulsionem, miserat, neophytos bulgaros ab istis presbyteris baptizatos iterum chrismare non dubitarunt; quod ut rescivit schismaticus, in furorem versus, Occidentales increpare incepit quod validitatem Confirmationis a presbyteris ministratæ non reciperent. Criminatio autem nullo nitebatur fundamento. Romani enim et alii Occidentales optime noverant apud Byzantinos aliosque Orientales,

1. Macarius, *op. cit.*, p. 365.

2. Photius, *Epist. encyclica*, *loc. cit.* : « Non licet sacerdotibus, aiunt, eos qui sacro baptismate initiantur, unguento sanctificare; solis enim pontificibus hoc datum esse... Non licet sacerdoti eos qui baptizantur unguento consignare? Igitur neque omnino baptizare, neque sacra facere... Conficit sacerdos Christi Domini corpus et sanguinem, et eos qui jam sunt baptismate initiati per ea sacramenta sanctificat. Quomodo non etiam sanctificabit chrismate, ungens eos qui baptismate initiantur? » Cf. etiam argumenta Joannis Nathanael, apud Arcudium, *op. cit.*, l. II, c. XII, p. 97-98.

simplices presbyteros chrismare solere baptizatos; neque unquam hujusmodi consuetudinem damnaverant [1]. Quare ergo Nicolai papæ legati ut nullius roboris habuerunt Confirmationem a presbyteris photianis collatam? Propter hanc duplicem rationem : 1° Quia *photiani* erant, a Photio schismatico et a papa solenni sententia deposito missi et forsitan etiam ordinati [2]. Photius namque, utpote omni jurisdictionis potestate spoliatus, suis presbyteris, *invito romano pontifice*, validam delegationem ad confirmandum dare nequibat; debita autem delegatio superioris, ut supra diximus, simplici presbytero necessaria est, ut hoc sacramentum valide conferre possit; 2° Quia presbyteri græci confirmaverant in territorio jurisdictioni patriarchatus romani subjecto. Bulgaria siquidem ad illas Illyrici provincias pertinebat quas Leo Isaurus, anno 1732, jurisdictioni romani pontificis violenter subtraxerat. Huic usurpationi papæ semper reclamaverant. Unde etiam ex hac parte, presbyteri photiani illa delegatione legitima carebant, quæ eis necessaria fuit ad valide confirmandum [3].

IV. — De validitate Confirmationis heterodoxorum secundum doctrinam Græco-Russorum.

Quæstio solutu haud facilis est utrum antiqua Ecclesia

1. Latini theologi qui sæculo IX, postulante Nicolao papa, criminationibus Photianorum responderunt, ut Ratramnus, *Contra Græcorum opposita*, l.. IV., c. VII, *P. L.*, t. CXXI, col. 332-334, usum Orientalium non improbant, sed consuetudinis latinæ liceitatem adstruunt.

2. De Photii ordinationibus sanctus Nicolaus papa haud semel ita locutus est, ut earum validitatem omnino negare videretur; ejus tamen verba ultra ejus veram mentem gradiuntur, ut bene ostendunt tum Hergenröther, *Photius*, t. II, p. 353-356, tum L. Saltet, *Les réordinations*, Parisiis, 1907, p. 138-145. Quidam Orientales putasse videntur Romanos ideo Confirmationem photianorum presbyterorum repudiasse, quod hi, in chrismando Bulgaros, unguento a Photio consecrato usi fuerint. Ita Metrophanes Smyrnensis, *Epist. ad Manuelem Patricium*, Hardouin, *Collect. concil.*, t. V, col. 1113 : « ἀπεδοκίμασαν τοῦ Φωτίου τό μύρον. »

3. Quidam theologi catholici, ad hanc de jurisdictione in Bulgariam quæstionem non attendentes, legatorum romanorum agendi rationem vituperarunt. Ita L. Holstenius, *Dissertatio duplex de sacramento Confirmationis apud Græcos*, Romæ, 1666; cui assentire videtur Chardon, *Histoire des sacrements*, apud Migne, *Cursus theol.*, t. XX, p. 198.

byzantina, inde jam a sæculo v, sacramentum Confirmationis collatum a quisbusdam hæreticis (Arianis scilicet, Macedonianis, Novatianis [1], Quartodecimanis et Apollinaristis, quos ad rectam fidem accedentes per unctiones chrismatis super diversos sensus cum prolatione verborum : *Signaculum doni Spiritus Sancti*, recipiebat), ut invalidum duxerit, hæreticisque hujusmodi per chrismationis ritum non quidem iterare, sed primum dare hoc sacramentum intenderit; an e contra chrismationem hujusmodi ut quemdam reconciliationis pœnitentium ritum habuerit, eo spectantem ut significaretur primam justificationis gratiam donumque Spiritus Sancti, quæ a ministro hæretico et in hæresi baptizati accipere nequiverint, illis tunc revera tribui? Theologi et historici multi (Maldonatus, Sirmondus, Joannes Morinus, Witassius, Hefele, Duchesne, Saltet, etc.), primam interpretationem amplectuntur, docentque Confirmationem ab hujusmodi hæreticis collatam olim in Oriente [2] ut invalidam habitam fuisse; alteram tenent item multi (Bellarminus, Goarius, Arcudius, Petrus Aurelius, et nuperrime P. Galtier [3]). Priori sententiæ favet illa hæreticorum in tres classes

1. Novatiani ritum Confirmationis omittebant in baptismo conferendo, testibus pluribus Patribus. Cf. Theodoretum, *Hæretic. fabul. compendium*, l. III, c. v; *P. G.*, t. LXXXIII, col. 408 B.

2. Non solum pro Oriente, sed etiam pro Occidente eadem quæstio ponitur, et inter doctos controvertitur; ad Occidentalium autem usum in reconciliandis hæreticis quod attinet, facilior responsio est, saltem quantum ad illas Ecclesias (romanam, africanam, etc.), quæ hæreticos ad fidem catholicam conversos chrismate non ungebant, sed per solam manus impositionem recipiebant.

3. P. Galtier, *La réconclitation des héritiques : Absolution ou Confirmation?* in commentario : *Recherches de science religieuse*, t. v (1914), p. 201-235, 339-394, 507-544; cf. etiam ejusdem artic. *Imposition des mains*, in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. VII, col. 1321-1324, 1329, 1399-1400. Auctor ad hanc devenit conclusionem : « Plus ou moins accentué, l'aspect pénitentiel des cérémonies de la réconciliation est partout reconnaissable. Facile à mettre en lumière dans la liturgie romaine et africaine, il se dégage moins nettement dans les Églises d'Orient... Il n'est pas prouvé que les Églises admettant la validité du baptême hérétique aient jamais contesté celle du rite adjoint, appelé depuis d'un nom de sacrement distinct. Partout, ce qu'on a voulu assurer aux convertis, ce sont les effets de la grâce qui n'avaient point été obtenus hors de l'Église, et c'est parce que le véritable auteur en est le Saint-Esprit que l'attention s'est fixée sur le don à faire de

divisio, quorum alii quidem baptizantur, alii chrismate ut in ritu Confirmationis unguntur, alii vero, videlicet hæretici recentiores (Nestoriani, varii Monophysitæ, Iconoclastæ) per simplicem fidei professionem et errorum abjurationem recipiuntur: favet etiam posteriorum Byzantinorum communis doctrina, et etiam recentiorum Græco-Russorum, saltem usque ad sæculum XVIII.

In *Nomocanone* Photii nomen præferente, titul. IV, c. XIV : *Quinam hæreticorum ad orthodoxam fidem transeuntes baptizentur, et quinam tantummodo ungantur*, memorantur antiqui canones de hæreticorum receptione : canon 19 concilii Nicaeni I, Laodiceni can. 7 et 8, Constantinopolitani I can. 7, sexti (Trullani) can. 95, Nicæni II can. 8, sancti

lui. Avec lui et par lui, l'âme reçoit la sanctification première, dont elle avait été privée jusque-là, et il est tout naturel que dans le choix du rite destiné à symboliser de tels effets, l'on se soit inspiré de cette vérité primordiale. » *Recherches de science religieuse*, p. 543-544. Auctori libenter suffragamur quod attinet ad usum Ecclesiæ romanæ et africanæ, non vero quantum ad usum Ecclesiæ byzantinæ in reconciliandis hæreticis primæ classis (Arianis, Macedonianis, etc.). In documentis enim hunc usum referentibus (*Epistola ad Martyrum Antioch.; Timothei presbyteri de receptione hæreticorum*, *P. G.*, t. LXXXVI, col. 13 sq., can. 95 *Trull.*, et præsertim euchologia, quorum antiquius ante annum 797 exaratum est, scilicet cod. *Barb. III. 55*, nunc cod. *336*), manifesta distinctio fit inter ritum baptismi, qui in hæreticis hujusmodi tanquam validus agnoscitur, et ritum Confirmationis, qui ut nullius roboris ducitur: unde eis ab Ecclesia renovatur eodem prorsus modo quo ministratur in baptismo fidelium. In euchologio Barberino, p. 282, ante chrismationem, sacerdos, *manum extendens super caput conversi ad fidem* ad hanc manus impositionem P. Galtier in suis dissertationibus attendisse non videtur), orationem recitat, in qua hæc verba occurrunt : καταξίωσον αὐτὸν τῆς σφραγίδος τοῦ θείου μύρου καὶ τῆς τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐπιφοιτήσεως καὶ τῆς μεταλήψεως τοῦ τιμίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ, καὶ ἀνάδειξον αὐτὸν τέλειον δοῦλόν σου : Illum dignare *signaculo Sancti Unguenti et Spiritus Sancti descensu et participatione corporis et sanguinis Christi*, et illum effice *perfectum* servum tuum. » Illis sane verbis, quæ orationi chrismationi præviæ in ritu baptismatis similia sunt, petitur proprius effectus sacramenti Confirmationis, quod clare distinguitur tum a baptismate, tum ab Eucharistia. Talis significatio confirmatur iis quæ sequuntur : Καὶ χρίει αὐτὸν τῷ μύρῳ καθάπερ καὶ τοὺς νεοφωτίστους, τὴν αὐτὴν ἐπ' αὐτῷ ἐπίρρησιν ποιούμενος » : postea orationem recitat sic incipientem : Κύριε, ὁ θεὸς ἡμῶν, ὁ καταξιώσας τέλειον ἀναδεῖξαι τὸν δοῦλόν σου... καὶ τῆς σφραγίδος τοῦ μύρου τοῦ ἁγίου, κτλ. »

Basilii can. 47. Hi canones per totam epocham byzantinam vim legis retinuerunt; sæculo tamen XI mediante, quædam novatio canoni 95 Trullano derogans, jam invecta fuerat; Nestoriani siquidem et Monophysitæ, qui antea per solam errorum abjurationem recipiebantur, hæreticis secundæ classis, iis scilicet qui chrismate ungebantur, annumerati sunt, teste Nicone Raithuensi, qui in sua *Pandecte* hæc habet :

« Videmus nunc in magnis et universalibus (καθολικαῖς) Ecclesiis, in patriarchatibus scilicet et metropolibus cæterisque Armenios, Jacobitas, Nestorianos et reliquos Acephalos eisque similes, quando ad fidem orthodoxam convertuntur, inungi et non baptizari ; et ab eis petunt, ut suos duces anathematizent. Hoc nuper statutum est propter justas necessariasque causas [1]. »

Ex hac mutatione provenit, ut in praxi Byzantini hæreticos quoscumque ad Orthodoxiam accedentes vel per baptismum vel per chrismatis unctionem, quæ post baptismum fieri solet, reciperent. Ita etiam, ut vidimus, Latinos catholicos tractarunt non solum post concilium Florentinum, sed etiam prius, quandoquidem Marcus Ephesius, ut probaret Latinos esse veri nominis hæreticos, ad consuetudinem eos chrismandi provocabat [2]. Hanc autem chrismatis unctionem tanquam sacramentum Confirmationis eos communiter habuisse, in dubium ægre vocabis. Distinctionem enim quam nunc faciunt quidam theologi et historici inter sacramentum chrismatis et aliquem ritum pœnitentialem ei exterius omnino similem apud illos in vanum quæres. Quemadmodum baptismus quo quidam hæretici reconciliabantur tanquam verus baptismus habebatur, ita etiam chrismatis unctio, quo alii hæretici recipiebantur

1. « Ὁρῶμεν δὲ νῦν ἐν ταῖς μεγάλαις καὶ καθολικαῖς Ἐκκλησίαις ἤγουν ἐν τοῖς πατριαρχείοις καὶ μητροπόλεσι καὶ ταῖς λοιπαῖς, ὅτι τοὺς Ἀρμενίους καὶ Ἰακωβίτας καὶ Νεστοριανοὺς καὶ τοὺς λοιποὺς Ἀκεφάλους καὶ τοὺς ὁμοίους αὐτοῖς, ἐπιστρέφοντας εἰς τὴν ὀρθόδοξον πίστιν, καταχρίουσι καὶ οὐ βαπτίζουσι, ποιοῦσι δὲ ἀναθεματίζειν τοὺς ἐξάρχους αὐτῶν. Καὶ τοῦτο ἐτυπώθη ἄρτι δι' αἰτίας εὐλόγους καὶ ἀναγκαίας. » *Ex Niconis Pandecte, P. G.*, t. LXXXVI, col. 72 C. Hoc factum est forsan ad arcendos conatus *proselyticos* hæreticorum, vel ad inducendam uniformitatem in ritu receptionis hæreticorum quorum baptismus validus habebatur.

2. Cf. p. 109.

cum verborum sacramentalium prolatione, sacramentum Sacri Unguenti omnibus videbatur. Cæterum, quidam expressis verbis hoc declararunt, ut Jobus monachus [1]; immo, ut vidimus, non pauci, characteris indelebilis sacramenti penitus obliti, Confirmationem apostatis iterandam esse docuerunt [2]; quod certe gravius est quam validitatem Confirmationis hæreticorum rejicere.

Inde a sæculo XVI, unctio chrismatis super hæreticos ab antiquis canonibus præscripta communiter etiam ut vere sacramentalis a theologis habita est [3]. Hanc significationem ei certe tribuebat Petrus Moghila, quippe qui in suo *Trebniko* vetuit illa uti in receptione Latinorum aliorumque schismaticorum a propriis episcopis confirmatorum [4]; quam regulam, ut vidimus, Ecclesia russica ab anno 1757 observavit non solum in receptione Catholicorum, sed etiam Armenorum et Nestorianorum. Ecclesia græca vero usum chrismandi heterodoxos semper retinuit, etiam quoties, οἰκονομίᾳ utens, illos non rebaptizavit. Insuper notandum est illos theologos græcos qui baptismum ab hæreticis collatum esse validum non infitiantur, validitatem tamen Confirmationis eorumdem non admittere [5]. Eamdem sententiam invenire est apud quosdam theologos russos, etiam post annum 1757 [6].

1. « [Ex necessitate, divinum Unguentum iterari videmus] iis qui ex quacumque hæresi se convertunt, et ad catholicam orthodoxam Ecclesiam accedunt : « Ταὐτὸ καὶ τοῦτο ποιοῦμεν καὶ τοῖς ἐξ αἱρέσεως οἱασοῦν ἐπιστρέφουσι καὶ τῇ καθολικῇ ὀρθοδόξῳ Ἐκκλησίᾳ προσερχομένοις. » Hæc verba desunt in cod. *Paris. Supplem. 64 ;* occurrunt vero in aliis codicibus. Harmenopulus item, *Epitome canonum, tit. III, ad can. 47 apost., P. G.*, t. CL, col. 84 D, dicit : « Ἀναβαπτίζειν μὲν τὸν βεβαπτισμένον ἀπείρηται, μύρῳ δὲ χρίειν οὐδαμῶς, εἰ καὶ τοῦτο μέρος δοκεῖ τοῦ θείου βαπτίσματος. »

2. Cf. p. 147.

3. Ita, v. g., Gabriel Severus, *op. cit., De Confirmatione*, c. VIII, ed. 1691, p. 72.

4. *Trebnik*, p. 191, 215.

5. Ita, v. g., Sakellaropulus, *op. cit.*, p. 444. Cf. supra, p. 97.

6. Plato Levkhin, *Orthodoxa doctrina*, pars II, § 33; Philaretus Gumilevskii, *op. cit.*, p. 153-154. Nota tamen Ecclesiam russicam ut invalidam habere consuevisse Confirmationem collatam a presbyteris Orthodoxiæ transfugis, utpote debita jurisdictione et etiam Ordinis usu per depositionis sententiam privatis.

ARTICULUS VI

De subjecto Confirmationis.

Ut hujus capitis initio diximus, Græco-Russi, inde a sæculo xv, Latinos reprehendere solent quod Confirmationem non statim post baptismum conferant, ut olim fiebat, sed usque ad annos discretionis ejus receptionem differant. « Exinde accidit, ait Malinovskii, ut multi catholici usque ad provectam senectutem perveniant, vel etiam ex hac vita decedant quin signaculum doni Spiritus Sancti acceperint; alii vero nesciant utrum confirmati fuerint necne [1]. » Idem theologus et plures Græci rationes a nostris theologis allatas, ut dilationem defendant vel excusent, enervare conatur. Dicunt siquidem rationem ex Samaritanis a Philippo primum baptizatis et postea ab apostolis confirmatis desumptam Orientalium usui potius favere. Si enim, inquiunt, Samaritani non fuerunt statim post baptismum confirmati, ratio est quod Philippus simplex diaconus erat, dando Spiritui Sancto per manuum impositionem omnino impar. Apostoli vero, ut resciverunt Samaritanos fuisse baptizatos, necessarium duxerunt *sine mora* Petrum et Joannem mittere, ut neophytis imponerent manus. Latini præterea dicunt ad hoc sacramentum accedere oportere cum debita ac conscia animi præparatione, ut majores inde capiantur sanctificationis fructus; cujus præparationis incapaces prorsus exstant parvuli discretionis nondum compotes. Verum, nonne hujusmodi ratio cum Catholicorum doctrina de efficacia sacramentorum ex opere operato manifesto pugnat? Nonne ad illam jure provocare quis poterit ad impugnandum usum infantes baptizandi? Num Jesus Christus aliquem certam ætatem decreverit ad gratiæ suæ communicationem requisitam [2]?

Ita theologi dissidentes; qui sane argumentis hujusmodi

1. *Op. cit.*, p. 358.

2. Malinovskii, *ibid.* Cf. Macarium, p. 366; Mesoloram, p. 242-244; Andrutsum, p. 344; Dyovuniotem, p. 83; Bernardakis, Κατήχησις, p. 163-164.

nostris haud grave negotium contrahent; negotium vero nullum omnino exstaret, si presbyteris latinis, deficiente episcopo, confirmandi in mortis periculo facultas concederetur.

Ut supra vidimus [1], Simeon Thessalonicensis hujus sacramenti necessitatem nimis ursit, dum docuit per ipsum solum, excluso baptismo, Spiritus Sancti gratiam atque signaculum conferri; ad cujus auctoritatem provocant quidam Russi, dum contra *bezpopovtsos* dimicant [2]. Hi polemistæ tamen hoc sacramentum ad salutem esse absolute necessarium ad instar baptismi, si unum vel duos excipias [3], pronuntiare non audent, atque ejus maximam utilitatem declarare satis habent.

1. P. 85.

2. Provocant etiam ad *Catechismum Laurentii Zizanii*, p. 376 et 378, qui dicit : *Qui non est unctus unguento, is ferre nequit christiani nomen, quippe quod ex nomine Christi et ex chrismate venit.* Cf. Strelbitskii, *Confutatio rascolis*, Odessæ, 1896, p. 242-245.

3. Plotnikov, *op. cit.*, p. 238-239; Perov, *op. cit.*, p. 82, hanc necessitatem absolutam propugnare videntur. Græcus Khamudopulus dicit in *Catechismo*, p. 80 : « Τὸ μυστήριον τοῦτο ἀπολύτως ἀναγκαῖον εἰς τὸν ἁγιασμὸν τοῦ διὰ τοῦ βαπτίσματος ἀναγεννηθέντος. »

CAPUT QUARTUM

DE SACRATISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO AC SACRIFICIO

Prænotamina.

De sanctissimo Eucharistiæ sacramento ac sacrificio haud pauca quum historice tum theologice nobis dicenda. Inde enim a Michaele Cærulario, theologi græci in Latinos invehi coeperunt ob discrepantes usus utriusque Ecclesiæ in celebrando missæ sacrificio. Primum quidem, ut in primo hujus operis volumine narravimus, panis azymi usum criminati sunt, quod non esset materia licita, immo juxta quosdam, neque materia valida. Eodem tempore, Nicetas Pectoratus Latinis etiam exprobravit quod missam præsanctificatorum, tempore Quadragesimæ, ad morem Byzantinorum non celebrarent [1]; cui acerrime respondit cardinalis Humbertus [2]. Sæculo XIV, novum ortum est contentionis caput de forma hujus sacramenti; de quo etiam in concilio Florentino brevis habita est disputatio post subsignatam unionem. Eodem sæculo item, polemistæ antilatini novam consuetudinem Occidentalium communicandi laicos sub sola specie panis animadvertere ac reprehendere incipiunt [3],

1. Nicetas, *Contra Latinos*, in *P. L.*, t. CXLIII, col. 980-981; *P. G.*, t. CXX, col. 1018-1019. Cf. Pitra, *Analecta sacra*, t. VII, col. 780. Polemista græcus Latinis objicit canonem 50 Laodicenum et can. 52 Trullanum.

2. *Contra Nicetam*, 21-24; *P. L.*, t. CXLIII, col. 992-996. Initio sæculi XIII, Nicolaus Hydruntinus hanc de missa præsanctificatorum criminationem adhuc repetebat in opusculo : *Adversus jejunium Latinorum die sabbati ; et quod perfecta missa in Quadragesima celebranda non sit, necnon de matrimonio clericorum*, quod sub nomine Gennadii Scholarii in *P. G.*, t. CLX, col. 737-744, venit.

3. Communionem laicorum sub una tantum specie inter Latinorum ἀτοπήματα jam recenset Matthæus Angelus Panaretus. Cf. P. Risso, *Matteo Angelo Panaretos e cinque suoi opuscoli*, in *Roma e l'Oriente*, t. IX (1915), p. 204-206; t. X, p. 63-64.

dum sæculo xv ineunte Simeon Thessalonicensis Latinis exprobrat quod parvulis statim post baptismum Eucharistiam non ministrant [1]; paulo post vero, id est annis 1451-1452, Turcis jam Constantinopolim prementibus, unionis Florentinæ adversarii societatem cum Bohemis Calixtinis auspicabantur [2]. Vicissim Latini quosdam ritus liturgiæ byzantinæ reprehendisse videntur, sed obiter tantum ac moderate; inter quos venit usus τοῦ ζέοντος, id est usus miscendi parum aquæ calidæ cum vino consecrato ante communionem [3]; item praxis procumbendi ante panem et vinum, dum ad altare, missæ fidelium initio, solemniter asportantur, quasi sacrificii materia jam esset consecrata [4].

Inde a sæculo xvi et præsertim sæculo xvii, theologi græco-russi in defendenda christiana fide tum de præsentiæ realis mysterio, tum de doctrina transsubstantiationis necnon de sacrificii missæ veritate adversus Reformatorum errores una cum Catholicis suas partes habuerunt, armaque valida ex eorum armamentario nostri sibi paraverunt.

Neque solum contra Latinos vel Protestantes theologi dissidentes in re eucharistica decertare habuerunt. Exstiterunt enim per Medium Ævum præsentiæ realis Christi in hoc sacramento hostes tum Byzantii, tum etiam apud Ruthenos ac Moscovitas; inter quos nominandi sunt Messaliani, Pauliciani, Bogomili aliique Manetis dualismo imbuti, et inter Russos sectæ illæ *Strigolnikorum* et *Judaizantium*, quæ moderno rationalismo jam præibant [5]. Non defuerunt etiam inter ipsos « Orthodoxiæ » sectatores controversiæ intestinæ; ex quibus duæ sæculo xii decurrente exortæ sunt, una de sacrificii missæ oblatione ac natura; de passi-

1. *De sacramentis*, 69; *P. G.*, t. clv, col. 236 C, 273 B.

2. Dositheus, Τόμος ἀγάπης, p. 320 sq.; I. Palmov, *De unione Tcheco-Hussitarum cum Ecclesia Orientali* (russice) in *Lectione christiana*, 1888, t. i, p. 70-109; 1889, t. i, p. 126 seq.

3. Ad hunc ritum jam alludit card. Humbertus, *loc. cit.*, col. 987. Sæculo xiv, Angelus Panaretus contra Simonem Atumanum quartam suam dissertationem « περὶ τοῦ ζέου ὕδατος » conscribit. Cf. t. i, p. 447.

4. Cf. Nicolaum Cabasilam, *Expositio sacræ liturgiæ*, c. 24, *P. G.*, t. cl, col. 420 D; Simeonem Thessal., *De templo*, 78, *P. G.*, t. clv, col. 728-729; Gennadium Scholarium, Περὶ τῶν ἱερῶν εἰσόδων, in cod. *Ath. Pantocrat. 127*, fol. 93 sq.

5. De hujusmodi sectis, pauca, in t. i, p. 554-557, diximus.

bilitate corporis Christi in Eucharistia tempore sacrificii altera. In secundo autem sæculi XVII dimidio de forma Eucharistiæ necnon de *particularum* (τῶν μερίδων) consecratione inter Kiovienses ac Moscovitas acriter disputatum est, Græcis his, non illis suffragium ferentibus. Recentiori demum tempore, occasione tentaminum unionis cum Veteribus Catholicis, de vero sensu ac momento transsubstantiationis inter ipsos theologos russos æstus polemicus haud levis fervebat.

Hæc quidem historice. Sub aspectu vero proprie theologico, progressus aliquis in modo concipiendi ac exprimendi conversionem panis et vini in corpus ac sanguinem Christi apud dissidentes certo deprehenditur. Primum enim antiquo Patrum græcorum ac præsertim sancti Joannis Damasceni realismo stricte adhærent, nullam accidentium eucharisticorum explicationem adumbrantes, sed solum Christi corpus ac sanguinem in sacramento oculo fidei videntes. Inde autem a sæculo XV, et potissimum a sæculo XVI, communem theologorum scholasticorum doctrinam ac explicationem de accidentibus panis et vini sine proprio subjecto realiter perseverantibus suam facere non dubitant, jamque duo, substantiam nempe corporis et sanguinis Christi, et panis ac vini accidentia, in sacramento detegunt ac profitentur.

De his omnibus more solito tractaturi, præsenti capiti decem damus articulos, qui erunt :

1° De nominibus, definitione, figuris Eucharistiæ ut sacramenti et sacrificii;

2° De mysterio præsentiæ realis;

3° De transsubstantiatione;

4° De materia sacramenti, ubi de controversia circa panem azymum post sæculum XI;

5° De forma Eucharistiæ, ubi de controversia circa epiclesim Spiritus Sancti;

6° De necessitate et effectibus hujus sacramenti;

7° De modo sumptionis sacramenti, ubi de communione sub una specie;

8° De veritate sacrificii missæ;

9° De essentia ejusdem sacrificii;

10° De effectibus seu fructibus sacrificii missæ.

ARTICULUS I

De nominibus, definitione, figuris Eucharistiæ ut sacramenti ac sacrificii.

Nota sunt varia nomina diversæque appellationes, quibus antiqui Patres græci Eucharistiam designare consueverunt; ex quibus quædam, et multo plura, ad sacrificium ut sic, alia ad sacramentum ejusque effectus referuntur. Cæterum apud eos explicitam distinctionem inter notionem sacramenti et notionem sacrificii plerumque in vanum quæres. Sæpius autem occurrit mentio sacrificii quam sacramenti; et hoc non mirum, cum sacrificium sit sacramento prius. Usitatiores sacrificii appellationes sunt : προσφορά, θυσία, vel θυσία ἀναίμακτος, ἱερουργία, τελετή, μυσταγωγία, λειτουργία, λατρεία, ἡ τράπεζα δεσποτική, vel ἡ ἁγία τράπεζα, εὐλογία. Ipsa vox εὐχαριστία est potius sacrificalis quam sacramentalis. Inter sacramentales autem appellationes recenseri possunt sequentes : ἡ ἁγία μετάληψις, ἡ κοινωνία, τὸ κυριακὸν δεῖπνον, vel τὸ μυστικὸν, τὸ θεῖον δεῖπνον, ὁ ἄρτος κυριακός, ἐπουράνιος, ἐπιούσιος, τὸ ποτήριον ζωῆς, ἐφόδιον seu *viaticum*, ἡ ἀγάπη. Generalius vero nomen, tum sacrificio tum sacramento congruens, est : τὰ μυστηρία (ἅγια, φρικτά, φρικώδη), dum vox : ἡ σύναξις, ex fidelium conventu ad celebrandam sacram liturgiam desumpta est.

Pleraque hujusmodi nomina in compendiis recentioribus Græco-Russorum occurrunt [1]. Theologi autem russi Eucharistiam sua lingua his duabus vocibus communiter nuncupant : *Evkharistiia*, *Pritchachtchenie* (=μετάληψις).

Sicut antiqui Patres ita et theologi byzantini nunquam aut raro inter sacrificium et sacramentum expresse distinguunt [2]. Sed neque apud omnes recentiores hujusmodi dis

1. G. Severus, p. 77-82; N. Bulgaris, *op. cit.*, p. 49; Lebedinskii, p. 496-499; Dyovuniotis, p. 87; Macarius, p. 368-369.

2. Hanc distinctionem clare innuit Nicolas Cabasilas, *Expos. sacræ liturgiæ*, c. XLII; *P. G.*, t. CL, col. 457 : « Duobus modis sanctificare cernitur divinus ac sacer hic ritus : uno modo *intercessione*, τῇ μεσιτείᾳ...; altero vero, *participatione*, τῇ μεταλήψει, quia verus cibus nobis fit ac potus, secundum Domini verbum. Horum modorum prior

tinctio clare ponitur, quanquam compendia classica nostri temporis illam generatim exhibent separatimque agunt, quemadmodum et nostra, 1° de Eucharistia ut sacramento; 2° de Eucharistia ut sacrificio. Ex definitionibus autem, quæ ab auctoribus compendiorum traduntur, pleraeque ad sacramentum tantum referuntur; quædam vero utramque notionem, sacramenti videlicet et sacrificii, miscent. Ita, v. g., definitio a Gabriele Severo data :

« Liturgia est sacramentum sumptionis panis et vini in carnem et sanguinem Salvatoris nostri transsubstantiatorum; quæ sepulturam et resurrectionem Domini vivide repræsentant [1]. »

Item, C. Andrutsus Eucharistiæ sacramentum definit : « Sacramentum a Deo institutum, in quo sub speciebus panis et vini realiter ac substantialiter præsens est Jesus Christus, tum ad communionem fidelium, tum ad realem ac incruentam ejus in cruce sacrificii repræsentationem [2]. »

Brevissima est Catechismi Philareti definitio : « Communio (pritchachtchenie) est sacramentum in quo fidelis sub specie panis et vini manducat ipsum corpus et sanguinem Christi in vitam æternam. »

S. Lebedinskii sequentem habet :

« Eucharistia sive sancta Cœna est sacramentum ab ipso Servatore nostro institutum et mandatum, in quo sub specie panis verum et substantiale corpus Christi manducamus, sub specie vini verum et substantialem ipsius sanguinem bibimus *ad remissionem peccatorum* et vitam æternam obtinendam [3]. »

Remissionis peccatorum mentio in plerisque catechismis Græcorum occurrit, sub influxu, ut videtur, catechismi Platonis Levkhin a Corai græce redditi, in quo hæc definitio legitur :

quidem vivis et mortuis communis est; etenim pro utraque hominum classe sacrificium, ἡ θυσία, offertur; alter autem solis viventibus permittitur; non enim manducare vel bibere mortui amplius possunt. »

1. *Op. cit.*, p. 82 : « Λειτουργία ἐστὶ μυστήριον λήψεως τοῦ μετουσιωθέντος ἄρτου καὶ οἴνου εἰς τὴν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν σάρκα καὶ αἷμα· ἅπερ ἐναργῶς παριστῶσι τὴν ταφὴν καὶ τὴν τοῦ Κυρίου ἀνάστασιν. »

2. Δογματική,, p. 344.

3. *Op. cit.*, p. 500.

« Sancta Eucharistia est sacramentum, in quo fidelis sub specie panis ipsum Christi corpus, et sub specie vini ipsum Christi sanguinem recipit *ad remissionem peccatorum* et vitam æternam [1]. »

De industria sane Philaretus Drozdov in suo catechismo remissionem peccatorum omisit, ne inter sacramentum et sacrificium confusio fieret; iterum, ne fideles hoc sacramentum potissimum ad remissionem peccatorum institutum crederent. Quanquam enim Eucharistia a venialibus culpis purgat, attamen ad dignam ejus receptionem a mortalibus immunitas exigitur.

De figuris Eucharistiæ in Veteri Testamento quidam compendiorum auctores, ut Gabriel Severus [2], Dyovuniotis [3], breviter disserunt; nihil vero proferunt memoratu dignum.

ARTICULUS II

De mysterio præsentiæ realis.

Antiquam Ecclesiæ græcæ fidem in veram, substantialem ac permanentem totius Christi præsentiam in hoc sacramento semper retinuerunt et adhuc retinent Græco-Russi; nec semel hoc dogma contra varios adversarios sæculorum decursu tuiti sunt. Hujus fidei testimonia vere innumera sunt; ex quibus clariora tantum quum in præsenti articulo, tum in sequenti, qui de transsubstantiatione speciatim erit, proferemus.

Primum demus testimonium liturgicum ex ritu communionis diaconi intra missam desumptum. Diaconus communicaturus postulat a sacerdote speciem panis his verbis : « Impertire mihi, domine, pretiosum et sanctum corpus Domini et Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. » Cui respondet sacerdos : « Impertior tibi pretiosum et sanctum et illibatum corpus Domini et Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi [4]. » Ad communionem autem calicis accedens idem

1. *Op. cit.*, pars II, § 34.
2. *Op. cit.*, p. 87-89.
3. *Op. cit.*, p. 94, 95.
4. « Μεταδίδωμί σοι τὸ τίμιον καὶ ἅγιον καὶ ἄχραντον σῶμα τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. » Goar, *op. cit.*, p. 66.

diaconus, adorat semel dicens : « Ecce venio ad immortalem Regem. Credo, Domine et confiteor. » Nec minus diserta sunt verba a sacerdote in quadam oratione missæ præsanctificatorum paulo ante communionem prolata : « Super nos indignos famulos tuos, Deus, respice, qui in hoc sancto altari quasi cherubico tuo throno assistimus, *super quo unigenitus Filius tuus et Deus noster per proposita terribilia mysteria requiescit*[1]. »

Jam ante Photium, fervente Iconomachorum persecutione, theologi byzantini orthodoxiæ addicti veritatem præsentiæ Christi in hoc sacramento ita propugnarunt, ut etiam in hac defensione aliquatenus excedere visi fuerint. Iconoclastæ siquidem, ut sacrarum imaginum cultum facilius convellerent, unam tantum Christi imaginem venerandam atque adorandam prædicabant, Eucharistiam scilicet seu panem et vinum in sacra liturgia consecrata, ad quosdam locos provocantes sanctorum Patrum, qui dona in sacra mensa oblata, etiam post consecrationem sacerdotalem *antitypa corporis et sanguinis Christi*, ἀντίτυπα τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος Χριστοῦ, appellarunt. Ad horum Patrum mentem, vox ἀντίτυπον idem fere sonabat ac *figura*, *symbolum*, *signum*, at signum non vacuum, sed rei, quam significat, plenum, eodem sane sensu quo nos Eucharistiam vocamus *sacramentum corporis et sanguinis Christi*. Vocem tamen non ita interpretati sunt Iconoclastarum adversarii, sed de mera figura seu signo vacuo intellexerunt. Unde hunc loquendi modum penitus rejecerunt, post sanctum Joannem Damascenum asserentes « panem et vinum altaris non esse typum vel figuram corporis et sanguinis Christi, sed ipsum Domini corpus divinitati conjunctum; quosdam vero Patres, ut sanctum Basilium in liturgia, oblata nominasse corporis et sanguinis ἀντίτυπον non post consecrationem, sed priusquam consecraretur oblatio[2]. » Hæc sane dictorum Patrum interpretatio non ex toto nec semper veritati congruit.

1. *Ibid.*, p. 167 : « ἐφ' ᾧ ὁ μονογενής σου Υἱὸς καὶ Θεὸς ἡμῶν διὰ τῶν προκειμένων φρικτῶν ἐπαναπαύεται μυστηρίων. »

2. *De fide orthodoxa*, l. IV, c. XIII; *P. G.*, t. XCIV, col. 1148, 1152. De momento vocis « ἀντίτυπα τοῦ σώματος » in missa sancti Basilii infra dicitur, ubi de forma Eucharistiæ et epiclesi, p. 275 sq.

Vivide vero ac luculente nobis manifestat fidem horum doctorum, inter quos post sanctum Joannem Damascenum veniunt septimæ synodi œcumenicæ Patres [1], sanctus Nicephorus Constantinopolitanus [2], sanctus Theodorus Studita [3]; qui omnes Eucharistiam vocari ἀντίτυπον corporis Christi nullo modo patiuntur, cujuslibet symbolismi speciem rejicientes jamque Zwinglii Oecolampadiique futura commenta suis verbis profligantes [4]. Dum autem hoc præclare agunt, specierum panis et vini penitus oblivisci videntur, nihil præter ipsum Christum in sacramento detegentes.

Pauliciani, Manichæorum spirituales filii, non solum realem Christi præsentiam in Eucharistia, verum etiam ipsam sacramenti institutionem negabant, dicentes Christum in ultima Cœna panem et vinum non revera in manibus accepisse, consecrasse et discipulis obtulisse, sed ipsa ejus verba, quæ tunc protulit : *Hoc est corpus meum — Hic est sanguis meus*, esse ipsissimum panem et vinum de quibus evangelistæ loquuntur [5]. Illos confutarunt, sæculo IX, tum Photius [6], tum Petrus Siculus [7]. Bogomili vero, qui et Phundagiagitæ vel Phundaitæ, vel etiam Massaliani seu Euchitæ apud diversos auctores audiunt [8], præsentiam realem directe impetebant, docentes panem et vinum altaris remanere merum

1. Cf. Mansi, *Collectio concil.*, t. XIII, col. 261-264, ubi expositam invenies tum Iconomachorum theoriam de Eucharistia ut vera incarnationis Christi imagine ac figura cultu latriæ adoranda, tum hujus confutationem a diacono Epiphanio coram concilio lectam.

2. *Adversus Iconomachos antirrhet.*, II; *P. G.*, t. C, col. 336.

3. *Adversus Icon. antirrhet.*, I, 10; *P. G.*, t. XCIX, col. 340.

4. Ex scriptis eorum qui illos confutarunt, Iconoclastæ realem Christi præsentiam in Eucharistia non videntur negasse. K. Schwarzlose, *Der Bilderstreit*, Gothæ, 1890, p. 95, 230, Œcolampadii doctrinam illis tribuit.

5. « Ἀποδέχεσθαί φασι σῶμα καὶ αἷμα τερατολογοῦντες τὰ δεσποτικὰ ῥήματα, ἃ καί φασι μεταδιδόντα τοῖς αποστόλοις εἰπεῖν· λάβετε, φάγετε, καὶ πίετε. ». Photius, *Contra Manichæos*, I, 7; *P. G.*, t. CII, col. 25. Cf. *ibid.*, 9 et 19, col. 29, 56; *P. G.*, t. I, col. 1469 : « Νοοῦσι ἀντὶ τῆς κοινωνίας τὰ ῥήματα τῆς τοῦ Χριστοῦ διδασκαλίας· λάβετε, φάγετε. »

6. *Contra Manichæos libri quatuor*, in *P. G.*, t. CII, col. 15-264.

7. *Historia Manichæorum*, III, *P. G.*, t. CIV, col. 1349-1350. De utroque opere, Photii scilicet et Petri Siculi, fuse agit Hergenröther, *Photius*, t. III, p. 143-153.

8. Cf. G. Ficker, *Die Phundagiagiten*, Leipzig, 1908.

panem et vinum post consecrationem [1]. His omnibus Manichæorum discipulis, quando ad Ecclesiam convertebantur, fidei professio imponebatur, in qua hæc verba occurrebant : « Anathema sit, qui immortalia ac vivifica sacramenta in timore non accipit tanquam ipsam carnem dominicam et ipsum sanctum ac pretiosum sanguinem pro mundi vita effusum, sed tanquam merum panem et communem potum [2]. »

Judæi etiam et Mahometani ad christianam fidem conversi realem Christi in Eucharistia præsentiam explicite profitebantur his verbis :

« Et panem ac vinum apud christianos mystice sacrificata, quæ intra sacrorum mysteriorum solemnia ipsi participant, persuasum habeo et confiteor et credo corpus et sanguinem Domini Jesu Christi secundum veritatem esse, utpote ejus

1. « Βλασφημοῦσιν οἱ ἄθεοι περὶ τῆς ἁγίας κοινωνίας, λέγοντες ὅτι κοινὸς ἄρτος καὶ οἶνός ἐστι. » *Epistola antirrhet. Euthymii monachi*, apud G. Ficker, *op. cit.*, p. 74. Cf. Euthymium Zigabenum, *Panoplia dogmatica*, tit. XXVII, in *P. G.*, t. CXXX, col. 1314, ubi de Bogomilis dicit : « Panem communionis appellant orationem *Pater noster* ; calicem vero communionis, Novum Testamentum, ἄρτον τῆς κοινωνίας ὀνομάζουσι τὴν προσευχὴν τοῦ Πάτερ ἡμῶν..., ποτήριον δὲ κοινωνίας ὁμοίως τὴν λεγομένην ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ διαθήκην. »

2. « Ἀνάθεμα ἔστω, εἴ τις οὐ μεταλαμβάνει τῶν ἀθανάτων καὶ ζωοποιῶν μυστηρίων ἐν φόβῳ ὡς αὐτῆς τῆς σαρκὸς τῆς δεσποτικῆς καὶ τοῦ ἁγίου καὶ τιμίου αἵματος τοῦ ἐκχυθέντος ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς, ἀλλ'ὡς ἄρτου ψιλοῦ καὶ κράματος κοινοῦ. » Dmitrievskii, *Euchologia*, p. 1026, ex cod. *Coisl. græc. 213*, fol. 124 sq., anno 1027 exarato. Cf. *Anathematismum duodecimum contra Massalianos, Bogomilos, Euchitas, Phundaitas*, in synodo Constantinopolitana sub Alexio Comneno post annum 1092 latum : « Τοῖς λέγουσιν ὡς ἡ μετάληψις τοῦ τιμίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Κυρίου καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἄρτου ψιλοῦ καὶ οἴνου ἐστὶ μετάληψις, ἀνάθεμα. » *P. G.*, t. CXXXI, col. 45. Sub finem sæculi XI et in primo dimidio sæculi XII, Bogomili haud pauci Constantinopoli exstabant; contra quos plures synodi adunatæ sunt. Anno 1147, ipse patriarcha œcumenicus, Cosmas II, cognomento Atticus, ut bogomilismi reus e sede depositus est. Cf. Allatium, *De perpetua consensione*, etc., l. II, c. XII, col. 669-692. Adversus Bogomilos, ut videtur, Nicolaus Methonensis suam opellam : Πρὸς τοὺς διστάζοντας καὶ λέγοντας, ὅτι ὁ ἱερουργούμενος ἄρτος καὶ οἶνος οὐκ ἔστι σῶμα καὶ αἷμα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, conscripsit, *P. G.*, t. CXXXV, col. 509-518, in qua diserte asserit tum præsentiam realem, tum transsubstantiationem : « Σῶμα καὶ αἷμα Χριστοῦ τὰ τελούμενα· τῆς τελετῆς τέλος, μετουσία Χριστοῦ καὶ ζωὴ αἰώνιος. » Col. 510-511.

divina virtute intelligibiliter et invisibiliter, supra omnem naturalem cogitationem, sicut nos ipse solus transmutavit. Et ita ego ea participare promitto ut verum ejus corpus ac sanguinem, ad animæ et corporis sanctificationem tendam ad vitam æternam et regni cœlorum beneficium, sicut qui in fide perfecta ad ea accedimus [1].

Palamitæ a suis adversariis accusati sunt quod præsentiam realem Christi in Eucharistia negarent [2]. Ipsi vero hujusmodi crimen tanquam meram calumniam haud semel propulsarunt, docentes panem et vinum altaris in veram Christi et sanguinem transmutari [3]. Ex doctrina tamen rigidi palamismi logice fluebat ipsam Verbi personam et essentiam in sacramento non communicari : quod mysterio præsentiæ realis vulnus infligit. Item Antipalamitis per modum deductionis sequens argumentum contexere licebat :

« Persona Verbi, quæ re idem est ac essentia divina, in sacramento non communicatur, cum essentia divina, juxta Palamam, creaturis sit omnino imparticipabilis :

« Atqui si persona Verbi revera non datur, nec dari potest ejus humanitas, quæ ei hypostatice ac substantialiter unitur nec ab ea separari unquam potest :

« Ergo, secundum Palamam, corpus et sanguis et anima

1. Καὶ τὸν παρὰ τοῖς χριστιανοῖς μυστικῶς ἑστιωμένων ἄρτον καὶ τὸν οἶνον, ὧν ἐν ταῖς θείαις τελεταῖς μεταλαμβάνοντες, τελοῦμεν καὶ ὁμολογῶ καὶ πιστεύω σῶμα καὶ αἷμα κατὰ ἀλήθειαν εἶναι τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, μεταβαλλόμενα τῇ ἐκείνου θείᾳ δυνάμει νοερῶς τε καὶ ἀφράστως, ὑπὲρ πᾶσαν φυσικὴν ἔννοιαν, ὡς οἶδε μόνος αὐτός. » E libro VI *Thesauri Orthodoxiæ* Nicetæ Acominati. *P. G.*, t. CXL, col. 136.

2. Hanc criminationem præsertim urget Nicephorus Gregoras, *Byzantinæ historiæ*, l. XXIV, c. I, 10-13; *P. G.*, t. CXLVIII, col. 1425-1430; cf. l. XXI, c. III, 10, col. 1282.

3. Joannes Cantacuzenus. *Apologia contra Palamitarum adversarios ad episcopum quemdam* : « Ἔτι λέγουσιν ὅτι λέγομεν, ὡς τὸ τοῦ Κυρίου τεθεωμένον σῶμα, οὗ νῦν μεταλαμβάνοντες θείας γινόμεθα κοινωνοὶ φύσεως, οὐχ ἁγιάζει καὶ θεοῖ ἡ θεότης ἐκείνη, ἥτις τὸ προσηλωθὲν ἐκεῖνο σῶμα ἐν τῷ σταυρῷ ἡγίασεν. ἀλλ' ἑτέρα τις ἀνούσιος καὶ ὑφειμένη θεότης· καὶ λέγω ὅτι ἀνάθεμα τοῖς οὕτω φρονοῦσιν..., καὶ πιστεύομεν ὅτι ταὐτά εἰσι τό τε τίμιον σῶμα καὶ τὸ τίμιον αἷμα τοῦ Χριστοῦ, καὶ οὐκ ἄλλο. » E codice *Lauriotano Athonensi V 135*, fol. 772 *b*. Quæ de Eucharistiæ sacramento Gregorius Palamas in sua *Confessione fidei* (*P. G.*, t. CLI, col. 763-768, t. CXLVIII, col. 1181) habet, quadam ambiguitate laborant nec ad tollendam omnem de ejus fide suspicionem sufficerent.

Christi in Eucharistia realiter adesse non possunt nec a communicantibus vere recipi. »

Ex dictis patet quam longe a vero aberrabant illi Protestantes qui sæculis XVI et XVII contendebant Græcos dogma præsentiæ realis non tenere, et adversus Catholicos variis argumentis hoc probare nitebantur. Verum ipsi Græci repetitis vicibus illis errorem eripuere. Ex quo enim Cyrillus Lucaris calviniacum errorem de dynamica, transeunti ac solis credentibus pervia Christi in Eucharistia præsentia in capite XVII suæ *Confessionis fidei* [1] suum fecit, huic doctrinæ tanquam hæresi manifestæ Orientales statim reclamarunt. Jam anno 1638, Constantinopolitana synodus « Cyrillo decernenti ac credenti panem et vinum in altari proposita per sacerdotis benedictionem Sanctique Spiritus descensum in verum Christi corpus ac sanguinem non converti » anathema dixit [2]. Mox in colloquiis Iasii habitis inter Græcos et Kiovienses, synodalis epistola Parthenii I, patriarchæ Constantinopolis, approbata est, quæ Cyrilli doctrinam tanquam summam impietatem damnat præsentiamque realem his verbis declarat :

« Non dixit Jesus : « Hoc est figura, τύπος, corporis mei », sed : *Hoc est corpus meum*, et : *Hic est sanguis meus;* hoc nempe quod videtur et sumitur et manducatur et frangitur, utique postquam sanctificatum est atque benedictum [3]. »

Anno 1643, patriarchæ orientales Confessionem fidei seu catechismum Petri Moghilæ a Meletio Syrigo recognitum ac correctum approbarunt, in quo et præsentia realis iterum diserte affirmatur ejusque ratio duplex affertur :

« Tertium mysterium est sancta Eucharistia sive corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi sub specie panis et vini, in quo vere et proprie et secundum rem ipsam adest

1. Kimmel, *op. cit.*, p. 35-37. Cyrillus merum docet calvinismum : « Ἐν τῇ ἐγχειρίσει καὶ διακονίᾳ τούτου τοῦ μυστηρίου τὴν ἀληθῆ καὶ βεβαίαν παρουσίαν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ὁμολογοῦμεν καὶ πιστεύομεν· πλὴν ἢν ἡ πίστις ἡμῖν παρίστησι καὶ προσφέρει, οὐχ ἣν ἡ ἐφευρεθεῖσα εἰκῇ διδάσκει μετουσίωσις... Τὸ γὰρ σῶμα τοῦ Κυρίου οὐκ ἔστιν ὅπερ ἐν τῷ μυστηρίῳ τοῖς ὀφθαλμοῖς ὁρᾶταί τε καὶ λαμβάνεται, ἀλλ' ὅπερ πνευματικῶς ἡ πίστις λαβοῦσα ἡμῖν παριστάνει τε καὶ χαρίζεται. »

2. Kimmel, p. 404-405.

3. *Ibid.*, p. 414-415.

Jesus Christus, εἰς τὸ ὁποῖον εἶναι ἀληθῶς καὶ κυρίως παρὼν ἤγουν κατὰ τὸ πρᾶγμα ὁ Ἰησοῦς Χριστός... Mutatur panis in verum corpus Christi et vinum in verum sanguinem, remanentibus solum speciebus visibilibus, et hoc fit secundum divinam dispositionem propter duo : Primo, ne videamus corpus Christi, sed credamus illud esse propter ipsius verba, quæ dixit : *Hoc est corpus meum*, etc., plus videlicet fidei habentes verbis et potentiæ illius quam nostris propriis sensibus; quod beatitudinis fidei nos compotes facit : *Beati enim qui non viderunt, et crediderunt* (Joa., xx, 29). Secundo, quia natura humana abhorret esum vivæ carnis, et quoniam debebat homo uniri Christo Domino per communionem carnis et sanguinis ejus; ne igitur illam abhorreret, rem providentia Dei temperavit, propriamque carnem et sanguinem suum fidelibus in cibum potumque sub panis et vini involucris tradidit, ὑποκάτω εἰς τὸ ἔνδυμα τοῦ ἄρτου καὶ τοῦ οἴνου [1]. »

Nemo tamen hæresi Calvini tam apposite contraivit quam Dositheus Hierosolymitanus, in capite XVII *Confessionis fidei*, ex quo hæc transcribere juvat :

« In hujus sacramenti celebratione, Dominum nostrum Jesum Christum credimus esse præsentem non quidem secundum figuram vel imaginem; neque per gratiam quamdam excellentem, ut in cæteris sacramentis; neque secundum solam præsentiam, sicut ex Patribus quidam de baptismo asseruerunt; neque per impanationem, qua Verbi divinitas Eucharistiæ proposito pani hypostatice uniatur, sicut inscite atque misere Lutherani arbitrantur; sed vere et realiter, quatenus facta consecratione panis et vini, transmutantur, transsubstantiantur, convertuntur, transformantur : panis quidem in ipsum verum Domini corpus, in Bethleem ex perpetua Virgine natum, in Iordane baptizatum, passum, sepultum, quod resurrexit, sedet a dextris Dei Patris, in cæli nubibus denique venturum; vinum vero in ipsum verum Domini sanguinem, qui ex illo in cruce pendente pro mundi vita defluxit... Item credimus ipsum Domini corpus et sanguinem distribui atque in communicantium sive piorum sive impiorum os ac stomachum intro-

1. I pars, q. CVI, CVII, Kimmel, p. 178, 180, 181.

duci... Item manibus dentibusve concidi quidem Domini corpus et sanguinem dividi, verum per accidens dumtaxat sive penes accidentia panis et vini... Item ipsum Domini corpus et sanguinem in Eucharistiæ sacramento summo honore colendum esse et cultu latriæ adorandum. Una quippe est et sanctissimæ Trinitatis et corporis sanguinisque Domini adoratio... Item et ante usum statim post consecrationem, et post usum, id quod in sacris pixibus ad moribundorum communionem asservatur, esse verum Domini corpus et nihil a seipso differens, ita ut ante usum post consecrationem, in usu et post usum, omnino sit verum Domini corpus, ὥστε πρὸ τῆς χρήσεως μετὰ τὸν ἁγιασμόν, ἐν τῇ χρήσει καὶ μετὰ τὴν χρῆσιν, εἶναι κατὰ πάντα ἀληθὲς τοῦ Κυρίου σῶμα [1] ».

Eodem anno (1672) quo Dositheus hæc scribebat, synodus Constantinopolitana, Dionysio IV patriarcha præsidente, eadem brevius profitebatur, docens « vivum Domini nostri Jesu Christi corpus reali præsentia invisibiliter in hoc sacramento præsens esse, τὸ ζῶν σῶμα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ πάρεστιν ἀοράτως πραγματικῇ παρουσίᾳ ἐν τῷ μυστηρίῳ [2]. »

Nec minus diserte, nostris diebus, Græco-Russi in catechismis, in sacræ theologiæ compendiis, in fidei formulis realem Christi in Eucharistiæ sacramento præsentiam confitentur; quod ex mox dicendis in tertio articulo luculentissime patebit. Ecclesia russica vero duplicem habet ritum reconciliationis Protestantium, quando ad Orthodoxiam orientalem se convertunt. In primo, qui est pro Calvinistis, sequens occurrit interrogatio : « Renuntiasne falsæ doctrinæ, quæ tenet in Eucharistiæ sacramento panem et vinum non converti in corpus et sanguinem Christi, sed esse tantum signa sensibilia corporis et sanguinis Christi ? » Similis interrogatio, quæ tamen transsubstantiationis dogma directe respicit, in altero ritu Lutheranis servato habetur : « Renuntiasne falsæ doctrinæ, quæ tenet in Eucharistiæ sacramento panem in corpus Christi non converti, et non permanere esse corpus Christi; vinum vero in sanguinem Christi non converti, et non permanere esse

1. Kimmel, t. I, p. 457-461.
2. Kimmel, t. II, p. 217-218.

sanguinem Christi?[1]. » Utrisque autem, Calvinistis scilicet et Lutheranis, alia quæstio his verbis proponitur : « Credisne in Eucharistia, sub sacramentalibus panis et vini speciebus fideles accipere corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi in remissionem peccatorum et vitam æternam? [2]. »

Remanet solvenda illa objectio, quæ adversus Græco-Russorum fidem in præsentiam realem ex ritu *Magni Ingressus* (τῆς μεγάλης εἰσόδου) moveri posset. Quod enim pani et vino nondum consecratis exteriora deferunt adorationis signa, superstitionis ingerit suspicionem ; et inde colligere facile quis possit eos inter materiam non consecratam et materiam consecratam jamque corpus et sanguinem Christi factam non plane distinguere : quod quibusdam visum fuisse non mirum. Porro hujusmodi ritum haud feliciter introductum fuisse, opinari licet ; quem jam sæculo VI Eutychius, patriarcha Constantinopolitanus (552-565 et 577-582), satis aeriter carpebat [3], et postea etiam Latini haud semel reprehenderunt [4]. Verum quis nesciat significationem externorum signorum cultus ab interiori mentis intentione pendere? Idem reverentiæ gestus, puta genuflexio vel profunda inclinatio, et Deo et alicui prælato exhiberi potest. Deo quidem in veræ adorationis signum, prælato autem in simplicem respectus vel observantiæ ostensionem. Et ita quidem Græci objectam superstitionis crimi-

1. Cf. A. Maltzev, *Die Sakramente*, p. 132-133.
2. *Ibid.*, p. 138-139.
3. *Sermo de paschate et Eucharistia*, 8 ; *P. G.*, t. LXXXVI *b*, col. 2400, 2401.
4. In ipso concilio Florentino, statim postquam Græci decreto unionis subscripserunt, quæsierunt Latini ab eis quare in Magno Ingressu capita inclinarent, sacris donis nondum consecratis (διατί κλίνομεν τὰς κεφαλὰς ἐν τῇ μεγάλῃ εἰσόδῳ, μὴ ὄντων τετελειωμένων τῶν ἁγίων δώρων). Huic difficultati quibusdamque aliis ejusdem generis jure canonicoque satisfecit Dorotheus, Mitylenensis episcopus. Cf. *Acta concilii Florentini* ab eodem Dorotheo conscripta, ed. græca monachi Benedictini, Romæ, 1864, p. 323. L. Allatius, *De missa præsanctificatorum apud Græcos dissertatio*, 7-9, (ad calcem libri *De perpetua consensione Ecclesiæ orientalis et occidentalis*, Coloniæ Agrippinæ, 1648, col. 1563-1566) hunc ritum in bonam partem accipit riteque explicat.

nationem diluerunt. Dixerunt siquidem, post Nicolaum Cabasilam, ritum Magni Introitus significare introitum Christi in Jerusalem, die Palmarum; signa vero reverentiæ, quæ tunc ab assistentibus exhibentur, et ad materiam sacrificii jam benedictam moxque in corpus et sanguinem Christi convertendam, et ad ipsum sacerdotem introeuntem dirigi, non quidem ut hic et illa cultu latriæ adorentur, sed ut simplici reverentia honorentur. « Si qui autem eorum qui, sacerdote cum donis ingrediente, humi procumbant, dona tanquam corpus et sanguinem Christi adorent et alloquantur, ab ingressu qui in missa præsanctificatorum fit, decepti sunt, ignorantes differentiam hujus et illius sacrificii. Hoc enim in ipso ingressu dona habet nondum immolata ac consecrata; illud vero jam perfecta et sanctificata et corpus et sanguinem Christi facta [1]. »

Simeon Thessalonicensis eodem fere modo rem explicat. Juxta ipsum, Magnus Ingressus et Christi sepulturam et secundum ejus adventum figurat [2]. « In genua autem, inquit, jure procumbunt fideles ante sacerdotes, tum ut eorum preces ac piam intra sacrificium pro se recordationem flagitent, tum ut sacra dona venerentur. Quanquam enim sacrificata nondum sunt, in altari tamen propositionis (ἐν τῇ προθέσει) Deo dicata fuere, et sacerdos ea in sublime altare deportari acceptarique precatus est. Etsi nondum consecrata, at vero ad consecrationem deputata, et Deo dicata, et dominici corporis sanguinisque antitypa sunt... Non in idololatriam nos incidimus, dum ante sacra dona prosternimur, absit!... Si sacris imaginibus honorem venerationemque tribuimus, quanto magis eamdem ipsis donis debemus, quæ antitypa sunt, juxta Magnum Basilium, et ut corpus et sanguis Christi fiant, jam oblata. Quin et propter ipsa sacra vasa sacerdotibus procidendum est, licet et quædam ex eis vacua sint; omnia enim propter ipsa dona in ipsis consecrata sanctificationem participant [3]. »

Defensionem paulo diversam profert Georgius Scholarius in opusculo Περὶ τῶν ἁγίων εἰσόδων [4]. Dicit enim ille

1. *Expositio sacræ Liturgiæ*, c. 24; *P. G.*, t. CL, col. 420.
2. *De divino templo*, 77; *P. G.*, t. CLV, col. 728 D.
3. *Ibid.*, 78, col. 728-729.
4. Cf. p. 178, n. 4.

Magnum Ingressum primum Christi adventum ejusque in mundo manifestationem significare: unde in hujus adventus ac manifestationis memoriam servilem adorationem imprimis tunc exhiberi, et per eam Christo omnium bonorum causæ cultum deferri : « ὡς οὖν ταῦτα παριστανουσης ἅπαντα τῆς εἰς την ἁγιαν τραπεζαν δευτέρας εἰσοδου, τὴν εὐλαβῆ καὶ δουλικὴν προσκυνησιν ἀποδιδομεν, καὶ δι' αὐτῆς τῷ τῶν καλῶν ἅπαντων αἰτιῳ Χριστῷ. » Ut secundarias autem gestus populi coram donis procumbentis causas habet tum venerationem materiæ jam benedictæ et mox conseerandæ debitam, tum honorem erga sacerdotem divina mysteria celebrantem. Facili autem excusatione tegit plebem simpliciorem diversis ingressibus vel ritibus discriminandis imparem, et Christo per totam cærimoniam suam fidem ac pietatem devoventem : « Neque ipse Christus, ait, tanta fide præditos ejiceret. » Nec ratas habet rationes a quibusdam theologis græcis allatas, ut Latinorum criminationi respondeant. « Primum, inquit, non valet comparatio ex prælato electo et prælato consecrato desumpta, quia prælatus, etiam ante electionem, honore dignus est; panis autem et vinum, etsi jam benedicta fuerint, ad dominicum corpus et sanguinem nullam proportionem habent. Item, panis et vinum non sunt ἀντίτυπα corporis et sanguinis Domini neque ante transsubstantiationem, neque post : οὔτε δὲ ἀντίτυπά εἰσι τῶν μήπω γενομενων ἐκ τῆς ἐπικλήσεως, οὔτ' ἐπειδὰν μετουσιωθῶσιν, ἀντίτυπα εἰσιν, ἀλλ' αὐτὸ ἐκεῖνο τὸ ἀληθές εἰσι σῶμα καὶ αἷμα. Demum dicere non juvat panem et vinum post benedictionem τῆς προθεσεως veneratione digna esse, quasi jam sint corpus et sanguis Domini *aliquo modo imperfecto*, mox *perfecte* hoc ipsum futura, quia panis, donec remanet panis, non est corpus imperfectum; secus enim et corpus, post consecrationem, esset panis perfectus : ὁ δ' ἄρτος, ἕως ἂν ἄρτος ᾖ, οὐκ ἔστιν ἀτελὲς σῶμα· ἦν γὰρ ἂν καὶ τὸ σῶμα μετὰ ταῦτα τέλειος ἄρτος [1]. »

1. Hæc Scholarii verba directe percellunt non solum Simeonem Thessalonicensem, sed etiam, et potissimum, Gabrielem Severum, qui in opusculo, quod de præsenti argumento conscripsit, Κατὰ τῶν λεγοντων τοὺς ὀρθοδόξους τῆς ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας υἱοὺς κακῶς τε καὶ παρανόμως ποιεῖν τῷ τιμᾶν καὶ προσκυνεῖν τὰ ἅγια δῶρα, ἡνίκα ὁ ψαλτῳδὸς ᾄδεται ὕμνος καὶ ὁ ἱερεὺς φέρων ταῦτα εἰσοδεύει εἰς τὸ ἅγιον βῆμα, Venetiis, 1604 (a Richardo Simone in suo opere, *Fides*

Sed de Magno Ingressu satis et forsan nimis. Ecclesiæ græcæ fides in præsentiam realem ex nunc dicendis de transsubstantiatione clarius adhuc patebit.

ARTICULUS III

De transsubstantiatione [1].

Haud brevis erit præsens articulus. Agemus : 1° De diversis verbis seu vocibus, quibus transsubstantiatio designatur apud Græco-Russos, ac præsertim de voce μετουσίωσις ; 2° De conceptu transsubstantiationis apud Græcos a sancto Joanne Damasceno usque ad sæculum XVI ; 3° De

Ecclesiæ orientalis seu Gabrielis metropolitæ Philadelphiensis opuscula, Parisiis, 1671, rursus edito), rationes supra dictas suas facit variisque argumentis roborare nititur. Cf. Arcudium, *op. cit.*, l. III, c. XIX-XXIV, p. 220-239, qui argumenta ratiunculasque theologi græci longa et acerrima confutatione prosequitur, rei nimium momentum tribuens. Nota synodum Zamosciæ anno 1720 habitam Ruthenis interdixisse genuflexiones seu capitis inclinationes, dum transfertur panis oblationis a minori ad majus altare. *Synodus provincialis Ruthenorum habita in civitate Zamosciæ*, editio altera, Romæ, 1838, p. 90.

1. De doctrina transsubstantiationis apud Græco-Russos multi egerunt tum apud Catholicos tum inter Protestantes. Omnia opera vel dissertationes hic recensere nec possibile, nec utile. Non pauca decursu articuli indicabuntur. Præclariora ac ditiora opera sufficiat hic notare : 1° Allatius, *In Roberti Creyghtoni apparatum, versionem et notas ad historiam concilii Florentini scriptam a Sylvestro Syropulo Exercitationes (Exercit.* XXI-XXVII, p. 387-567), Romæ, 1665 ; 2° Les auteurs de la *Perpétuité de la foi de l'Église catholique sur l'Eucharistie*, ditissima collectio apologetico-polemica contra Calvinistas Galliæ, in quatuor voluminibus a Migne anno 1841 iterum edita, complectens : *a*) *La petite Perpétuité* ou *Traité sur l'Eucharistie* de Nicole (1625-1695) et la *Défense de ce traité contre le ministre Claude*, Paris, 1664 (t. I de Migne, col. 15-167 ; *b*) *La Grande Perpétuité*, duc au grand Arnauld (1612-1694), 3 volumes (1669, t. I, 229-1236 ; 1672, t. II, 671 ; 1674, t. II, 671-1291) plus la *Réponse générale au livre de Claude* (1671, t. III, I-CLI) ; *c*) *Défense de la Perpétuité contre le sieur Aymon*, par E. Renaudot (1646-1720), Paris, 1709 (t. IV, 9-296) ; *d*) *Suite de la Grande Perpétuité*, par E. Renaudot, 2 vol. (1711, t. III, 9-657 ; 1713, t. III, 657-1203) ; *e*) *La créance de l'Église grecque touchant la transsubstantiation contre la Réponse du ministre Claude au livre de M. Arnauld*, par le P. Anselme, Paris, chanoine régulier de Ste-Geneviève, Paris, 1673 (t. IV, 295-719). In his scriptis passim referentur testimonia fidei Ecclesiæ græcæ dissidentis

conceptu transsubstantiationis apud Græco-Russos inde a sæculo XVI necnon de recentioribus adversariis τῆς μετουσιώσεως apud eosdem; 4° De transsubstantiatione aquæ vino immixtæ; 5° De transsubstantiatione particularum seu τῶν μερίδων; 6° De transsubstantiatione aquæ calidæ seu τοῦ ζέοντος necnon de consecratione per contactum sive immixtionem apud Græcos; 7° De effectu transsubstantiationis seu de modo præsentiæ realis totius personæ Christi in Eucharistia.

I. — De verbis quibus transsubstantiatio designatur. De voce « μετουσίωσις ».

Christus fit præsens in Eucharistia « per conversionem totius substantiæ panis in corpus ejus et totius substantiæ vini in ejus sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini; quam conversionem catholica Ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat » (*Concil. Trid.*, sess. XIII, can. 2). Hæc est fides Ecclesiæ catholicæ, quam tenet etiam Ecclesia græco-russica. Hæc ab antiquis Patribus et ab ipsis apostolis derivat. Vox vero *transsubstantiatio* ejusque germana filia græca, ipsi plane similis, μετουσίωσις scilicet, neque in sacra Scriptura, neque apud Patres occurrunt, suntque recentis inventionis. Vox latina siquidem non ultra initium sæculi XII progreditur; quippe quæ primum invenitur in *Sententiis* Rolandi Bandinelli (1140-1142), qui Alexander papa III postea fuit[1]; verbum vero *transsubstantiare*, ex ea derivatum, sua auctoritate sancivit et

in præsentiam realem et transsubstantiationem, præsertim vero testimonia theologorum epochæ byzantinæ et neogræcorum sæcul. XVI-XVII; 3° Richardus Simon, *Fides Ecclesiæ orientalis seu Gabrielis metropolitæ Philadelphiensis opuscula*, Parisiis, 1671; 4° Renaudotius, *Gennadii Homiliæ de sacramento Eucharistiæ, Meletii Alexandrini, Nectarii Hierosolymitani, Meletii Syrigi et aliorum de eodem argumento opuscula*, Parisiis, 1709; 5° Schelstrate, *Acta Ecclesiæ Orientalis contra Lutheri hæresim*, 2 vol., Romæ, 1739; 6° Steitz, *Die Abendmahlslehre der griechischen Kirche in ihrer geschichtlichen Entwickelung*, in *Jahrbücher für deutsche Theologie*, t. IX-XIII. Gotha, 1864-1868; Th. Spacil, *Doctrina theologiæ Orientis separati de SS. Eucharistia*, Romæ, 1929 (t. XIII-XIV commentarii : *Orientalia christiana*).

1. Cf. *Dictionnaire de théologie catholique*, art. *Eucharistie*, t. *vb*, col. 1289-1290.

quasi canonizavit concilium œcumenicum Lateranense IV (1215)[1]. Ad voces autem græcas μετουσίωσις, μετουσιοῦν, quod attinet, illas terminis latinis posteriores esse mox probabimus. Ante vocis transsubstantiationis adinventionem, apud Latinos verba usitatiora erant : *conversio* et *convertere*, *mutatio* et *mutare*, *transmutatio* et *transmutare*, *transitio* et *transire*. Græci Patres vero sequentia verba communiter usurparunt : μεταβάλλειν et μεταβολή (frequentius occurrens non solum in scriptis Patrum, sed etiam in liturgicis documentis) ; μεταποιεῖν et μεταποίησις (S. Gregorius Nyssenus, S. Joannes Damascenus) ; μεταρρυθμίζειν et μεταρρύθμισις (S. Joannes Chrysostomus) ; μεταστοιχειοῦν et μεταστοιχείωσις (S. Gregorius Nyssenus, seu *translementatio* quæ voci μετουσίωσις valde affinis est. Hujusmodi terminis, post sanctos Patres, in suis scriptis utuntur passim theologi byzantini et recentiores[2]. Verba vero russica græcis respondentia sunt : *prelagat* et *prelogenie* (= μεταβολή) ; *pretvoriat* et *pretvorenie* (= μεταποίησις, μερρύθμισις) ; *preobrazit* et *preobragenie* (= μεταμόρφωσις) ; *pressuchtchestviat* et *pressuchtchestvlenie* (=μετουσίωσις).

Historice constat verba græca μετουσιοῦν, μετουσίωσις, a terminis latinis respondentibus originem duxisse et ex eis translata fuisse[3]. Verbum enim μετουσιοῦσθαι primum

1. *Transsubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem.* Mansi, *op. cit.*, t. XXII, col. 982.

2. Verbum μεταστοιχειοῦν usurpat, v. g., Theophylactus, *Comment. in Matth.*, XXVI, 26 sq., *P. G.*, t. CXXIII, col. 650 : « τὸ μὲν εἶδος ἄρτου καὶ οἴνου φυλάττει, εἰς δύναμιν δὲ σαρκὸς καὶ αἵματος μεταστοιχειοῖ. » Item Nicolaus Methonensis, Λόγοι δύο περὶ τῆς θείας ἱερουργίας *(adversus Soterichum Panteugenum)*. ed. A. Demetracopuli, Lipsiæ, 1865, in secundo sermone, p. 51 : « ὁ ἄρτος καὶ τὸ ποτήριον μεταστοιχειούμενα ἐνεργείᾳ τοῦ παντουργοῦ Πνεύματος εἰς τὸ πανάγιον αὐτοῦ σῶμα καὶ τὸ τίμιον αἷμα. »

3. Hoc negarunt quidam theologi græci sæculi XVII, ut Meletius Syrigus, Ἀντίρρησις, c. 17, p. 136-137 : « Cum hæresis Berengarii, inquit, ad nostras regiones pervenisset, adinventa est vox μετουσίωσις, a transmutatione (μεταβολή) vel conversione (μεταποίησις) nihil differens. » Item Dositheus, Ἐγχειρίδιον κατὰ τῆς καλβινικῆς φρενοβλαβείας, Iasii, 1690, p. 41 sq., et patriarcha Constantinopolis Callinicus II in decreto synodali adversus Joannem Caryophyllum, Cyrilli Lucaris discipulum (1691) : « Hoc verbum, inquit ille, Ecclesia nostra a Latinis non est mutuata, sed a suis genuinis doctoribus orthodoxis ab

occurrit in versione græca *Confessionis fidei*, Michaelis Palaeologi [1], quæ in quarta sessione concilii Lugdunensis, die 6 julii 1274, publice lecta est, et approbata. Ubi enim textus latinus ferebat : « Sacramentum Eucharistiæ ex azymo conficit eadem romana Ecclesia, tenens et docens quod in ipso sacramento panis vere *transsubstantiatur* in corpus et vinum in sanguinem Domini nostri Jesu Christi », versio græca sic sonabat :

« Τὸ ἱερούργημα τῆς εὐχαριστίας ἐξ ἀζύμου ἐκτελεῖ ἡ τοιαύτη [2] τῆς Ῥώμης Ἐκκλησία, κρατοῦσα καὶ διδάσκουσα, ὅτι ἐν αὐτῇ τῇ ἱεροτελεστίᾳ ὁ ἄρτος ἀληθῶς μετουσιοῦται εἰς σῶμα, καὶ ὁ οἶνος εἰς αἷμα τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ [3]. »

antiquo hæreditate accepit... Confitemur hanc vocem μετουσίωσις ab extraneis originem non ducere neque in Ecclesiam orientalem per heterodoxos invectam fuisse, sed ad patriam doctrinam pertinere, neque pios Ecclesiæ doctores ab orthodoxia deflexisse, dum hanc scripserunt ac prædicarunt. » Gédéon, Κανονικαὶ διατάξεις, t. I, p. 99 sq., et L. Petit, apud Mansi, *op. cit.*, t. XXXVII, col. 463-470. De origine ac historia vocis μετουσίωσις apud Græcos, vide nostram dissertationem : *Le mot transsubstantiation chez les Grecs avant et après 1629*, in *Échos d'Orient*, t. X (1907), p. 5-12, 65-77.

1. Dubitari potest num in versione græca Actorum concilii Lateranensis IV verbum μετουσιοῦσθαι jam adhibitum fuerit ubi in latino habetur : *transsubstantiatis pane in corpus et vinum in sanguinem.* Infeliciter cod. *Paris. græc. 420*, qui hujusmodi versionem continet, capite *Firmiter*, ubi præfatus locus legitur, ex toto caret. Si Dominicano Bonacursio Bononiensi, *Thesaurus veritatis fidei* (in cod. *Paris. græc. 1251* et *1252*, sæcul. XIV) vel potius ejus translatori Andreæ Doto, qu hujus operis versionem græcam confecit sub Joanne papa XXII (1316-1334), plena fides adhibenda esset, jam philosophus Theorianus sæc. XII verbum μετουσιοῦσθαι usurpasset in quadam *Epistola ad sacerdotes et monachos*, ex qua hæc verba Doto laudat : « μετουσιοῦται δὲ τὰ θεῖα δῶρα παρὰ τοῦ Πνεύματος ἁγίου εἰς τὸ σῶμα καὶ αἷμα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. » Verum, valde suspecta est hujusmodi citatio, præsertim cum in latino Bonacursii habeatur : *transmutatur autem divina virtute a Spiritu Sancto in corpus et sanguinem Jesu Christi.* Cæterum opus Bonacursii, ad locos græcorum Patrum quod attinet, interpolationibus scatet. Cf. Lequien, *Præfatio generalis in novam editionem operum sancti Joannis Damasceni*, 20; *P. G.*, t. XCIV, col. 87-90.

2. ἡ τοιαύτη pro : ἡ αὐτή (= *eadem* romana Ecclesia). Hæc locutio denotat auctorem litteris græcis parum cultum.

3. Mansi, *op. cit.*, t. XXIV col. 72. Omnino verisimile est versionis græcæ hujus Confessionis fidei, quam jam anno 1267 Clemens IV

Paulo post, anno scilicet 1277, patriarcha Joannes Veccus, in propria fidei Confessione ad Joannem XXI papam missa item profitebatur : « in ipso sacrificio Eucharistiæ panem azymum vere transsubstantiari, ἀληθῶς μετουσιοῦσθαι, in corpus Domini nostri Jesu Christi, et vinum in ejus sanguinem [1]. »

Verum, novum vocabulum inter Byzantinos civitatem non statim consecutum fuisse exinde constat quod in operibus theologorum (de editis loquor), quæ inde ab unione Ludgunensi usque ad concilium Florentinum prodiere, nullibi occurrit. Ipsi Latinophrones vel Uniti, ut Manuel Calecas [2], eo abstinent veteribusque terminis (μεταβάλλειν, μεταποιεῖν, etc.) tantum utuntur; immo in ipsis fidei formulis quæ tunc a Summis Pontificibus Græcis proponuntur Confessionem que Michaelis Palaeologi ad verbum fere repetunt, passim illam breviantes, loco verbi latini *transsubstantiare* fertur verbum *transmutare*, et in versione græca legitur : μεταβάλλειν, μεταβάλλεσθαι [3]. Vox ipsa μετουσίωσις a Bessarione, die 5 julii 1439, in congregatione generali concilii Florentini jam finientis primum forsan prolata est una cum verbo μετουσιοῦν [4]. In dissertatione vero quam idem Bessarion *de verbis quibus Christi corpus perficitur* post concilium græce conscripsit, ne semel quidem vocibus supra dictis utitur, sed ubi in latina redactione hujus opusculi posuit verba *trans-*

ad Michaelem Palæologum miserat, auctorem fuisse Franciscanum Joannem Parastronem, natione Græcum, quo Michael familiariter utebatur, quem etiam tanquam legatum ac interpretem ad concilium Lugdunense misit. De hoc Joanne vide G. Golubovich, *Biblioteca, bio-bibliografica della Terra santa e dell'Oriente Francescano*, t. I, 1906, p. 283-290.

1. A. Theiner et F. Miklosich, *Monumenta*, etc., p. 28.

2. Cf. *De fide et de principiis fidei catholicæ*, c. VI; *P. G.*, t. CLII, col. 604.

3. Vide *Confessionem fidei* a Joanne V Palæologo, anno 1369 Romæ recitatam, apud Allatium, *De perpetua consensione*, l. II, c. XVII, col. 843-852, et in *P. G.*, t. CLIV, ad calcem. Cf. Raynaldi, *Annales eccles.*, an. 1370, n. 4.

4. Cf. Mansi, t. XXXI, col. 1046; *P. G.*, t. CLXI, col. 489-494. Dicimus *forsan*, quia textum græcum declarationis Bessarionis non habemus, sed versionem latinam tantum Nicolai Euripontini, qui verba latina *transsubstantiare*, *transsubstantiatio*, adhibuit.

substantiare vel *transsubstantialitas* [1], in græco habet : μεταβάλλειν, μεταβολή, μεταποιεῖν, μεταποίησις [2].

Primum inter Græcos dissidentes qui vocem μετουσίωσις, dedita opera ac libenter usurpaverit, fuit, ut videtur, Georgius Scholarius in quodam sermone *De sacramentali corpore Domini nostri Jesu Christi*, quem coram imperatore, senatu et populo Constantinopolitano, forsan ante concilium Florentinum, quadam feria sexta ante Dominicam Palmarum, adhuc laicus protulit [3]. Ibi enim vox μετουσίωσις pluries occurrit, ejusque explicationem plane thomisticam auctor tradit, hanc doctrinam esse fidem Ecclesiæ declarans [4]. Inde vero a sæculo XVI ad nostra usque tempora, plerique theologi græci, Kiovienses et Moscovitæ in suis scriptis eam usurpare non dubitarunt, paucis exceptis, de quibus infra dicetur. Non solum autem in theologorum operibus, verum etiam in publicis fidei documentis ac formulis legitur, scilicet in *Confessione orthodoxa* Petri Moghilæ [5], in *Confessione Dosithei* [6], in *Confessione Chrysanthi Hierosolymitani* [7],

1. Hanc latinam editionem, in qua vox *transsubstantialitas*, latinis theologis prorsus inaudita, sæpe occurrit, habet *P. G.*, t. CLXI, col. 493-526.

2. Textus græcus hujus operis in cod. græc. Marciano Ven. *527*, fol. 106-142 *b*, asservatur : cf. fol. 114 *b*, 115 *b*, 116 *ab*, ubi pro *transsubstantialitate* invenies μεταποίησις, vel μεταβολή.

3. Renaudotius, *op. cit.*, p. 1-29; *P. G.*, t. CLX, col. 352-373: *Œuvres complètes de Georges Scholarios*, ed. L. Petit - X. Sidéridès - M. Jugie, Parisiis, 1928, t. I, p. 123-136.

4. « Ὧ μετουσιώσεως τὸ παράδοξον ἐχούσης καὶ χάριεν τοῖς τῇ πίστει πεφωτισμένοις. » *Œuvres*, t. I, p. 126, l. 24; cf. p. 134, 21-25. De altera homilia seu potius *Responso de sacramento corporis Domini* a Renaudotio, *op. cit.*, p. 29-35, edito nihil dicimus, quia opus suppositum, sæculo XVII vel XVI non antiquius illud habemus.

5. I p., q. CVII : « Μετὰ τὰ ῥήματα ταῦτα (= verba epicleseos), ἡ μετουσίωσις παρευθὺς γινεται. »

6. C. XVII.

7. Art. VI, apud Mansi-Petit, *Coll. concil.*, t. XXXVII, col. 899 : « Ἤστινος μεταβολῆς τοῦ ἄρτου καὶ τοῦ οἴνου εἰς αὐτὸ τὸ δεσποτικὸν σῶμα καὶ αἷμα παραστατικὴν καὶ ἀκριβέστατα ἐκφαντικὴν καὶ σημαντικὴν ὁμολογεῖν ὀφείλουσι καὶ ἀποδέχεσθαι οἱ πιστοὶ τὴν λέξιν τῆς μετουσιώσεως, ἣν καὶ ἡ καθόλου τοῦ Χριστοῦ Ἐκκλησία ὡς προσφυέστατα παραστατικὴν τοῦ μυστηρίου τούτου κέχρηται καὶ ἀποδέχεται. » Chrysanthus loquitur ut concilium Tridentinum : *quam conversionem Ecclesia catholica aptissime transsubstantiationem appellat.*

in *Catechismo Philareti*, inde a tertia editione (anno 1839) [1].

II. — De conceptu transsubstantiationis apud Græcos a sancto Joanne Damasceno usque ad saeculum XVI.

Verba Christi : *Hoc est corpus meum — Hic est sanguis meus* duplici sensu a devota fide accipi possunt : sensu videlicet omnino *litterali* ac *simplici*, quem nomine *conceptus realistici* transsubstantiationis designamus ; et sensu *litterali simul ac sacramentario* seu symbolico (qui vocari etiam posset sensus *doctus* ac *eruditus*), quem appellatione *conceptus sacramentarii* transsubstantiationis nuncupamus. Differentiam inter utrumque conceptum exstantem breviter ostendamus.

Percipiens verba Christi, simplex fides sine ulla investigatione ea accipit omnino ut sonant, nihilque præter corpus et sanguinem Domini (utrumque utique ejus animæ ac divinitati conjunctum, quia Christus gloriosus jam non moritur) in sacramento, post consecrationem, videt vel detegit. De speciebus panis et vini, quæ remanent, non curat, nec illas ut a corpore et sanguine Domini separatas distincte mente percipit, sed unum tantum videt, corpus scilicet et sanguinem Christi et totum Christum præsentem. Quando tangit, frangit, dividit, manducat vel bibit quod consecratum est, dicit se tangere, frangere, dividere, manducare vel bibere corpus vel sanguinem Christi, sciens tamen Christum gloriosum nihil inde pati, nec divisionem vel consumptionem revera subire, cum sit jam omnino impassibilis et incorruptibilis : quod intra liturgiam, ante communionem, sacerdos in ritu byzantino diserte profitetur : « Μελίζεται καὶ διαμερίζεται ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ Υἱὸς τοῦ Πατρός, ὁ μελιζόμενος καὶ μὴ διαιρούμενος, ὁ πάντοτε ἐσθιόμενος καὶ μηδέποτε δαπανώμενος, ἀλλὰ τοὺς μετέχοντας ἁγιάζων : *Frangitur et dividitur Agnus Dei, Filius Patris, qui frangitur, at non comminuitur; qui semper comeditur, et non consumitur, sed eos qui sunt participes sanctificat* [2]. » Non videt duo : unum *substantiale*,

1. In duabus primis editionibus (1823 et 1827) hujus catechismi vox *transsubstantiatio* deerat.

2. *Liturgia sancti Joannis Chrysostomi.* Cf. Goar, *op. cit.*, p. 65.

corpus scilicet et sanguinem, et aliquid *accidentale* de pane et vino post consecrationem remanens, corpusque et sanguinem quasi tenui ac levi velamine tegens et occultans ab illisque separatum existens; videt simpliciter corpus et sanguinem Domini, qui sub specie panis et vini ei apparet, sicut sub figura peregrini discipulis Emmaum euntibus et sub hortulani forma Mariæ Magdalenæ ad sepulcrum apparuit. Uno verbo: hæc simplex fides in sacramento nihil distinguit nisi Christum, loquiturque quasi species panis et vini corpus vel sanguinem Domini revera afficerent et in ipso subjectarentur. Unde in hac ratione litterali ac realistica transsubstantiationis, quæstio de accidentibus sine proprio subjecto perseverantibus non movetur nec moveri potest. Sponte autem oritur quæstio quid corpori vel sanguini Christi eveniat tum in communicantibus tum in vasis ubi asservatur; et periculum est ne in sensum capharnaiticum vel in stercoranismum casus accidat, atque de sorte specierum eucharisticarum temerarium quid a priori affirmetur.

Eadem Christi verba audiens, fides docta et erudita, quæ jam intellectum quæsivit et mysterium philosophice aliquatenus elucidare pie conata est, in sacramento post consecrationem duo videt ac discernit; aliquid scilicet *essentiale et substantiale*, quod est corpus et sanguis Domini et Dominus totus; et aliquid *accidentale*, quod ex pane et vino in corpus et sanguinem Christi conversis remansit, id est species seu apparentias panis et vini. De hoc autem et illo philosophice secum cogitans, ad hanc devenit rationem seu conceptionem, nempe per consecrationem substantiam panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Christi realiter converti, ita ut non amplius existant vel remaneant; remanere vero accidentia panis et vini a propria substantia separata, quæ substantiam corporis et sanguinis Christi tanquam velamen occultent ac contineant, quin ipsis tanquam subjecto inhaereant; perseverant enim miraculose in suo esse accidentali sine ullo subjecto ea sustentante. Et hic est conceptus, quem *sacramentarium* seu *scholasticum* vocamus.

Porro uterque : et aspectus fidei simplicis, et respectus fidei quærentis intellectum, dogmati catholico de transsubstantiatione, prout a concilio Tridentino definitum est,

non contradicit. Concilium enim hoc unice intendit, ut errori Lutheri, docentis panem et vinum remanere cum corpore et sanguine Christi, anathema diceret, affirmaretque conversionem totiusque substantiæ panis in substantiam corporis Christi, totiusque substantiæ vini in substantiam sanguinis ejusdem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini, ut sensibilis experientia testatur. Neque concilium his verbis : *substantia*, *species* determinatum sensum philosophicum ita affixit, ut dogma fidei alicui systemati philosophico, puta Aristotelico, indissobubiliter cohæreat; sed hujusmodi verba in sensu prorsus communi ac vulgari sumpsit, ita ut definitio ad hoc recidat : Totum id quo panis est panis convertitur in id quo corpus Christi est corpus Christi, et totum id quo vinum est vinum convertitur in id quo sanguis Christi est sanguis Christi, manente tantum eo quod sensibus apparet. Aliis verbis : Post consecrationem, panis amplius non remanet, sed in corpus Christi conversus est; item vinum non remanet, sed in sanguinem Christi conversum est. Solum remanent species seu sensibiles apparentiæ. Ad hoc reducitur id quod est de *fide definita*[1]. Nihil enim concilium decrevit de *speciebus* panis et vini, quæ post substantialem conversionem manent; de quibus theologi catholici varie disseruerunt et adhuc disserunt pro systemate philosophico, cui quisque adhaeret. Ad hoc sane non attenderunt quidam Græco-Russi inter recentiores, qui Ecclesiæ catholicæ doctrinam impugnaverunt. Confuderunt siquidem explicationem philosophico-theologicam inter doctores catholicos communiorem cum dogmate definito : quod etiam quantum ad alia fidei capita eisdem non semel accidit.

Jam vero si quæramus cuinam ex supra dictis duobus modis concipiendi conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi adhæserint Orientales, sic respondere possumus : 1° Ante sæculum XVI theologi byzantini, paucis tantum qui præsertim sæculo XIV vel sæculo XV fuere exceptis, conceptum simplicis fidei communissime tenuerunt; 2° Inde vero a sæculo XVI, eorum major pars, Georgium Scholarium,

1. Ita sentiunt plerique recentiores qui de fidei definitionibus ac formulis sapienter scripserunt. Cf. artic. *Eucharistie d'après le concile de Trente*, in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. V*b*, col. 1347-1350.

sæculi præcedentis theologum, imitati, conceptum scholasticum et thomisticum libenter amplexi sunt, illum etiam fidei formulis et catechismis inserentes; a quo tamen pauci ex recentioribus recedunt, ad pristinum aspectum redeuntes. De prima periodo nunc breviter agamus.

Elucidationem philosophico-theologicam mysterii transsubstantiationis apud antiquos Patres græcos aut nullam, aut valde imperfectam invenire est. Fuerunt tamen ex eis quidam qui aliquam distinctionem realem inter corpus Christi et species seu symbola sensibilia, sub quibus latet, ponere videntur. De iis scilicet loquimur qui Eucharistiam etiam post consecrationem vocant τὰ ἀντίτυπα vel τὰ σύμβολα corporis et sanguinis Domini, eodem fere sensu quo nos dicimus *sacramentum corporis et sanguinis Domini;* vel qui duo explicite distingunt in Eucharistia, terminis obscurioribus utentes; inter quos veniunt Origenes [1], Serapio Thmuiensis [2], Eusebius Cæsariensis [3], Constitutiones apostolicæ [4], Palladius [5], Theodoretus [6], Pseudo-Dionysius [7], Liturgia sancti Basilii [8]. Verum plerique ultra conceptum quem voca-

1. *In Matth.*, XI, 14; *P. G.*, t. XIII, col. 948 : « κατ'αὐτὸ τὸ ὑλικὸν εἰς τὴν κοιλίαν χωρεῖ καὶ εἰς ἀφεδρῶνα ἐκβάλλεται. » De hoc obscuriori loco vide P. Batiffol, *L'Eucharistie, la présence réelle et la Transsubstantiation*, 6e édit., Parisiis, 1913, p. 275-284.

2. *Sacramentarium Serapionis*, ed. Funk, *Didascal. et Constitut.*, t. II, 1906, p. 174 : « Σοὶ προσηνέγκαμεν τὸν ἄρτον τοῦτον, τὸ ὁμοίωμα τοῦ σώματος τοῦ Μονογενοῦς. » Cf. Batiffol, *op. cit.*, p. 313-317.

3. *Demonst. evangel.*, VIII, 1; *P. G.*, t. XXII, col. 596 : « τὴν εἰκόνα τοῦ ἰδίου σώματος ποιεῖσθαι παρακελευόμενος... ἄρτῳ δὲ χρῆσθαι συμβόλῳ τοῦ ἰδίου σώματος παρεδίδου. »

4. *Const. apost.*, VI, 30, ed. Funk, t. I, p. 381 : « καὶ τὴν ἀντίτυπον τοῦ βασιλείου σώματος Χριστοῦ δεκτὴν εὐχαριστίαν προσφέρετε. » Cf. V, 14; VII, 26.

5. *Vita Chrysostomi*, 11; *P. G.*, t. XLVII, col. 38 : « κοινωνήσας τῶν δεσποτικῶν συμβόλων. »

6. *Eranistes*, II, *P. G.*, t. LXXXIII, col. 165, 168. Nota Theodoretum, post Nestorium, probabiliter negasse transsubstantiationem et docuisse conssubstantiationem : « Οὐδὲ γὰρ μετὰ τὸν ἁγιασμὸν τὰ μυστικὰ σύμβολα τῆς οἰκείας ἐξίσταται φύσεως. »

7. *Eccles. Hierarchia*, III, 2; *P. G.*, t. III, col. 426 : « ἱερουργεῖ τὰ θειότατα καὶ ὑπ'ὄψιν ἄγει τὰ ὑμνημένα διὰ τῶν ἱερῶς προκειμένων συμβόλων. » Cf. *Epist.* IX, 1, *ibid.*, col. 1104 : « θεώμεθα γὰρ μόνον αὐτὰ διὰ τῶν προσπεφυκότων αὐτοῖς συμβόλων. »

8. Post verba Domini sacerdos in hunc modum orat : « προθέντες τὰ ἀντίτυπα τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ, σοῦ δεόμεθα. »

vimus simplicis fidei non progrediuntur, neque distinctam habent visionem specierum seu accidentium a corpore Christi separatorum et sine subjecto permanentium; sed unum tantum, videlicet corpus Christi, in Eucharistia oculo fidei perspiciunt, ac modo plane *realistico* de eo loquuntur. Inde vero a sæculo v, a locutionibus symbolicis : τὰ ἀντίτυπα, τὰ σύμβολα, τὸ ὁμοίωμα, *corporis et sanguinis Christi* abhorrent eisque abstinent.[1]; quod præsertim contingit, postquam Iconoclastæ Eucharistiam Christi *veram imaginem* quæ cultu sola digna sit, appellare excogitant. Ex hoc tempore, theologi orthodoxiæ tenaces locutionem τὰ ἀντίτυπα τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος ut hæresim sapientem communissime habent, locosque sanctorum Patrum ubi illa occurrit, ita interpretantur, ut nonnisi panem et vinum ante consecrationem designet. Hunc conceptum realisticum conversionis eucharisticæ breviter ac dilucide contrahit sanctus Joannes Damascenus in c. XIII, lib. IV sui operis *De fide orthodoxa*, ex quo hæc pauca excerpere sufficiat :

« Panis ipse et vinum in corpus et sanguinem Dei transmutantur (μεταποιοῦνται). Si requiras quonam pacto id fiat, sat tibi sit audire hoc fieri per Spiritum Sanctum, quemadmodum et ex sancta Deigenitrice Dominus sibi ipsi carnem assumpsit, quæ in seipso subsisteret[2]; et nihil amplius cognoscimus nisi quod Dei sermo verax efficaxque est atque omnia potest; modus vero investigari prorsus nequit. Illud vero dicere alienum non est: Quemadmodum panis per comestionem, vinumque et aqua per potionem in corpus et sanguinem comedentis et bibentis naturaliter transmutantur (μεταβάλλονται), et non fit corpus diversum ab

1. Locutiones sacramentarias seu symbolicas rejecerunt Theodorus Mopsuestenus, Macarius, Magnesiæ episcopus, Theodorus Heracleensis, Cyrillus Alexandrinus, Leontius Byzantinus, Anastasius Sinaita, etc. Eas adhuc retinent Eutychius, patriarcha Constantinopolitanus, *De paschate et Eucharistia*, 2; *P. G.*, t. LXXXVI *b*, col. 2393 : « μυστικῶς ἑαυτὸν ἔθυσεν, ὅτε ταῖς οἰκείαις χερσὶ μετὰ τὸ δειπνῆσαι λαβὼν τὸν ἄρτον, εὐχαριστήσας ἀνέδειξε καὶ ἔκλασεν, ἐμμίξας ἑαυτὸν τῷ ἀντιτύπῳ », et Andreas Cretensis, *In ramos palmarum*, *P. G.*, t. XCVII, col. 993-996 : « Θύεται ἐν ἀντιτύποις ὑπὲρ ἡμῶν συμβόλοις ἱεροθυτούμενος. »

2. Hæc comparatio cum mysterio Incarnationis ex parte omnipotentiæ divinæ necnon ex incomprehensibilitate prodigii, non ex paritate effectus, sumenda est, ut ex contextu satis patet.

ejus corpore quod prius exstabat : sic panem τῆς προθέσεως, vinum et aquam, per Spiritus Sancti invocationem et adventum, in corpus et sanguinem Christi supernaturaliter converti (ὑπερφυῶς μεταποιοῦνται), ut nequaquam sint duo sed unum et idem [1]... Panis et vinum non sunt figura (τύπος) corporis et sanguinis Christi, absit! sed ipsum Domini corpus deitate dotatum, cum ipse Dominus dixerit : *Hoc est*, non figura corporis, sed *corpus meum*, neque figura sanguinis, sed *sanguis meus*... Quod si nonnulli panem vinumque corporis et sanguinis Domini ἀντίτυπα vocaverunt, velut divinus Basilius, non hoc post consecrationem dixerunt, sed antequam oblatio ipsa consecraretur vocem hanc usurparunt... Porro ἀντίτυπα futurorum dicuntur, non quod vere Christi corpus et sanguis non sint, sed quod nunc quidem divinitatis Christi per ea participes efficimur, tunc autem intelligibiliter (νοητῶς) per solum aspectum [2]. »

In conceptu realistico, cum species panis et vini non perspiciantur ut a corpore et sanguine Domini distinctæ, occurrit specialis difficultas circa sortem corporis Christi eucharistici post communionem, quid scilicet ipsi eveniat aut quo vadat, postquam a communicante fuerit absorptum. Hanc difficultatem in hunc modum solvit Joannes Damascenus post sanctum Cyrillum Hierosolymitanum :

« [Eucharistia] corpus et sanguis Christi est, in nostri tum corporis tum animi vegetationem (seu constantiam) cedens, εἰς σύστασιν τῆς ἡμετέρας ψυχῆς τε καὶ σώματος χωροῦν. *Non consumitur, non corrumpitur, non in secessum vadit (absit !)*; *sed in substantiam nostram et conservationem perseverat, omnigenum propulsans nocumentum, ab omni labe purificans*... Per illud purgati, corpori Domini ejusque spiritui unimur, et Christi corpus efficimur [3]. »

1. Similia habet Gregorius Nyssenus, *Oratio catech. magna*, 37; *P. G.*, t. XLV, col. 96-97. Cf. Batiffol, *op. cit.*, p. 401-407.

2. *De fide orthod.*, l. IV, c. XIII; *P. G.*, t. XCIV, col. 1145-1149, 1152, 1153 : « Εἰ δὲ καί τινες ἀντίτυπα τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ Κυρίου τὸν ἄρτον καὶ τὸν οἶνον ἐκάλεσαν, ὡς ὁ θεοφόρος ἔφη Βασίλειος, οὐ μετὰ τὸ ἁγιασθῆναι εἶπον, ἀλλὰ πρὶν ἁγιασθῆναι, αὐτὴν τὴν προσφορὰν οὕτω καλέσαντες. »

3. *Ibid.*, col. 1152 : « οὐ δαπανώμενον, οὐ φθειρόμενον, οὐκ εἰς ἐφεδρῶνα χωροῦν (μὴ γένοιτο), ἀλλ'εἰς τὴν ἡμῶν οὐσίαν καὶ συντήρησιν, βλάβης

Videtur sane Joannes docere mysticam perseverantiam præsentiæ realis in corpore et in anima communicantis. Nullam enim habet, sicut et plerique alii Patres græci, visionem specierum panis et vini a corpore Christi distinctarum.

Sancti Joannis Damasceni doctrina communissima est inter theologos byzantinos qui a sæculo IX usque ad sæculum XV fuerunt. Si quæ de Eucharistia scripserunt perlegeris, hunc simplicis fidei conceptum, nihil præter corpus et sanguinem Christi in sacramento detegentem, apud plerosque deprehendes. Illum, v. g., invenies apud sanctum Nicephorum Constantinopolitanum, qui dicit corpus Christi in Eucharistia esse præsentem circumscriptive, tangi, manducari, immolari [1]; apud Photium [2]; apud Theophylactum, qui haec habet : « Christus dicens : *Hoc est corpus meum*, ostendit panem qui in altari sanctificatur esse ipsum Domini corpus et non *antitypum*. Non enim dixit : Hoc est antitypum, sed : *Hoc est corpus meum*. Ineffabili enim operatione transmutatur, *quanquam panis nobis videtur esse*, κἂν φαίνηται ἡμῖν ἄρτος. Quia enim infirmi sumus, et carnem crudam hominisque carnem manducare abhorremus, *propterea panis quidem nobis videtur, caro autem revera est*, διὰ τοῦτο, ἄρτος μὲν ἡμῖν φαίνεται, σὰρξ δὲ τῷ ὄντι ἐστί [3] »; apud Euthymium Zigabenum, qui fere omnia Damasceni

παντοδαποῦς ἀμυντήριον, ῥύπου παντὸς καθαρτήριον... Δι'αὐτοῦ καθαιρόμενοι, ἐνούμεθα τῷ σώματι Κυρίου καὶ τῷ πνεύματι αὐτοῦ, καὶ σῶμα Χριστοῦ γινόμεθα. »

1. *Antirrheticus II adversus Constantinum Copronymum*, 2; *P. G.*, t. c, col. 333 CD : « Εἰ τοίνυν περιγραπτὸν τοῦτό ἐστι (= corpus Christi eucharisticum) ταὐτὸν δὲ ἐκείνῳ τῷ σώματι γίνεται, ὃ παρὰ τὴν ἀρχὴν σαρκούμενος ὁ Λόγος προσείληφεν. » Cf. *ibid.*, 19, col. 373. : Εἰ γὰρ οὐχ ἁπτόν (= corpus Christi eucharisticum), πῶς σφαγιάζεται ; καὶ τί θύεται ; ὃ γὰρ μὴ ἔστιν ὁρατὸν, οὐδὲ πέφυκε θύεσθαι, οὐδὲ σφαγίαζεσθαι. Cf. *Apolog. pro sacris imaginibus*, 28, 69; *P. G., ibid.*, col. 605, 765.

2. *Quæst.* LXXIII *ad Amphilochium ; P. G.*, t. CI, col. 451-456 : « Ἡ μετάληψις τοῦ δεσποτικοῦ σώματος καὶ αἵματος τροφή τις οὖσα νοερὰ καὶ τὰς ψυχικὰς δυνάμεις ἀναρωννύουσα... ἐν σωματικῇ οὐσίᾳ καὶ αὐτὴ τὴν πνευματικὴν χάριν καὶ τὸν ἁγιασμὸν παρέχει... διὰ τοῦ στόματος εἰς τοὺς μυστικοὺς θαλάμους τῆς φύσεως προϊοῦσα, εἰς ὅλον μὲν οἰκονομεῖται, καὶ ὅλον καθαγιάζει τὸ ζῷον... Τῇ μετοχῇ τῆς ἀχράντου σαρκὸς αὐτοῦ σύσσωμοι καθιστάμενοι. »

3. *In Matth.*, XXVI, 26; *P. G.*, t. CXXIII, col. 444.

dicta, aliis verbis repetit [1]; apud Nicolaum Methonensem [2], apud Theodorum Meliteniotam [3]; apud Nicolaum Cabasilam, qui loquitur de unione *vere physica* et *permanenti* corporis Christi tum cum anima, tum cum corpore communicantis [4]; apud Simeonem Thessalonicensem [5], etc. Hi omnes simpliciter affirmant *totalem* conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi; nullam mentionem faciunt de speciebus eucharisticis, quæ a corpore Christi distinguerentur vel sine subjecto remanerent. Uno verbo, post consecrationem, in sacramento nihil vident præter corpus et sanguinem Christi vel etiam *totum Christum :* quod sæpe affirmant, ut videbimus infra.

Hanc fuisse Byzantinorum communem doctrinam exinde etiam perspicue elucet quod, cum Michael Glykas, sub finem sæculi XII, suam stupendam theoriam de passibilitate et corruptibilitate corporis Christi in Eucharistia exposuisset, multi ejus sententiæ suffragati sunt; quidam dubii hæserunt; qui vero ei contradixerunt ad solam Scripturæ et Patrum auctoritatem provocaverunt nec ullum fecerunt verbum de speciebus seu accidentibus panis et vini, cum tamen ad novitatem hæreticalem ratione penitus convellendam nihil validius fuisset quam doctrina de præsentia corporis Christi per modum substantiæ, necnon de permanentia accidentium panis et vini sine proprio subjecto [6].

Veterum quorumdam Patrum, de quibus supra, inchoati symbolismi seu *sacramentalismi* levia vestigia apud duos

1. *In Matth.*, XXVI, 26; *P. G.*, t. CXXIX, col. 665-668.

2. *Ad eos qui dubitant*, etc., *P. G.*, t. CXXXV, col. 510-513.

3. *Dissertationis octavæ morale*, *P. G.*, t. CXLIX, col. 945-961. Hic congessit Theodorus diversos textus Patrum de Eucharistia; qui omnes conceptum realisticum suggerunt.

4. *Expositio liturgiæ; P. G.*, t. CL, col. 367-492, passim. Cf. præsertim, c. XLVII, col. 469 : « Ὁ Θεὸς ταῦτα τὰ δῶρα οὕτως οἰκειοῦται, ὥστε αὐτὰ σῶμα καὶ αἷμα ποιεῖται τοῦ Μονογενοῦς. » Col. 477 : « τὰ δῶρα ταῦτα αὐτὸς γίνονται.. » Vide etiam *De vita in Christo*, l. I, col. 508, 512-520; l. IV, col. 621-624.

5. *De templo*, 86, *P. G.*, t. CLV, col. 732 : « τὸν ζῶντα εὐθὺς βλέπει προκείμενον Ἰησοῦν καὶ τοῦτον αὐτὸν ἀληθῶς ὄντα τὸν ἄρτον καὶ τὸ ποτήριον. » Cf. *De sacra liturgia*, 98, *ibid.*, col. 293.

6. Michaelis Glykæ systema de corruptibilitate corporis Christi intra liturgiæ celebrationem in articulo VIII hujus capitis exponimus. Vide infra, p. 321 sq.

vel tres auctores vix deprehendimus. Sic Nicetas Pectoratus, Latinos de azymis increpans, scribit : « Unde ergo vos azyma *tanquam antitypa corporis Christi* comedere accepistis?.. Qui azyma adhuc comedunt *in antitypum corporis Christi*, εἰς ἀντίτυπον τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ, mortuam, non viventem carnem manducant [1]. » Videtur Nicetas in hoc loco Eucharistiam vocare *antitypum corporis Christi* post consecrationem, contra communem loquendi usum aliorum theologorum, quamvis quis dicere possit Nicetam ideo asserere Latinos carnem mortuam manducare, quod panis azymus, fermento carens, cum in corpus Christi per verba consecrationis fuerit totus conversus, desinere non possit nisi in corpus anima vacuum. Theodorus Andidensis episcopus, sæculo XII, ad quæstionem de azymis item alludens, dicit apostolos memoriam Christi facere sategisse, ut ejus corpus per *divina symbola*, διὰ τῶν θείων συμβόλων, integrum ac perfectum conficerent, anima rationali nempe præditum per fermentum massæ immissum [2]. Hæc *divina symbola*, de quibus Theodorus loquitur, sunt quidem panis et vinum : num post consecrationem? Potius ante. Si enim hunc auctorem attente legeris, eum a suis gentilibus in doctrina eucharistica nihil differe facile perspicies, nec ullam tibi suspicionem de eo movebit, quod aliquam de accidentibus eucharisticis a corpore Christi distinctis notitiam habuerit.

Ut conceptum sacramentarium doctrinamque de accidentibus sine subjecto manentibus inveniamus, illos theologos adire debemus qui nostrorum scholasticorum et præsertim sancti Thomæ opera sive in textu originali sive græce reddita legerunt ; inter quos nominandi sunt Manuel Calecas [3], Josephus Plusiadenus, Methonensis episcopus [4], Georgius

1. *De fermentato et azymis contra Armenos et Latinos*, 2, 13, apud Hergenröther, *Monumenta græca ad Photium ejusque historiam pertinentia*, Ratisbonnæ, 1869, p. 139, 151 sq.

2. Προθεωρία κεφαλαιώδης, *P. G.*, t. CXL, col. 420.

3. *De catholicæ fidei principiis*, c. VI; *P. G.*, t. CLII, col. 601-603, ubi Calecas tum objectivam realitatem accidentium panis et vini, tum eorum perseverantiam sine subjecto diserte docet.

4. *Dialogus de differentiis necnon de synodo Florentina*, *P. G.*, t. CLIX, col. 1008; *Defensio quinque capitum : De azymis*, *ibid.*, col. 1206 : « Ἄλλο τὸ εἶδος τὸ ὁρατὸν, καὶ ἄλλο τὸ νοούμενον ἐν αὐτοῖς. »

Scholarius [1], Bessarion [2]. Hi omnes suam fecerunt theologiam sancti Thomæ de transsubstantiatione et accidentibus eucharisticis, quamvis Georgius Scholarius solus vocem μετουσίωσις usurpaverit. Notandum vero hos Byzantinos sine ulla hæsitatione vel dubitatione elucidationem thomisticam amplexos fuisse, nec quempiam ex illorum gentilibus eos de hac re redarguisse, vel eis contradicere tentasse : quod non est mirum, cum explicatio Scholæ doctrinæ fidei apprime accommodetur atque conveniat, mysterii aliquatenus præbeat intellectum, difficultatesque haud paucas, quæ menti circa hoc sacramentum sponte suboriuntur, facillime diluat.

In hac prima periodo, theologi byzantini, si illos excipias qui scholasticæ latinæ initiati fuerint, nullam tradunt mysterii conversionis philosophico-theologicam explicationem. Comparationes plus minusve aptas et ex aliqua parte semper claudicantes, quibus antiqui Patres usi sunt, repetere satis habent. Ita, v. g., transsubstantiationem cum mysterio Incarnationis conferunt post Joannem Damascenum : Euthymius Zigabenus [3], Eustratius Nicænus [4], Theophanes

1. *Loc. cit.* Scholarius doctrinam sancti Thomæ dilucide exponit. Sufficiat hæc verba transcribere : « Τουτὶ τὸ μυστήριον μεταβολήν τινα περιέχον οὐσίας εἰς οὐσίαν ἐν ἀκαρεῖ γενομένην, τῶν συμβεβηκότων ἀμεταβλήτων μενόντων, πάσης μεταβολῆς φυσικῆς τε καὶ παρὰ φύσιν ἐξῄρηται... Τὸ μὲν γὰρ τῆς τοῦ ἄρτου οὐσίας εἰς τὴν τοῦ σώματος μεταβαλλομένης τὰ συμβεβηκότα τῷ ἄρτῳ μένειν τοῦ ὑποκειμένου χώρις, ὑπὲρ τὴν φύσιν ὄν, ὅμως οὐχ ὑπερβαίνει τὴν εὐπορίαν τοῦ νοῦ. » *Œuvres complètes*, t. I, p. 127, 129-130.

2. *De sacramento Eucharistiæ*, passim; *P. G.*, t. CLXI, col. 494-526 : « In sacramento Eucharistiæ, alterum est solum signum, ut panis et vini visibilis species; alterum res significata, ut ipsum verum Domini corpus et sanguis... Verum Christi corpus et sanguis *sub umbra tegitur* panis et vini. » col. 495. De *Dialogo Samonæ Gazensis cum Saraceno*, *P. G.*, t. CXX, col. 822 sq., nihil dicimus, quia hæc opella est merum commentum cujusdam falsarii sæculi XVI ex variis auctoribus concinnatum, additis quibusdam quæ Scholasticam latinam redolent. Hunc fictitium Samonam inter theologos byzantinos sæculi XI historici communiter recensebant.

3. *In Matth.*, XXVI, 26; *P. G.*, t. CXXIX, col. 668 : « Ὥσπερ γὰρ ὑπερφυῶς ἐθέωσε τὴν προσληφθεῖσαν σάρκα, οὕτως ἀπορρήτως μεταποιεῖ καὶ ταῦτα εἰς αὐτὸ τὸ ζωοποιὸν αὐτοῦ σῶμα καὶ εἰς αὐτὸ τὸ τίμιον αὐτοῦ αἷμα καὶ εἰς τὴν χάριν αὐτῶν. »

4. *De azymis*, ed. A. Demetracopuli, Ἐκκλησιαστικὴ Βιβλιοθήκη, p. 51-52.

Nicænus [1]; cum conversione cibi in substantiam comedentis, post Gregorium Nyssenum et Damascenum : Theodorus Abu-Qurra, qui hanc comparationem fuse evolvit [2], Theophylactus [3], Auctor *Dialogi monachi Euthymii cum Saraceno* [4].

III. — De conceptu transsubstantiationis apud Græco-Russos post sæculum XV.

Viam, quam ultimi theologi byzantini iniverant theologiæ scholasticæ Latinorum adhærendo, communiter secuti sunt theologi moderni, inde a sæculo XVI. Illorum enim plerique, ut in tomo primo hujus operis notavimus, theologicis disciplinis in universitatibus Occidentis studuerunt, sensimque sibi appropriarunt rationes theologicas a nostris theologis adinventas, ita ut eas tanquam suas non semel vindicaverint ac defenderint : quod eis specialiter contigit quantum ad conceptum *sacramentarium* transsubstantiationis. Hunc fecerunt suum plerique Græco-Russi post sæculum XV ad nostra usque tempora, non tamen *eodem gradu eodemque modo*. Multi siquidem totum systema philosophico-theologium de transsubstantiatione, prout a sancto Thoma aliisque theologis scolasticis expositum est, amplexi sunt, panis et vini substantiam philosophice acceptam ab eorum accidentibus sine subjecto, post consecrationem manentibus clare distinguentes. Alii vero, ultra dogma a concilio Tridentino definitum non progressi, modum quidem loquendi *sacramentarium* cum ipsa voce μετουσίωσις adhibuerunt, dicentes Eucharistiam *continere* corpus et sanguinem Christi, vel Christum ipsum *sub specie* vel *sub speciebus panis et vini;* nullo autem colore philosophico suæ sententiæ expositionem

1. *Epistola III ad clericos*, 3; *P. G.*, t. CL, col. 336 A.

2. *Dialogus cum Saraceno*, *P. G.*, t. XCVII, col. 1553 : « τῷ πυρὶ τῆς θεότητος αὐτοῦ εἰς σῶμα καὶ αἷμα Χριστοῦ τὸν ἄρτον καὶ τὸν οἶνον μεταβάλλει, οὐχ ἧττον ἢ τὸ ἦπαρ τὴν τροφὴν εἰς τὸ τοῦ τινος ἀνθρώπου σῶμα. »

3. *In Joan.*, VI, 48-52; *P. G.*, t. CXXIII, col. 1308.

4. *P. G.*, t. CXXXI, col. 25. Hic *Dialogus cum philosopho Saraceno* Euthymio Zigabeno falso tributus est. Eum concinnavit anonymus auctor Euthymio posterior, qui ex *titulo* XXVIII *Panopliæ dogmaticæ* quædam sumpsisse videtur.

tinxerunt, a voce *accidentia*, τὰ συμβεβηκότα, abstinentes, nihilque de natura specierum panis et vini decernentes; immo quandoque merum conceptum realisticum antiquorum sub locutione *externe tantum* sacramentaria tegentes. Quidam alii locutionibus sacramentariis utuntur quin vocem μετουσίωσις usurpent. Pauci demum tum conceptum, tum modum loquendi realisticum retinent; inter quos quidam non solum a voce μετουσίωσις vel *transsubstantiatio* abhorrent, verum etiam ipsam elucidationem scholasticam conversionis acriter impugnant, quam perperam intelligunt, sensum crassum ac prorsus capharnaiticum gratis ei affigentes.

Inter theologos primæ classis veniunt: 1° Gabriel Severus, qui in opusculo jam laudato de *Ritu Magni Ingressus* clare distinguit inter substantiam panis et vini, quæ tota evanescit, et eorum *accidentia*, τὰ συμβεβηκότα, quæ remanent propter nostram infirmitatem; 2° Meletius Pigas, qui in suo opere Ὀρθόδοξος διδασκαλία hæc habet : « Transelementata substantia panis in carnem Christi et vini in ejus sanguinem, physicæ tamen qualitates non destruuntur, sed manent non quidem in pane et vino tanquam subjecto, sed in seipsis subsistentes, vel potius in substantia dominici corporis et sanguinis eis supposita, attamen modo supernaturali, et per seipsas mysteriorum invisibilia contegentes [1]. » Item, in *Epistola ad Gabrielem Severum* de variis quæstionibus, dicit : « His verbis : *Hoc est corpus meum*, et : *Hic est sanguis meus*, Dominus ita per symbola significavit carnem et sanguinem, ut symbola ipsa simul sint corpus et sanguis : panis nempe corpus est, et vinum sanguis : in ea enim realiter transmutantur, speciebus quidem permanentibus ut symbola sint, substantiis vero in significatas substantias transmutatis [2]; » 3° Gregorius, hieromonachus Chiensis, Georgii Coressii discipulus, in Συνόψει τῶν θείων

1. Ὀρθόδοξος διδασκαλία, ed. 1769, p. 245 : « Μεταστοιχειωθείσης τῆς οὐσίας τοῦ ἄρτου εἰς σάρκα Χριστοῦ καὶ τῆς τοῦ οἴνου εἰς Χριστοῦ αἷμα, αἱ φυσικαί γε ὅμως ποιότητες οὐκ ἀναιροῦνται,... ἀλλὰ μένουσι μὴ ὡς ἐν ὑποκειμένῳ δὲ ἄρτῳ καὶ οἴνῳ, ἀλλ'ὡς ἐφ'ἑαυτοῖς, μᾶλλον δὲ ἐπὶ τῇ ὑποκειμένῃ τοῦ δεσποτικοῦ σώματος καὶ αἵματος οὐσίᾳ, ὑπερφυῶς ὅμως, καὶ δι'ἑαυτῶν συγκαλύπτουσαι τὰ τῶν μυστηρίων ἀθέατα. »

2. Renaudotius, *op. cit.*, p. 133 : « τῶν μὲν εἰδῶν μενόντων εἰς σύμβολα, τῶν δὲ οὐσιῶν εἰς τὰς σημαινομένας οὐσίας μεταβληθεισῶν. »

δογμάτων, Venetiis, 1635 : « Simul cum dominicis verbis et cum sacerdotis oratione, statim transmutatur et convertitur substantia panis in verum et reale corpus Christi, manentibus solum albedine, dulcedine, quantitate, odore, et *hæc vocantur accidentia*, καὶ αὐτὰ κράζονται συμβεβηκότα [1]; 4° Methodius III patriarcha Constantinopolitanus (1668-1671) in *Responsis ad quæsita* Russorum : « Mutatur panis in perfectum vere corpus Christi, et vinum in perfectum vere sanguinem Christi, ut nuda relinquatur species panis et nuda species vini *sine ipsorum substantia* [2]; 5° Dositheus, in cap. XVII *Confessionis fidei*, et in Ἐγχειριδίῳ κατὰ καλβινικῆς φρενοβλαβείας, Bucarestii, 1690, qui credit : « facta panis et vini consecratione, non amplius manere substantiam panis et vini, sed ipsum corpus et sanguinem Domini esse sub panis et vini specie et figura, id est, sub panis accidentibus, ταὐτὸν εἰπεῖν, ὑπὸ τοῖς τοῦ ἄρτου συμβεβηκόσιν... item manibus dentisbusve concidi quidem Domini corpus et sanguinem ac dividi, verum per accidens dumtaxat sive penes accidentia panis et vini, per quæ et visibilia ea esse et contrectabilia in confesso est, at insecta prorsus et indivisa secundum se permanere, ἤτοι κατὰ τὰ συμβεβηκότα τοῦ ἄρτου καὶ τοῦ οἴνου, καθ'ἃ καὶ ὁρατὰ καὶ ἁπτὰ εἶναι ὁμολογοῦνται, καθ'ἑαυτὰ δὲ μένειν ἄτμητα πάντη καὶ ἀδιαίρετα..., item voce μετουσίωσις modum illum quo in corpus et sanguinem Domini panis et vinum convertuntur minime manifestari, δηλοῦσθαι — hoc enim, Deo excepto, nemo comprehendere valet, et qui se capere credunt inscientiæ simul ac impietatis arguuntur - - sed hac voce significari panem et vinum, facta consecratione, non typice neque figurative, neque per gratiam excellentem, aut communione vel præsentia solius divinitatis Unigeniti, converti in corpus et sanguinem Domini, nec panis et vini aliquod accidens in quoddam corporis et sanguinis accidens conversione aliqua vel alteratione mutari, sed vere et realiter et substantialiter panem quidem fieri ipsum verum Domini corpus, vinum autem ipsum Domini sanguinem [3]; » 6° Stephanus Iavorskii, qui in *Petra fidei*, tract. IV, *De sanctissima*

1. Cf. Schelstrate, *op. cit.*, pars II, p. 379.
2. *Perpétuité de la foi*, t. II, col. 1187.
3. Kimmel, t. I, p. 458-462.

Eucharistia, tum præsentiam realem, tum transsubstantiationem contra Lutheranos et Calvinistas fuso sermone confutat. In capite III secundæ partis, transsubstantiationis dogma, nostrorum scholasticorum instar, philosophiæ ope aliquatenus explicare conatur. Dicit species panis, quæ post consecrationem sine propria substantia remanent, *velare* corpus Christi, easque cum pelle serpentis a serpente relicta comparat. Vocem *pressuchtchestvlenie* (= μετουσίωσις (c. II ejusdem partis) ad exprimendam Ecclesiæ fidem esse aptissimam contra Reformatos ostendit; 7° Theophilus Papaphilus, qui dicit : « Accidentia panis franguntur et dividuntur, non vero substantia corporis Domini, quia accidentia panis non uniuntur naturaliter substantiæ corporis Christi [1]; » 8° Athanasius Pariensis, Eugenii Bulgaris discipulus, qui de accidentibus panis et vini hæc habet : « Per ineffabilem dispensationem, servantur sola panis et vini accidentia, quæ *subjectum absconditum habent substantiam dominici corporis et sanguinis*. Vere magnus Dominus, et mirabilia ejus opera ac stupenda : Quis novit vel audivit substantiam sine accidentibus, aut accidentia sine substantia?... Hic fit conversio substantiæ in substantiam, quæ aptissime dicitur transsubstantiatio [2]; » 9° Nicephorus Theotokis, in quodam *Sermone de communione* : « Deus, inquit, divinam Filii sui carnem accidentibus panis velat, ejusque deificatum sanguinem sub velamine accidentium vini nobis porrigit, ut ea facile accipere possimus... Remanent accidentia, sed substantia non est substantia panis, sed substantia corporis [3]; » 10° Præcipui compendiorum auctores recentioris temporis, ut Antonius [4], Macarius [5], Sylvester

1. *Op. cit.*, p. 31 : « Τὰ συμβεβηκότα τοῦ ἄρτου τέμνονται καὶ μερίζονται, καὶ ὄχι ἡ οὐσία τοῦ κυριακοῦ σώματος, διότι δὲν ἑνοῦνται φύσει τὰ συμβεβηκότα τοῦ ἄρτου μὲ τὴν οὐσίαν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ. »

2. *Op. cit.*, p. 367 : « Σῴζονται δὲ μόνα, κατ'οἰκονομίαν ἄρρητον, τὰ τοῦ ἄρτου καὶ τοῦ οἴνου συμβεβηκότα, κρύφιον ἔχοντα τὸ ὑποκείμενον τὴν οὐσίαν τοῦ δεσποτικοῦ σώματος καὶ αἵματος... Τίς οἶδεν ἢ τίς ἤκουσεν οὐσίαν ἄνευ συμβεβηκότων, ἢ συμβεβηκότα ἄνευ οὐσίας ; »

3. Λόγοι εἰς τὴν ἁγίαν καὶ μεγάλην τεσσαρακοστήν, Lipsiæ, 1766, p. 55-70 : « Ἀπομένουσι τὰ συμβεβηκότα, μὰ ἡ οὐσία δὲν εἶναι ἡ οὐσία τοῦ ἄρτου, ἀλλὰ εἶναι ἡ οὐσία τοῦ σώματος. »

4. *Op. cit.*, § 296, 300.

5. *Op. cit.*, p. 385, 399.

Malevanskii [1], Malinovskii [2], Mesoloras [3], Andrutsus [4], distinguunt quidem inter substantiam corporis Christi et accidentia vel species panis, citantque verba Confessionis Dosithei; verum in illorum dictis, elementum philosophicum aut nullum, aut admodum tenue deprehenditur. Hi enim auctores Scholasticam occidentalem plus minusve aversantur; in hoc potissimum insistunt quod transsubstantiatio (nomen quidem retinent) sit mysterium plane inexplicabile, jamque inter theologos secundæ classis, de quibus nunc dicendum, recenseri possent.

Hujus autem secundæ classis theologi ii sunt, ut diximus, qui, missa omni explicatione philosophica circa substantiam et accidentia, simpliciter affirmant *transsubstantiationem* idem significare ac *conversionem* ((μεταβολήν, μεταποίησιν) et post consecrationem manere *species* (= τὰ εἴδη, θεωρία, russice *vid* et *vidy)*. In hoc autem ab antiquis differunt, quod de Eucharistia necnon de corpore Christi eucharistico ita loquuntur, quasi in hoc sacramento duo perspicerent : corpus contentum vel velatum, et species continentes vel contegentes. Habent ergo modum loquendi sacramentarium, qui apud antiquos theologos byzantinos non comparet. Hic conceptus stricte dogmaticus inter theologos græco-russos inde a sæculo XIX communior evasit; cui favet ipsa *Confessio orthodoxa* Petri Moghilæ. In hac enim nulla adhibetur locutio, quæ colorem philosophicum proprie dictum præ se ferat [5]. Idem dicendum : 1° de decreto Callinici II contra

1. *Op. cit.*, t. IV, p. 538-539.
2. *Op. cit.*, p. 369-370, 375-377.
3. *Op. cit.*, p. 271-272, 288.
4. Συμβολική, p. 284-286, 291-293 : « Ἡ προβαλλομένη ἀφόρητος ἀντίφασις συμβεβηκότων ἄνευ φορέως δὲν εἶνε καὶ ὅλως ἀκατανόητος εἰς τὴν νεωτέραν φιλοσοφικὴν καὶ φυσικὴν θεωρίαν », p. 295; Δογματική, p. 351-355. In opere Δογματικαὶ μελέται, Athenis, 1907, p. 122-124, convenientiam locutionis : ὑπὸ τὰ τοῦ ἄρτου καὶ τοῦ οἴνου συμβεβηκότα tuetur adversus Dyovuniotam.
5. *Confessio* (I p., q. 106 et 107) hæc solum habet : « ὑποκάτω εἰς τὴν θεωρίαν τοῦ ἄρτου καὶ τοῦ οἴνου — Ἀπομένονται μόνον τὰ εἴδη ὅπου φαίνουνται. » Nec aliquid definitius habet *Parvus catechismus* Petri Moghilæ, anno 1645 polonice editus. Ibi enim simpliciter legitur : « Spiritus Sanctus... substantiam panis ac vini transmutat in substantiam corporis et sanguinis Christi, remanentibus solum ipsis speciebus

quaterniones (τὰ τετράδια) Joannis Caryophylli, Theophili Corydalei discipuli, qui usum vocis μετουσίωσις damnabat, ut dogma præsentiæ realis facilius everteret (1691)[1]. In hoc enim Callinicus vocem μετουσίωσις mire quidem exaltat ac tuetur, nullum tamen sensum philosophicum proprie dictum ei tribuit eamque omnino habet ut synonymam voci μεταβολή [2] : 2° de *Confessione fidei Chrysanthi Hierosolymitani*[3]; 3° de *Catechismo Philareti*, in quo quæstioni : *Quisnam sensus voci* « transsubstantiatio » *tribuendus sit*, ita respondetur :

« In expositione fidei patriarcharum orientalium (= Confessio Dosithei) dictum est : voce *transsubstantiatio* modum non explicari quo panis et vinum in corpus et sanguinem Christi convertantur, quia hoc nemo præter Deum ipsum comprehendere possit : sed *hoc indicari tantum quod vere, realiter ac substantialiter panis sit ipsum verum Domini corpus, et vinum, ipsum Domini sanguinem*[4]. »

Meletius Syrigus ipse, in sua Ἀντιρρήσει capitum Cyrilli Lucaris, ubi variis argumentis tum præsentiam realem, tum transsubstantiationem demonstrat, nihil profert quod ultra simplicem conceptum conversionis procedat præter locutiones sacramentarias communiter usurpatas, ut : σκεπάζεται τὸ σῶμα ὑποκάτω εἰς τὰ εἴδη τοῦ ἄρτου — παραδίδεται ὑποκάτω εἰς τὰ σύμβολα τοῦ ἄρτου — τοῦτα τὰ μυστήρια εἶναι ἀντίτυπα, ἀλλὰ βαστοῦσι (= portant, ferunt) καὶ οὐσιωδῶς τὸ τυπούμενον [5]. Ne ullum

panis ac vini. » Cf. A. Malvy-M. Viller, *La Confession orthodoxe de Pierre Moghila, métropolite de Kiev* (1633-1646), Parisiis et Romæ, 1927, p. CXXIV-CXXV (n° 39 commentarii : *Orientalia christiana).*

1. Hoc decretum invenies apud Mansi-Petit, *op. cit.*, t. XXXVII, col. 463-470, et apud Renaudotium, *op. cit.*, p. 189-198.

2. « Τὴν μετουσίωσιν οὐκ ἄλλο τι δηλοῦσαν δι' αὐτῆς, ἀλλ'αὐτὸ ἐκεῖνο ὅπερ καὶ ἡ μεταβολὴ ἐν τῷ μυστηρίῳ παρίστησιν. »

3. *Loc. cit.*; cf. supra, p. 198.

4. Philaretum explicationem scholasticam transsubstantiationis aversatum fuisse non uno constat indicio. Primum quidem vocem *transsubstantiatio* in duobus primis sui catechismi editionibus omiserat. Præterea, hanc vocem expunxit ex fidei formulis, quæ Lutheranis et Calvinistis ad Ecclesiam russicam accedentibus proponuntur. Item in versione russica Confessionis Dosithei, loco verborum græcorum « ὑπὸ τοῖς τοῦ ἄρτου συμβεβηκόσι », ponit : *pod vidom i obrazom* (= *sub specie et forma*) *panis.*

5. Ἀντίρρησις, fol. 123 *b.*

quidem verbum facit de accidentibus sine subjecto manentibus, nec aliud in sacramento revera perspicere videtur quam ipsum Christi corpus ac sanguinem [1].

Sæculo XVIII et sæculi XIX initio, quidam theologi russi, Theophanem Procopovitch imitati, voce *transsubstantiatio* de industria abstinebant, quin realem panis et vini in corpus et sanguinem Christi conversionem negarent, vel modum loquendi sacramentarium relinquerent, inter quos nominandi sunt Plato Levkhin [2], Sylvester Lebedinskii [3], Philaretus Gumilevskii [4], Philaretus Drozdov junior [5].

Habemus demum eos theologos, qui antiquum conceptum et modum loquendi *realisticum* omnino retinent, ut Jeremias II in *Responsis ad Reformatos* [6]; Metrophanes Critopulus in *Confessione fidei* [7]; Græci Veneti, qui cardinali Ghisano eos interroganti « num crederent substantiam panis et vini ita mutari ut nihil aliud remaneat quam

1. Modum loquendi plane realisticum usurpat post quosdam Patres antiquos : « Corpus Domini nostri per communionem accipimus, nostris oculis *illud sensibiliter contemplantes*, nostris manibus illud prehendentes, in os nostrum illud immittentes et manducantes, atque in hunc modum concorporei Christi efficimur, γινόμεθα σύσσωμοι μὲ τὸν Χριστόν, ejus carnibus et ossibus mystice enutriti. » *Ibid.*, fol. 138 *b*. Item, in *Responsis Paisii I patriarchæ Constantinopolis ad Niconem patriarcham Russorum* (an. 1654), quæ Meletium auctorem habent, ejusdem modi locutiones occurrunt : « Μερίζει εἰς τέσσαρα μέρη τὸν ἡγιασμένον ἄρτον, διατὶ οὗτος ὁ ἄρτος εἶναι τὸ σῶμα ἐκεῖνο τοῦ Χριστοῦ, ὅπου κόπτεται καὶ διαιρεῖται... Ὁ ἄρτος, ὅπου μεταλαμβάνομεν, εἶναι ὁ αὐτὸς Χριστὸς ὅπου ἔβλεπον οἱ ἀπόστολοι τότε. » Cf. *Khristianskoe Tchtenie*, 1881, t. I, p. 346-348.

2. *Op. cit.*, p. II, § 34 : « Sancta Eucharistia est sacramentum in quo fidelis *sub specie panis* ipsum Christi corpus accipit. »

3. *Op. cit.*, p. 500, 501 : « Modus quo corpus et sanguis Christi sub speciebus eucharisticis existit, singularis est », et p. 507 : « Panis appellatur *propter species accidentium externorum panis*, quæ in sensus incurrunt. »

4. *Op. cit.*, p. 166, n. 40, vocem *transsubstantiatio* ut barbaram habet ac rejicit; attamen locutiones : *sub specie panis, sub specie vini (pod vidom)* passim usurpat.

5. Cf. supra, p. 199, n. 1.

6. Mirum non est Jeremiam vocem μετουσίωσιν locutionesque scholasticas non adhibere, cum ejus responsa ex variis excerptis theologorum byzantinorum sint concinnata.

7. *Confessio fidei*, c. IX : « Ὁ δὲ τρόπος τοιαύτης μεταβολῆς ἄγνωστος ἡμῖν καὶ ἀνερμήνευτος. » Kimmel, t. II, p. 127.

accidentia panis et vini in esse perseverantia absque ulla substantia quæ ea sustentet », hanc responsionem dederunt :

« Credimus et confitemur panem in corpus Jesu Christi et vinum in ejus sanguinem ita mutari, *ut neque panis, neque accidentia ejus substantiæ amplius remaneant*, sed in divinam substantiam transelemententur... Non enim dixit Christus, ait Chrysostomus : « Hoc est figura » sed : *Hoc est corpus meum*... Nobis videtur esse panis, sed revera caro est [1]. »

His assentit Dyovuniotis, qui locutionem : *sub speciebus panis et vini*, ὑπὸ τὰ εἴδη τοῦ ἄρτου καὶ τοῦ οἴνου, damnat ut doctrinæ sacrae Scripturæ et Traditionis contrariam [2] :

« Christus enim, inquit, aperte dixit : *Hoc est corpus meum — Hic est sanguis meus*, non vero : *In hoc existit corpus meum — In hoc existit sanguis meus;* quod sane dixisset, si sub accidentibus panis et vini exstaret corpus ejus et sanguis, sicut transsubstantiationis theoria accipit ... Secundum sanctam Scripturam et sacram Traditionem, in Eucharistia *totus* panis et *totum* vinum convertuntur in corpus et sanguinem Domini, et non tantum pars eorum, ea scilicet quæ est interna et invisibilis et solo intellectu apprehensa. Unde theoria Ecclesiæ occidentalis [3], utpote absurdis præsuppositis innixa et omni fundamento carens, tum in sancta Scriptura tum in sacra Traditione, admittenda non est. Ecclesia orientalis, rectissime agens, hanc transsubstantiationis theoriam nunquam recepit (!), etsi vocem μετουσίωσις usurpavit, illam habens termino μεταβολή synonymam : neque scholasticas theorias et præsupposita, supra quibus transsubstantiatio fundatur, unquam amplexa est [4]. »

1. *Perpétuité*, t. IV, col. 327-328.

2. Ἡ Δογματικὴ τοῦ Χ. Ἀνδρουτσου κρινομένη, Athenis, 1907, p. 58; Ὀφειλομένη ἀπάντησις, Athenis, 1908, p. 141-146.

3. Dyovuniotis nomine *theoriæ Ecclesiæ occidentalis* intelligit explicationem scholasticam transsubstantiationis, quam cum dogmate a concilio Tridentino definita confundere videtur.

4. Τὰ μυστήρια, Athenis, 1913, p. 105 : « Κατά τε τὴν ἁγ. Γραφὴν ἄρα καὶ τὴν ἱερὰν παράδοσιν ἐν τῇ εὐχαριστίᾳ μεταβάλλεται ὅλος ὁ ἄρτος καὶ οἶνος εἰς σῶμα καὶ αἷμα τοῦ Κυρίου καὶ οὐχὶ μέρος τούτων, καὶ δὴ τὸ ἐσωτερικὸν καὶ ἀόρατον, τὸ διὰ τῆς νοήσεως μόνης καταvοούμενον. Κατὰ ταῦτα ἡ θεωρία τῆς δυτικῆς Ἐκκλησίας ὡς στηριζομένη ἐπὶ ἀτόπων προϋποθέσεων καὶ μὴ δυναμένη νὰ στηριχθῇ ἐπὶ τῆς ἁγ. Γραφῆς καὶ τῆς ἱερᾶς Παραδόσεως δὲν δύναται νὰ γείνῃ ἀποδεκτή. »

Quid veri, quid falsi in his theologi græci verbis occurrat, ex supra dictis lector facile dignoscere potest. Hoc vero Dyovuniotæ merito tribuendum, quod systema philosophico-theologicum nostrorum scholasticorum satis bene intellexit ac retulit, dum, e contra, inter Russos haud pauci nuper exstabant qui, ut Veteribus Catholicis complacerent, vel potius ab eis in errorem inducti, de doctrina Ecclesiæ catholicæ ejusque theologorum circa transsubstantiationem mira, stupenda ac falsissima scripsere, quæ per singula referre supersedemus [1]. Hi Veterum Catholicorum amici voci *transsubstantiatio* bellum indixerunt, eamque ex Ecclesiæ græcæ theologia penitus expellere vellent; quibus plerique theologi russi, et etiam græci, minime suffragati sunt, quanquam et ipsi veram Ecclesiæ catholicæ doctrinam haud semper recte exponunt, elucidationem philosophico-theologicam perperam intelligentes, eamque cum doctrina a concilio Tridentino definita confundentes [2].

1. De transsubstantiatione quæstio sæpe mota est inter Veteres Catholicos et theologos russos, inde a collationibus Bonnensibus (1874-1875), et præsertim ab anno 1892. Veteres Catholici, ad calvinismum vel lutheranismum plus minusve propensi, a doctrina theologorum catholicorum de transsubstantiatione abhorrebant, cui sensum capharnaiticum ac plane materialem gratis tribuebant; neque distinguebant inter id quod est de fide catholica definita et explicationem philosophico-theologicam inter doctores catholicos communiter receptam. Eorum vestigiis inhæserunt illi theologi russi qui unionem cum ipsis possibilem putarunt ac totis viribus promovere conati sunt, inter quos enituerunt N. Iak. Bieliaev, Yanychev, dux Kireiev, P. Ia. Svietlov. Documenta ad has controversias pertinentia invenies tum in *Revue internationale de Théologie* doctoris Michaud, passim, tum in commentariis russicis : *Tserkovnyi Viestnik*, *Bogoslovskii Viestnik*, ab anno 1893 ad annum 1908.

2. Cf. v. g., ea quæ Sergius episcopus de transsubstantiatione scripsit in *Revue internationale de théologie*, 1904, p. 164-170. Ch. Papadopulus in suo articulo : Δοσίθεος πατριάρχης Ἱεροσολύμων, in commentario Νέα Σιών, 1907, p. 124, hæc de theologis catholicis scripsit : « Οἱ θεολόγοι δυτικοὶ ἠθέλησαν κυρίως (διὰ τοῦ ῥήματος μετουσίωσις) νὰ ἐξηγήσωσιν τὴν φυσικοχημικὴν μεταβολὴν τοῦ ἄρτου καὶ οἴνου οὐχὶ πνευματικῶς, ἀλλ'αἰσθητῶς καὶ ὑλικῶς εἰς σῶμα καὶ αἷμα τοῦ Κυρίου, τεχνολογοῦντες μᾶλλον ἢ θεολογοῦντες, δι'ἀκαίρου πολυπραγμοσύνης θελήσαντες νὰ καταστήσωσι τὸ ἀκατάληπτον μυστήριον κατάληπτον. » In eodem tomo ejusdem Νέα Σιών p. 700-702, alius theologus græcus, S. Balanus, recte animadvertit doctrinam catholicam, prout a concilio

IV. — De transsubstantiatione aquæ vino immixtæ.

Parum aquæ vino miscendum esse docent Byzantini sicut alii Orientales, præter Armenos dissidentes; cujus mystica significatio declaratur his verbis a sacerdote prolatis, dum diaconus, in ritu τῆς προθέσεως, aquam in calicem infundit : *Et unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua* (Joan., XIX, 34). Porro hanc aquam una cum vino per verba consecrationis in Christi sanguinem converti communiter tenent theologi catholici, quanquam de modo quo hæc conversio fiat inter se disputant, aliis aquam *directe* in sanguinem Christi transsubstantiari, aliis vero *indirecte*, mediante vino, opinantibus. Græco-Russi recentiores hanc quæstionem in suis compendiis non movent, sed simpliciter affirmant vinum in sanguinem Christi transmutari. Quidam autem inter antiquos aquam una cum vino converti *explicite* docuerunt, inter quos veniunt sanctus Joannes Damascenus, qui in uno capite de Eucharistia (*De fide orth.*, l. IV, c. XIII) hoc ter repetit [1]; Theorianus philosophus, in *Disputatione II cum Nersete* [2];

Tridentino definita est, non differe κατ'ουσίαν a doctrina conversionis (μεταβολή) antiquorum : « Μεταβολή, ὡς καὶ ἡ μετουσίωσις, σημαίνει ὅτι ἡ οὐσία τοῦ ἄρτου καὶ τοῦ οἴνου μεταβάλλονται, μετατρέπονται εἰς τὴν οὐσίαν τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ. Ἡ δὲ Τριδεντινὴ σύνοδος οὔτε ζητεῖ νὰ ἐξηγήσῃ πῶς κατορθοῦται ἡ μετουσίωσις αὕτη. » Κρίσις τῆς δογματικῆς τοῦ Ἀνδρούτσου. Quidam Protestantes, ut Steitz, *op. cit.*, et præsertim Kattenbusch, *Lehrbuch der vergleichenden Confessionskunde*, t. I, *Die orthodoxe anatolische Kirche*, Freiburgi, 1892, p. 416-418, multiplices et graves differentias inter μεταβολὴν antiquorum Græcorum et μετουσίωσιν recentiorum adinvenerunt. W. Gass, e contra, *Symbolik der griechischen Kirche*, Berolini, 1872, p. 277, fatetur nullam exstare differentiam essentialem inter τὴν μεταβολὴν καὶ τὴν μετουσίωσιν.

1. *P. G.*, t. XCIV, col. 1140 A, 1144 A, 1145 A : « Ὁ τῆς προθέσεως ἄρτος, οἶνός τε καὶ ὕδωρ διὰ τῆς ἐπικλήσεως καὶ ἐπιφοιτήσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος ὑπερφυῶς μεταποιοῦνται εἰς τὸ σῶμα Χριστοῦ καὶ τὸ αἷμα. »

2. *P. G.*, t. CXXXIII, col. 249-266, ubi invenies totam disputationem Theoriani cum Nersete de aqua vino miscenda. Ut Armenum persuadeat, philosophus græcus sequens promit argumentum : « Εἰπὼν [ὁ Κύριος] αἷμα, τὸ ἐξ οἴνου καὶ ὕδατος γεγονὸς ἐδήλωσεν· οὐ γὰρ ἐκ μόνου οἴνου τὸ τοῦ Κυρίου αἷμα συνέστη, ἀλλὰ ἐξ ὕδατος, ὡς ἔδειξεν ὁ Νύσσης Γρηγόριος », col. 264 C.

Nicolaus Methonensis [1], Theophanes Nicænus [2]. Dubium non est quin moderni, qui de hac quaestione silent, cum illis antiquis plane consentiant.

V. — De transsubstantiatione particularum seu τῶν μερίδων [3].

In celebrando missæ sacrificio, Byzantini hoc peculiare servant quod non unam tantum hostiam principalem, quam *Agnum* (τὸν Ἀμνόν) vocant, sed etiam alias hostias minores seu particulas, μερίδας græce nuncupatas, offerunt; quas jam in præparatione materiæ sacrificii quæ in altari τῆς προθέσεως fit, circa *Agnum* in disco seu patena certo ordine disponunt. Secundum usum communiter receptum, quinque panes integri, qui προσφοραί (= *oblationes*) appellantur, ad altare τῆς προθέσεως afferuntur. In prima *prosphora*, celebrans τὸν Ἀμνον *(Agnum)*, qui Christum ipsum repraesentat, incidit; ex secunda *prosphora*, excidit particulam (μερίδα) in honorem et memoriam beatissimæ Mariæ Virginis; ex tertia excidit novem μερίδας in honorem angelorum et sanctorum omnium, ex quibus aliqui nominatim designantur; ex quarta excidit μερίδας pro vivis, quorum nomina recitantur; ex quinta demum μερίδας pro defunctis, qui pariter nominatim commemorantur, relicta cæteroquin facultate celebranti offerendi specialiter sacrificium pro illo, aut illis, quos ipse maluerit. Similiter et reliqui sacerdotes celebranti adsistentes, et diaconi ipsi, si velint, tollunt particulas pro iis quoque nominatim qui sibi commendati sunt [4]. Usque ad

1. *Ad eos qui dubitant*, *P. G.*, t. CXXXV, col. 513 : « Τί πάλιν ζητεῖς αἰτίαν καὶ τάξιν φύσεως τῆς τοῦ ἄρτου μεταβολῆς εἰς τὸ τοῦ Χριστοῦ σῶμα καὶ τοῦ ὕδατος καὶ οἴνου εἰς αἷμα; »

2. *Epist.* III, 7; *P. G.*, t. CI, col. 340 B.

3. De hac quæstione agunt : 1° Arcudius, *op. cit.*, l. III, c. VIII-XVIII, p. 175-219; 2° Demetrius Pepanus, *Opera*, Romæ, 1781, t. II; *De Eucharistiæ sacramento*, c. V, p. 75-94; 3° S. Pétridès, *La préparation des oblats dans le rite grec*, in *Échos d'Orient*, t. III (1900), p. 65-78. Aliquid etiam habet L. Andrieu, *La consécration par contact dans les documents liturgiques du Moyen Age. Immixtio et consecratio*, in *Revue des sciences religieuses*, t. IV (1924), p. 288-295.

4. Numerus oblationum seu τῶν προσφορῶν pro temporum diversitate necnon pro Ecclesiarum consuetudine variavit. In quibusdam Ecclesiis, unus tantum panis seu προσφορά offerebatur, ex quo tum

sæculum XVII. hujusmodi particulæ, ante communionem fidelium, in calicem una cum aliis particulis ex magna hostia seu *Agno* decisis [1] ubique immittebantur. Recentiori vero tempore, in plerisque Ecclesiis dissidentibus, propter rationem mox afferendam usus invaluit eas nonnisi post communionem fidelium pretioso sanguini Christi uniendi. Hujus ritus mysticus sensus facile detegitur : Particulæ siquidem totum corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia in tres partes nunc divisa (triumphans, patiens ac militans), repræsentant suo capiti Christo in oblatione sacrificii conjunctum et sacrificii fructus diverse percipiens [2].

Agnus, tum μερίδες excidebantur : quod et nunc inter Orientales catholicos sæpe observatur. In quibusdam *Trebnikis* seu Euchologiis sæcul. XV et XVI. sex prosphoræ memorantur, quia quinque jam indicatis una specialis additur pro toto ordine clericorum. Inde a sæculo XVII. in quibusdam Trebnikis russicis, septem prosphoræ præcipiuntur, quarum quarta est pro hierarchia ecclesiastica, quinta pro tsaro ejusque domo, sexta pro omnibus christianis orthodoxis, septima pro defunctis. Porro hunc numerum septem oblationum retinuerunt Starovieri russi, dum Nicoviani, juxta Ecclesiæ Constantinopolitanæ usum, quinque tantum offerunt. Inde speciale caput dissensionis inter utrosque : de quo non pauca scripserunt polemistæ utriusque Confessionis. Cf. Plotnikov, *op. cit.*, p. 137-141.

1. Non sunt confundendæ particulæ ex *Agno* sectæ, quæ certe consecratæ sunt, cum particulis in prothesi incisis in honorem sanctorum et pro vivis ac defunctis : quarum consecratio a voluntate pendet sacerdotis.

2. Ritus τῶν μερίδων origo saltem a sæculo XII repetenda est. Etenim in cod. *Paris. Coisl. 364*, anno 1295 scripto, occurrunt *Capita canonica et liturgica Nicolai patriarchæ*, qui potest esse vel Nicolaus III Grammaticus (1084-1111) vel Nicolaus IV Muzalon (1147-1151), in quibus, fol. 210 *b*-211 *a*, hæc de prosphoris ponuntur : « Τὴν ὑφωθεῖσαν προσφορὰν οὐδεὶς φαγὼν ἄψεται ἐξ αὐτῆς, ἀλλὰ οἱ νήστεις ὄντες δαπανήσουσιν ταύτην ἐν ᾠδῇ καὶ [μετὰ] προσοχῆς πολλῆς, μήπως ἐξ ἀμελείας [ἢ] καταφρονήσεως ἐξ αὐτῆς τι ἐν τῷ ἐδαφει [καταπεσῃ]. καὶ ἐσονται κατάκριτοι ὑπὸ τοῦ Κυριου. ἀλλ' οὐδὲ ἔξω τῆς τοῦ Θεοῦ ἁγίας ἐκκλησιας ἐξελθοι, εἰ μὴ εἰς ἀρρωστον. Ἡ δὲ μετὰ τὴν συραχισθεῖσαν εἰς τὴν τιμὴν τῆς παναγιας Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας μονῃ βρωθήσεται μεμονωμένως ὑπὸ τῶν πιστῶν μὴ μετὰ κρεατος ἢ γαλακτος τυροῦ καὶ ᾠῶν μιγεῖσα· τὰς δὲ λοιπὰς καὶ αὐτὰς τὰς προσκομισθείσας προσεκτέον δεῖ μὴ εἰς διατροφὴν ζῴου οἱουδήτινος παρεχειν. Ὀφειλει δὲ ὁ ἱερεὺς διακρινειν τὰς τῶν ἁγίων καὶ τὰς τῶν ζώντων ἀνθρωπων καὶ τεθνεώτων, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὸν λαὸν καί ἅγια προστιθεναι. » Ex quibus colligi potest, tempore hujus Nicolai,

Jam vero, ut hujus *modi* sensus mysticus distinctius servaretur, communior semper fuit inter theologos dissidentes quum antiquos tum recentiores hæc sententia : τὰς μερίδας scilicet in corpus Christi non converti, sed tantum aliquam sanctificationem (τὸν ἁγιασμόν, ex sua tum cum corpore tum cum sanguine Christi conjunctione participare: eodem fere pacto, quo sancti per gratiam non quidem in ipsam divinitatem transmutantur, sed participative (κατὰ μετοχήν) tantum dii efficiuntur. Hanc sententiam explicite docuerunt : 1° Simeon Thessalonicensis, sæculo XV [1]; 2° sæculo XVI, Gabriel Severus, metropolita Philadelphiensis, qui opusculum de hac quæstione conscripsit [2]; 3° sæculo XVII, patriarchæ Constantinopolitani Paisius I (1654, [3] et Metho-

προσφορὰς in honorem sanctorum et pro vivis ac defunctis, quæ a particulis non distinguuntur, non habitas fuisse ut vere consecratas, sed tantum ut panes benedictos De ipso ritu τῶν μερίδων, non vero, ut videtur, de earum consecratione, quæstionem moverunt Latini apud Græcos, statim post concilium Florentinum. Quæsierunt nempe, ait Dorotheus Mitylenensis, « quare particulas dividimus ἐν τῇ προσκομιδῇ, illasque divino et dominico pani unimus. » Dorotheus recte atque canonice solvit difficultatem. Cf. *Acta concilii Florentini*, ed. cit., p. 323-324.

1. *De sacra Liturgia*, c. XCIV, *P. G.*, col. 281 : « « Πλὴν οὐ μετάβάλλονται αἱ μερίδες ἢ εἰς σῶμα δεσποτικὸν ἢ εἰς τὰ σώματα τῶν ἁγίων, ἀλλὰ μόνα δῶρά εἰσι καὶ προσφοραὶ καὶ θυσίαι δι' ἄρτου κατὰ μίμησιν τοῦ Δεσπότου. » Unde sacerdos fidelibus in communionem eas distribuere non debet, *ibid.*, col. 284 D. De particulis, earum significatione ac salutari efficacia non semel loquitur Simeon · Cf. *Expos. de templo*, 102, 103, col. 748-749; *Responsa 46 et 47 ad Gabrielem Pentap.*, col. 892-894. Cf. *Perpétuité de la foi*, t. IV, col. 373-381, de doctrina Simeonis circa hanc quæstionem.

2. Venetiis anno 1604 editum una cum opusculis *De ritu Magni Ingressus* et *De colybis ;* a Rich. Simone, *op. cit.*, recusum. Ut suam firmet doctrinam, hoc inter alia affert argumentum : « Quemadmodum sanctorum animæ circa lumen divinitatis existunt, non tamen natura Deus fiunt, sed secundum participationem tantum, κατὰ μέθεξιν; ita etiam particulæ, quamvis uniantur cum carne Domini ac sanguine, non transmutantur, sed μετοχικῶς sanctificationem participant. »

3. *Loc. cit.*, p. 349-350, ubi Paisius (per manum Meletii Syrigi) ad criminationes Latinorum contra Græcos de mistione particularum cum corpore et sanguine Domini alludit. In fine hæc addit : « Πρέπει νὰ προσέχῃ ὁ ἱερεὺς νὰ μὴ μεταδόσῃ τινὸς χριστιανοῦ νὰ μεταλάβῃ ἀπὸ τὰς μερίδας τῶν ἀνθρώπων, νὰ μὴ πέσῃ εἰς εἰδωλολατρείαν. »

dius III (1668-1671)[1] in *Responsis ad Moscovitas*; 4° sæculo XVIII, Dositheus Hierosolymitanus[2], Sevastus Kymenetes[3], *Pidalii* auctores[4]. Huic etiam hodie adhaerent pleraeque Ecclesiæ dissidentes, paucis exceptis[5]. Porro, cum hujusmodi particulas ut consecratas non habeant nec consecrationem per contactum seu immixtionem admittant, eas in calicem immittere præcipiunt non ante sed post communionem fidelium, ne celebrans periculo exponatur communicantibus dandi, loco corporis Christi, simplicem panem benedictum[6]; quod periculum sane exstitit, quamdiu antiquus usus easdem pretioso sanguini ante communionem uniendi perseveravit.

Cæterum, quidam antiqui theologi ante Simeonem Thessalonicensem, ut Pseudo-Germanus[7], has particulas per mixtionem cum sanguine Christi necnon per contactum particularum ex *Agno* sublatarum revera consecrari putasse videntur. Alii, e contra, ut Nicolaus Cabasilas[8], eas una

1. *Loc. cit.*, col. 1187 : « Quidam recentiorum præter Ecclesiæ consuetudinem sacrificant particulas, quæ ad honorem sanctorum et memoriam fidelium offeruntur. Nos vero acquiescentes traditioni amatorum Christi Patrum, neque intentionem habemus consecrandi has particulas in sacra liturgia, neque ex his fidelibus communicantibus præbemus, sed tantum ut panem sanctificatum honoramus..., nequaquam ut corpus Domini adoramus. »

2. Dositheus usum particulas consecrandi, qui inter Kiovienses vigebat, exstirpare conatus est. Cf. ejus *Epistolam ad Callinicum II*, patriarcham œcumenicum, mense septembri anno 1701 datam, apud Delicanis, Πατριαρχικὰ ἔγγραφα, t. III, p. 211.

3. In suo opere : Δογματικὴ διδασκαλία, κτλ., Bucarestii, 1703; de quo vide t. I hujus operis, p. 519.

4. *Ed. Ath.*, 1908, p. 241.

5. Rumeni dissidentes, Kiovienses et Catholicos ritus byzantini imitantes, τὰς μερίδας consecrare consueverunt.

6. Cf. *Pidalion*, *loc. cit.*, et recentiorum euchologiorum slavicorum vel græcorum rubricas.

7. Ἱστορία ἐκκλησιαστικὴ καὶ μυστικὴ θεωρία,, *P. G.*, t. XCVIII, col. 449 : « Μετέχων ἐκεῖνος ὁ θεῖος ἄρτος τοῦ ἁγιασμοῦ, μεταδίδωσι καὶ τοῖς ἄλλοις τιμίοις δώροις· ὁμοίως καὶ τῷ ποτηρίῳ μεταδίδωσι τοῦ ἁγιασμοῦ καὶ τῆς χάριτος. »

8. *Expositio liturgiæ*, c. I.; *P. G.*, t. CL, col. 484-485 : « Commemoratio sanctorum bis fit : primum quidem in principio sacrificii, quando dona offeruntur [= μερίδες in eorum honorem seponuntur]; secundo autem, *quando sacrificantur* : « πρῶτον μὲν, ὅτε ἀνατίθεται τὰ δῶρα, δεύτερον δὲ, ὅτε θύεται. »

cum Agno per verba consecrationis transsubstantiari dixerunt. Hanc ultimam sententiam sæculo XVII, Græcis reclamantibus, Petrus Moghila aliique Kiovienses sine dubitatione amplexi sunt, recte animadvertentes solutionem quaestionis de transsubstantiatione hujusmodi particularum totam pendere ab intentione sacerdotis celebrantis [1]. Catholici vero ritus byzantini in communionem fidelium τὰς μερίδας consecrare solent [2].

VI — De transsubstantiatione τοῦ ζέοντος necnon de consecratione per contactum apud Græcos.

Usus infundendi parum aquæ calidæ in calicem ante communionem in ritu byzantino perantiquus est, jamque tempore Mauritii imperatoris (582-602) vigebat [3]; cujus mystica significatio non una et eadem a diversis auctoribus affertur. Ex sacræ liturgiæ contextu, illa probabilior ac præponenda videtur, quam Nicolaus Cabasilas tradit in cap. 37 *Expositionis Liturgiæ :* Τὸ ζέον significat Sancti Spiritus descensum et adventum in Ecclesiam, qui Pentecostes die, peracto dominicæ incarnationis mysterio, factus est : « Hæc enim aqua, cum et aqua sit, et ignis sit particeps, significat Spiritum Sanctum, qui et aqua dicitur et tanquam ignis apparuit, in Christi discipulos dilapsus... Per mysteria autem significatur Ecclesia, quæ et tunc accepit Spiritum Sanctum, et postquam Christus in cælos assumptus est, etiam nunc accipit donum Spiritus [4]. » Unde sacerdos τὸ

1. Cf. *Introduct. ad sacramentum Eucharistiæ*, in *Trebniko Petri Moghilæ*, Kioviæ, 1646, p. 230-231 : Sacerdos monetur, ut intentionem habeat consecrandi omne quod in patena ponitur : « Etenim, si particulæ non consecrantur, simplex panis manent, nec sanctificare valent eos, pro quibus offeruntur. Si has particulas consecrare intendisti, eas utique fidelibus pro communione distribuere potes; si vero hanc intentionem non habuisti, fidelibus communicantibus illas dare non audeas. »

2. Synodus Zamosciæ anno 1720 habita Ruthenis catholicis particulas consecrare expresse jussit. *Synodus provinc. Ruthen.*, 2ª ed., Romæ, 1838, p. 84.

3. Cf. J. Pargoire, *L'Église byzantine de 527 à 847*, Parisiis, 1905, p. 101-102.

4. *P. G.*, t. CL, col. 452.

ζέον benedicens, dicit : « Benedictus sanctorum fervor, εὐλογημένη ἡ ζέσις τῶν ἁγίων », et diaconus aquam illam infundens, addit : « Fervor fidei plenus Spiritu Sancto, ζέσις πίστεως πλήρης Πνεύματος ἁγίου. » Duplicem aliam hujus ritus mysticam rationem proferunt Theodorus Balsamon [1] et Simeon Thessalonicensis [2] : Τὸ ζέον est symbolum tum illius aquæ *calidæ* [3], quæ ex Christi mortui latere effluxit, tum ipsius divinitatis, quæ a corpore Christi etiam exanimi nunquam separata est, sed ei semper hypostatice unita remansit [4].

Ut jam diximus [5], Medio Ævo, Latini ritum τοῦ ζέοντος haud semel reprehenderunt, auctoritate sancti Thomæ, ut videtur, innixi, qui dicit (*Sum. Theolog.*, IIIª p., q. LXXXIII, art. 6 ad quartum ; cf. ejusdem p., q. LXXVII art. 8 ad quartum) : « Nullo modo debet aquæ vino jam consecrato misceri, quia sequeretur corruptio sacramenti pro aliqua parte. » Unde etiam in concilio Florentino, post subsignatum unionis decretum, Græci de hujusmodi ritu a Latinis interrogati sunt probatamque responsionem dederunt [6] ; neque deinceps Ecclesia romana hunc usum unquam damnavit ; quem, ipsa approbante, Catholici ritus byzantini communiter obser-

1. *Responsum 18 ad interrogationes Marci Alexandrini ; P. G.*, t. CXXXVIII, col. 969-972.

2. *De divino templo*, 94 ; *P. G., t. cit.*, col. 741-744 ; *Resp. 58 ad Gabrielem, ibid.*, col. 912. Nota Simeonem non loqui de aqua, quæ de latere fluxit, sed explicationi Cabasilæ addere eam significationem, quæ ex unione hypostatica desumitur ; et jure quidem ; nam ex ipsis sacræ liturgiæ verbis, quæ in prothesi, dum diaconus aquam in calicem infundit, proferuntur, patet aquam, quæ de latere Christi mortui manavit, per aquam frigidam, quæ tunc vino commiscetur, præfigurari. Cf. supra, p. 218.

3. Aquam, quæ de latere Christi fluxit, calidam fuisse Evangelium non dicit, asserunt tamen quidam Byzantini, ut Pseudo-Germanus, *op. cit. ; P. G.*, t. XCVIII, col. 449 B ; Matthæus Blastares, *Syntagma, litt.* K, c. VIII ; *P. G.*, t. CXLIV, col. 1360-1361.

4. De mystica significatione τοῦ ζέοντος, cf. etiam Goarium, *op. cit.*, p. 127-128, *n. 166 in S. Joan. Chrysostomi missam ;* Nic. Bulgarim, *op. cit.*, p. 230-234. Matthæus Angelus Panaretus in suo opusculo Περὶ ζέοντος, *Roma e l'Oriente*, t. X (1915), p. 146-148, τὸ ζέον habet ut divinitatis symbolum, quæ corpori Christi mortuo unita remansit.

5. Vide, p. 178.

6. « Διατί χέομεν ζέον ὕδωρ ἐν τῷ ἁγίῳ ποτηρίῳ. » *Acta conc. Flor.*, ed. cit., p. 323.

vant [1], saltem quotiescumque hoc commode fieri potest. Et revera præsentiæ reali Christi sub specie vini non officit, neque sacramentum corrumpit aqua illa, dummodo in minima quantitate infundatur [2].

Dogmatice autem quæri potest num in sanguinem Christi convertatur. Porro neminem invenimus inter Græco-Russos hoc affirmantem; qui omnes de hac quæstione penitus tacent. Matthæus Blastares vero Latinorum criminationi sic respondebat :

« Aqua illa unionem quæ per vinum et aquam in calice facta est non transmutat, quandoquidem non differt natura ab aqua prius infusa. Testatur solum magnitudinem miraculi, eo quod etiam gustu nobis suadet sanguinem et aquam non ex mortuo sed vivo effluxisse corpore... E dominico corpore veluti vivo ac vivifico sanguis et aqua effluxerunt [3]. »

Fuisse autem inter Byzantinos qui crediderint τὸ ζέον per immixtionem in sanguinem Christi converti omnino verisimile est, cum constet non defuisse qui tum μερίδας τῆς προθέσεως, tum præsertim vinum in missa præsanctificatorum adhibitum per contactum seu immixtionem consecrari docuerint; inter quos Pseudo-Germanum jam invenimus quantum ad consecrationem particularum. De vino autem præsanctificatorum hoc idem affirmarunt : 1° Michael Cærularius in opella nondum edita *De liturgia præsanctificatorum*, qui prohibet ne panes *præconsecrati*, qui ad missas præsanctificatorum reservantur, sacro sanguine cochlearis ope intingantur, ut jam dudum ubique fit, propterea quod, inquit, « tempore communionis instante, *præsanctificatus et antea perfectus sanctus panis in mysticum calicem injicitur; et sic vinum quod in eo est in sanctum sanguinem Domini*

1. Synodus Zamosciensis tamen usum τοῦ ζέοντος Ruthenis interdixit : « Inhibet sancta Synodus gravem ob causam et abrogat toleratam in orientali Ecclesia consuetudinem ad consecratas calicis species aquam tepidam effundendi post consecrationem, ante communionem. » Ed. rom., 1838, p. 91.

2. Cf. Arcudium, *op. cit.*, l. III, c. xxxix, p. 320-322.

3. *Op. et loc. cit.* : « Οὐ γὰρ μεταβάλλει τοῦτο τὴν δι'οἴνου καὶ ὕδατος τοῦ ποτηρίου ἕνωσιν, ἐπεὶ μὴ ἔστιν ἕτερόν τι τὴν φύσιν τοῦ πρὶν ἐμβληθέντος ὕδατος. »

immutatur atque converti creditur; posthæc sequitur sacrorum mysteriorum communio [1] »; 2° Auctor anonymus ab Allatio citatus [2], qui Cærularii sententiæ adhæret, eamque implicite tribuit Ecclesiæ Constantinopolitanæ, dum testatur in Magna Ecclesia panes præsantificatos sanguine dominico per cochlear non intingi; quod etiam testimonio C. Harmenopuli sæculo XIV confirmatur [3]. Verum idem Anonymus testatur usum intinctionis præsanctificatorum in multis Ecclesiis existere [4]; ex quo colligere possumus sententiam Cærularii de consecratione vini per contactum hostiæ præconsecratæ inter Byzantinos communem nunquam evasisse. Usus vero panem præconsecratum pretioso Christi sanguine intingendi incipere debuit, ex quo speciem vini pro præsanctificatorum missa reservare cessarunt [5]. Hujus autem originem rationibus polemicis explicare, quasi Græci eum introduxerint, ut communionem sub una tantum specie Latinis tanquam nefandam novitatem impune exprobrare possent, manifestus error esset. Multo enim antequam Græci de communione sub una specie Occidentales redarguerent — quod primum accidit sæculo XIV mediante [6] — usus intinctionis in Oriente, et etiam Constantinopoli, invaluerat. Tempore enim Simeonis Thessalonicensis, ritus hujusmodi communiter servabatur. Ipse Simeon de consecratione vini per contactum hostiæ præsanctificatæ pretioso Christi sanguine prius intinctæ obscuriora quædam habet; qui, quanquam consecrationem particularum per immixtio-

1. « Ἐμβάλλεται ὁ προαγιασθεὶς καὶ προτελειωθεὶς ἅγιος ἄρτος εἰς τὸ μυστικὸν ποτήριον, καὶ οὕτως ὁ ἐν τούτῳ οἶνος εἰς ἅγιον αἷμα τοῦ Κυρίου μεταβάλλεται καὶ πιστεύεται μεταβάλλεσθαι. » Apud Allatium, *De missa præsanctificatorum, loc. cit.*, col. 1587.

2. *Ibid.*, col. 1593.

3. *Epitome canonum*, sectio II, tit. V, in can. 52 Trullanum, *P. G.*, t. CI, col. 97 C. Beatum illum Joannem, de quo hic loquitur Harmenopulus, quidam putant esse Joannem Jejunatorem.

4. « Ἑώρακα πολλαχοῦ τοὺς μὲν τῶν ἱερέων ἐν τῷ μέλλειν τὰ προηγιασμένα φυλάττειν τῷ δεσποτικῷ διὰ τῆς λαβίδος αἵματι χρίοντας, οὕτως ἀποτιθέναι, τοὺς δὲ μηδὲν τοιοῦτον ποιοῦντας. » Allatius, *ibid.*, col. 1593.

5. Primitus enim, ut videtur, tum species panis, tum species vini reservabatur. Cf. L. Andrieu, *op.* et *loc. cit.*, p. 276 sq.

6. Cf. quæ dicuntur infra, p. 309.

nem diserte negat, Cærularii tamen sententiam quantum ad vinum præsanctificatorum amplecti videtur [1].

VII. — De effectu transsubstantiationis seu de modo præsentiæ realis Christi in Eucharistia.

« Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, ait concilium Tridentinum, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus verumque ejus sanguinem, sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate existere; sed corpus quidem sub specie panis et sanguinem sub vini specie ex vi verborum; ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis et concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam *ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus* (Rom., VI, 9), inter se copulantur: divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore et anima hypostaticam unionem. *Quapropter verissimum est tantumdem sub alterutra specie atque sub utraque contineri. Totus enim et integer Christus sub panis specie et sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie et sub ejus partibus existit.* Si quis ergo negaverit, in venerabili sacramento Eucharistiæ, sub unaquaque specie et sub singulis cujusque

1. *Ad Gabrielem Pentap.* quæstio 57; *P. G.*, t. CLV, col. 909 : « Οὐ τῇ ἐπικλήσει τοίνυν τοῦ ἁγίου Πνεύματος καὶ σφραγῖδι [σφραγῖδι, id est *signo crucis*, quod sacerdos format super oblata, quando verba epicleseos profert] τὰ ἐν τῷ ποτηρίῳ ἐν τῇ προηγιασμένῃ λειτουργίᾳ καθαγιάζεται, ἀλλὰ τῇ μετοχῇ καὶ ἑνώσει τοῦ ζωποιοῦ ἄρτου, σώματος ἀληθῶς ὄντος τοῦ Χριστοῦ καὶ ἡνωμένου τῷ αἵματι : Non invocatione Spiritus Sancti et crucis signo, quæ in calice sunt in præsanctificatorum missa sanctificantur [vel potius *consecrantur;* animadverte enim Simeonem non dicere simpliciter ἁγιάζεται, sed καθαγιάζεται, id est : *perfecte sanctificantur*], sed participatione et unione vivifici panis, qui vere corpus Christi est et sanguini [per præcedentem intinctionem scilicet] unitus. » Quæ cum iis, quæ Simeon in *Resp.* 83, col. 952, dicit, pugnare videntur. Notandum in missa præsanctificatorum, communionem tum celebrantis, tum diaconi, tum populi apud Græcos formulis consuetis semper factam fuisse et nunc etiam fieri; apud Slavos vero, in recentioribus euchologiis, sacerdotem, dum seipsum communicat sub specie panis, dicere : « Pretiosum ac sanctum corpus *et sanguis* Domini nostri Jesu Christi mihi N. datur »; ad communionem autem calicis, verba consueta omittere : quo omnis suspicio de consecratione per contactum removetur.

speciei partibus *separatione facta* totum Christum contineri, anathema sit (sess. XIII, cap. 3 et can. 3). » Hanc eamdem fidem Græco-Russos semper tenuisse et sive explicite, sive implicite terminisque æquivalentibus docuisse atque etiam nunc docere certum omnino est; quod mirum non est, cum apud antiquos Patres orientales hanc doctrinam invenire sit. Hi enim totum Christum, Deum et hominem, vivum et immortalem et impassibilem, mirabili quadam et spiritali præsentia in Eucharistia adesse docuerunt. Quidam ex illis etiam eum sub utraque specie necnon sub qualibet utriusque speciei parte, separatione facta, totum existere *expressis verbis* affirmarunt; ex quibus unus audiatur Eutychius Constantinopolitanus in *Sermone de Paschate*, 2, 3 :

« Christus seipsum mystice immolavit, cum panem propriis manibus accipiens, ostendit et fregit, *antitypo seipsum immiscens*... Totum itaque sanctum corpus pretiosumque Domini sanguinem unusquisque accipit, *etiamsi partem horum* accipiat... Nemo ergo ambigat post mysticum sacrificium sanctamque resurrectionem *incorruptibile*, *immortale*, sanctum atque vivificum corpus et sanguinem Domini in antitypis per sacrificium intromitti, *atque totum in cunctis antitypis inveniri. In ipso enim dominico corpore plenitudo divinitatis Verbi Dei corporaliter*, id est *substantantialiter*, inhabitat [1]. »

Idem perspicue docetur his liturgiæ sancti Joannis Chrysostomi verbis jam supra laudatis : « Μελίζεται καὶ διαμερίζεται ὁ Ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ Υἱὸς τοῦ Πατρός, ὁ μελιζόμενος καὶ μὴ διαιρούμενος, ὁ πάντοτε ἐσθιόμενος καί μηδέποτε δαπανώμενος; » quæ in Euchologio Barber. sæculi VIII jam occurrunt. Animam autem Christi una cum ejus divinitate in sacramento cum corpore adesse sæpe sæpius affirmarunt quotquot — et multi sane fuerunt — contra azymum Latinorum scripserunt. Notum est enim illos polemistas hoc argumentum inter alia contra panem azymum ursisse, quod esset res inanimis et mortua, utpote fermento carens,

1. *P. G.*, t. LXXXVI², col. 2393-2396. Cf. Pseudo-Chrysost., *Homil., in S. Thomam*, 3, *P. G.*, t. LIX, col. 686 : « ὁ γὰρ ἄν τις μέρος δέξηται. ἐκεῖνον δέχεται ὅλον τὸν παρὰ τοῦ Θωμᾶ ψηλαφηθέντα. »

ideoque ut in carnem vivam ac vivificam Verbi Dei converteretur, minus apta [1]. Nec defuerunt inter theologos epochæ byzantinæ qui totum Christum adesse sub utraque specie necnon sub utriusque speciei parte diserte affirmaverunt, inter quos nominare sufficiat : 1° Nicolaum Methonensem, qui dicit : « Offerimus panem *perfectum*, *viventem*, id est, corpus Christi perfectum, integrum, a divina vita inseparabile [2]; » 2° Theodorum Andidensem, qui hæc habet : « Divini corporis fit divisio; qui quanquam in partes scinditur, manet tamen impartibilis et indivisus in unaquaque partium divisarum, idem totus Deus-Homo manens etiam in partes sectus [3]; » 3° Nicolaum Cabasilam, qui hæc scribit : « Panis et vinum fiunt ipse Christus [4]; » 4° Simeonem Thessalonicensem, qui ipse docet : « Postquam signo crucis et invocatione Spiritus sacerdos dona perfecit, viventem statim videt coram jacentem Jesum, qui ipse revera est hic panis et hic calix [5]. »

Hanc Christi præsentiam prorsus mirabilem et πνευματικήν sola fide tenebant antiqui Patres et Byzantini: qui non progressi ultra conceptum realisticum conversionis, nec specierum seu accidentium panis et vini ut a corpore et sanguine Christi distinctorum visionem habentes, nullam sibi fingebant hujus præsentiæ philosophicam elucidationem. Unde mirandum non est quod aliquis inventus fuerit audacior theologus, qui modo prorsus materiali et capharnaitico præsentiam Christi in sacramento explicare tentaverit, docens corpus Christi ibi esse passibile et mortale, a proprio sanguine in sacrificio missæ separari, inanime jacere, manibus sacerdotis sensibiliter contrectari, in partes concidi,

1. Cf. quæ dicta sunt in t. I hujus operis, p. 330-339, et quæ dicuntur infra, p. 244.

2. *Op. cit.*, *P. G.*, t. CXXXV, col. 513 : « προσφέρομεν ἄρτον τέλειον, ζῶντα, εἴτ'οὖν σῶμα Χριστοῦ τέλειον... καὶ ὁλόκληρον... καὶ τῆς θείας ζωῆς ἀχώριστον. »

3. Προθεωρία κεφαλαιώδης, 37, *P. G.*, t. CXL, col. 464 D : « Ἀμέριστος διαμένει καὶ ἄτμητος, ὑφ'ἑνὶ ἑκάστῳ τῶν τεμνομένων ὁ αὐτὸς ὅλος θεάνθρωπος μεριζόμενός τε καὶ εὑρισκόμενος. »

4. *Expos. liturg.*, c. 49, col. 481 B : « Ὅταν τὰ δῶρα ταῦτα αὐτὸς γένωνται. »

5. *De templo*, 86, col. 733 : « τὸν ζῶντα εὐθὺς βλέπει προκείμενον Ἰησοῦν καὶ τοῦτον αὐτὸν ἀληθῶς ὄντα τὸν ἄρτον καὶ τὸ ποτήριον. »

dentibus premi ac moli. Hic fuit Michael Sikidites seu Glykas, qui sub finem sæculi XII et sæculo XIII ineunte hæc inaudita docuit. Et primum quidem ejus sententiæ haud pauci suffragati sunt: theologorum tamen major pars eam tanquam blasphemiam et impiam hæresim rejecerunt [1]. Patrumque auctoritate innixi, corpus Christi in Eucharistia immortale esse ac impassibile, gloriosum, a proprio sanguine inseparabile, sub qualibet specierum parte totum præsens diserte professi sunt. Cum autem Michael Glykas suum novum systema non tam ob rationes *sacramentales* quam ob rationes *sacrificales* excogitaverit, ejus completam explicationem ac discussionem ad octavum hujus capitis articulum, ubi de veritate sacrificii missæ, remittimus. Sufficiat hic notare Glykam suæ sententiæ sequaces post suum obitum non habuisse, traditionalemque doctrinam inter Byzantinos immutatam perseverasse.

Qui sæculis XIV et XV Scholasticam occidentalem præli-barunt, mirabilem sancti Thomæ de modo præsentiæ realis explicationem amplecti non dubitarunt; inter quos eminet Georgius Scholarius. In ejus *Sermone de sanctissima Eucharistia* thomisticam doctrinam dilucide contractam invenies [2]; nec est cur ejus verba hic referamus, cum omnibus obvia sint. Inde autem a sæculo XVI, inter theologos dissidentes non paucos Georgius imitatores habuit. Multi tamen explicationi scholasticæ vix attenderunt, eorum quæ ad fidem pertinent explicita confessione contenti: quod de recentioribus, qui Scholasticam occidentalem aversantur, præsertim affirmandum est. Hi doctrinam in Confessione Dosithei expressam repetere solent; quam ob oculos lectoris ideo ponimus :

« Credimus, ait Dositheus, in qualibet parte et minima divisione panis et vini transmutati non esse quidem partem corporis et sanguinis Domini — quippe hoc sine blasphemia et impietate nemo dixerit — sed totum omnino Dominum Christum secundum substantiam, scilicet cum anima sua

1. Hanc controversiam narrat Nicetas Acominatis in libro XXVII *Thesauri orthodoxiæ*, quem nuper edidit S. Eustratiades in prologo ad t. I, *Capitum theologicorum* Michaelis Glykæ, p. κ'-μ'.

2. Cf. p. 198, n. 4.

ac divinitate, id est perfectum Deum et perfectum hominem. Unde cum multæ missæ una et eadem hora per orbem celebrantur, non plures Christi plurave sunt Christi corpora, sed unus et idem Christus vere et realiter præsens est, unum et corpus est et sanguis unus in omnibus ac singulis fidelium ecclesiis; non quod Domini corpus, quod in cælis est, super altaria descendat, sed quia panis τῆς προθέσεως, qui in singulis ecclesiis offertur, post consecrationem conversus ac transsubstantiatus (μετουσιούμενος), fit et est illud ipsum corpus quod in cælo est. Unum enim Domini corpus in multis locis, et non plura; unde et hoc sacramentum maxime est ac dicitur mirabile et fide sola comprehensibile, non vero ratiunculis humanæ sapientiæ, cujus vanam et circa res divinas cæcam inquisitionem abnuit nostra pia ac divinitus tradita religio [1]. »

Eadem fidei capita, et quidem iisdem ferme verbis, proposuit Callinicus II in synodali decreto contra Joannem Caryophyllum (1691). Eadem et docent compendiorum classicorum auctores [2], quanquam aliqui, ut C. Andrutsus [3], quando de communione sub utraque specie loquuntur, locutiones latinas : *vi verborum*, *ex concomitantia*, haud acceptas habent. Ipsi enim, doctrinam per locutiones hujusmodi explicatam diserte profitentur [4].

1. Kimmel, t. I, p. 459-460 : « Ἔτι ἐν ἑκάστῳ μέρει καὶ τμήματι ἐλαχίστῳ τοῦ μεταβληθέντος ἄρτου καὶ οἴνου οὐκ εἶναι μέρος τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ Κυρίου — βλάσφημον γὰρ τοῦτο καὶ ἄθεον — ἀλλ'ὅλον ὁλικῶς τὸν δεσπότην Χριστὸν κατ'οὐσίαν μετὰ ψυχῆς δηλονότι καὶ θεότητος, ἤτοι τέλειον Θεὸν καὶ τέλειον ἄνθρωπον. »

2. N. Bulgaris, *op. cit.*, p. 227-230; Athanasius Pariensis, p. 370-372; Antonius Amphiteatrov, § 300, p. 345-346; Macarius, p. 400-403; Malinovskii, p. 377-379; Mesoloras, p. 271-273; Dyovuniotis, Τὰ μυστήρια, p. 112-113.

3. In suo opere Συμβολική, p. 305, Andrutsus *concomitantiam* Latinorum (τὴν συνακολουθίαν)), omnino rejicit « ἅτε ἀναμιγνύουσαν θεωρίας εἰς πράγματα τῆς πίστεως »; in Δογματικῇ vero, p. 367, illam habet « ut omni fundamento dogmatico non carentem, εἰ καὶ μὴ στερουμένη παντάπασι δογματικῆς βάσεως. » Et bene quidem hoc concedit ille; quippe qui ipse in eodem opere, p. 354-360, omnes transsubstantiationis dogmaticas consequentias rectissime docet, illud ipsum clare explanans quod concomitantia significat; immo ut probabiliorem amplectens sententiam, quæ tenet totum Christum existere sub qualibet specierum parte, etiam ante illarum divisionem.

4. Unde ut minus veritati consona habenda sunt quæ L. Andrieu,

ARTICULUS IV

De materia Eucharistiæ. Controversia de pane azymo post sæculum XI.

De materia remota [1] Eucharistiæ Græco-Russi cum catholicis conveniunt. Docent siquidem hanc materiam esse panem triticeum et vinum aqua mixtum. Volunt autem panem esse fermentatum, ἔνζυμον; azymum vero *omnes nunc* habent ut materiam omnino *illicitam*; nec defuerunt sæculorum decursu qui hunc panem esse materiam *invalidam*, aut saltem *dubiam* pronuntiaverint. Ad vinum quod attinet, plerique recentiores dicunt illud debere esse rubrum, utpote sanguini Christi similius indeque ad eum significandum aptius [2]. In casu tamen necessitatis, usum vini albi tolerant [3]; quod pro pane azymo non concedunt [4].

op. cit., p. 279, n. 1, scripsit : « Les Orthodoxes n'ont jamais eu de sympathie pour cette doctrine [de la concomitance]. Ils la considèrent comme une déduction de logiciens déplacée en pareille matière. Ils ne peuvent faire autrement, à moins de perdre leur principal argument contre la communion sous une seule espèce. » Græco-Russi doctrinam per concomitantiam significatam nunquam negarunt, ut communionis sub utraque specie necessitatem probarent. Alia enim habent argumenta, ea ipsa scilicet quibus theologi catholici necessitatem utriusque speciei arguunt ad perfectionem sacrificii. Cf., v. g., dissertationem Meletii Pigæ de communione sub utraque specie ad Gabrielem Severum, apud Renaudot, *op. cit.*, p. 117-144. Meletius concomitantiam (τὴν συνακολουθίαν, κατ' ἐπακολούθησιν) bene quidem novit et admittit, sed ostendit unam speciem perfectam sacramenti *symbolicam* ac *sensibilem* significationem non retinere.

1. De materia Eucharistiae *in fieri* vel *in facto esse* vix aliquid habent Græco-Russi in suis compendiis (de recentioribus et editis loquor). Species panis et vini esse signum sacramentale in facto esse supponit S. Lebedinskii, *op. cit.*, p. 509, dum objicienti : *Panis et vinum in S. Cœna sunt signa corporis et sanguinis Christi; ergo non ipsum corpus, nec ipse sanguis*, sic respondet : « Sunt signa sive elementa ratione *accidentium* sive *specierum externarum.* »

2. Mesoloras, p. 259, 281; Macarius, p. 377; Malinovskii, p. 367; Dyovuniotis, Τὰ μυστήρια, p. 111. Eustratius Argentis, Σύνταγμα κατὰ ἀζύμων, Lipsiæ, 1760, p. 87-88, utrumque, rubrum et album, indifferenter permittit.

3. Cf. Mesoloram, p. 281, n. 1.

4. Quidam polemistæ carpserunt tum *rotunditatem* hostiarum latinarum — siquidem *prosphoræ* græcæ quadræ sunt — ut Simeon

Cum autem in tomo I hujus operis de initio controversiæ circa azymum et fermentatum, prout inter Græcos et Latinos sæculo XI evoluta est, sufficienter egerimus, præcipuaque argumenta hinc inde prolata exposuerimus, restat ut de hujus contentionis vicibus post sæculum XI elapsum aliquid referamus. Porro polemistæ qui inde a sæculo XII scripserunt, pleraque argumenta apud suos antecessores sæculi XI occurrentia vel ad litteram ferme iterare, vel fusiori sermone explicare consueverunt, nova admodum pauca e suo penu promentes. Unde hæc nova breviter patefacere debemus. Præterea hoc in præsenti controversia maxime notabile est : quod inter polemistas antilatinos magna opinionum varietas deprehenditur circa duo; scilicet 1° circa usum panis azymi in ultima Cœna, in qua Christus sacramentum et sacrificium Eucharistiæ instituit; 2° circa originem consuetudinis Ecclesiæ latinæ. Hujusmodi opiniones referre non abs re erit; exinde enim totam hanc contentionem, quam Michael Cærularius primus inivit, futilissimam ac vanissimam fuisse clarius apparebit. Agemus ergo : 1° De momento hujus controversiæ in theologia græco-russica; 2° De variis opinionibus Græco-Russorum circa usum panis azymi in ultima Cœna dominica; 3° De argumento ex voce ἄρτος desumpto; 4° De quibusdam miris argumentis symbolicis seu figurativis contra panem azymum excogitatis; 5° De quibusdam argumentis positivis pro pane fermentato et contra azymum; 6° De origine azymorum in Ecclesia latina; 7° De validitate consecrationis in azymo juxta Græco-Russos.

I. — De momento controversiæ circa azymum et fermentatum in Ecclesia græco-russica.

Hæc de pane azymo et fermentato controversia, quæ in se spectata theologorum considerationem vix mereatur,

Thessalonicensis, *De sacra liturgia*, 88, col. 265-268; tum earum *tenuitatem*, ut Angelus Panaretus, *Dissertatio adversus azyma Latinorum*, ed. P. Risso, *Matteo Angelo Panaretos e cinque suoi opuscoli*, in commentario *Roma e l'Oriente*, t. XI (1916), p. 34, qui eas squamis piscium comparat : « τὰ μηδὲν λεπίων ἰχθύων διαφέροντα, τὰ μηδὲ ταῖς τῶν ὀδόντων χαράδραις ἐξαρκοῦντα, ὧν ἓν ἢ δύο λαβών τις καὶ διὰ τοῦ ἐν τῷ στόματι πνεύματος ἐμφυσήσας, εἰς ἀέρα λικμήσειεν. »

cum non ad doctrinam, sed ad praxim liturgicam potius pertineat, inter Græco-Russos maximum semper obtinuit momentum. Quæstionem mere liturgicam in caput dogmaticum converterunt, hocque inter præcipuas differentias Byzantinos a Latinis separantes computarunt; immo ex ipsis quidam, ut Joannes IV Oxita, patriarcha Antiochenus [1], hanc esse principalem dissidii causam pronuntiare non dubitarunt. Nec pauciora, et forsan plura, de azymo quam de processione Spiritus Sancti opuscula per epocham byzantinam polemistæ scripsere : quod Georgius Scholarius ipse alicubi notat [2]. Hujusmodi autem litteratura polemica per totum sæculum XII et usque ad concilium Lugdunense (1274) potissimum floruit; cujus plura monumenta nondum edita sunt.

De pane azymo et fermentato Latini et Byzantini in collationibus, quæ Nicææ (1232) et Nymphææ (1234) habitæ sunt, non parum disputarunt. Cum autem Byzantini validitatem consecrationis in azymo in hac contentione negassent [3], talem errorem diserte propulsare necesse fuit. Unde tum Michael Palæologus in *Confessione fidei* [4], tum alii qui unioni cum Ecclesia romana adhæserunt [5], sacramentum

1. *De azymis*, 2, ed. Leib, *Orientalia christiana*, t. II (1924), p. 245 : « Τὸ γὰρ μάλιστα τῆς πρὸς ἐκείνους διακρίσεως ἡμῖν αἰτιώτατον τὸ περὶ τῶν ἀζύμων ἐστί..., τὸ τῶν ἀζύμων περὶ αὐτὸ μὲν τείνει τῆς εὐσεβείας τὸ κεφάλαιον. »

2. Œuvres complètes, t. I, p. 538-539 : « Ὅθεν καὶ μέμνημαι ἰδὼν ἐγὼ συγγράμματα παλαιοτέρων κατὰ τῆς ἀζυμιτικῆς θυσίας πολλῷ πλείω τῶν κατὰ τῆς προσθήκης συγγράμματων· πολλὴν γὰρ ἐποιοῦντο οἱ ἡμέτεροι ἀρχαῖοι περὶ τοῦ καινοτομήματος τούτου λογον. »

3. *Relatio aprocrisariorum Gregorii IX de gestis Nicææ in Bithynia et Nymphææ in Lydia (1234)*, 23, ed. G. Golubovich, in *Archiv. Franciscano historico*, t. XII (1919), p. 455 : « *Propter hoc dicimus quod non potest consummari sacrificium per azyma*, ut azymo parte existente ejus, quæ cessavit, legalis servitutis. » Cf. Hardouin, *Coll. concil.*, t. VII, col. 215.

4. « Τὸ ἱερούργημα τῆς εὐχαριστίας ἐξ ἀζύμου ἐκτελεῖ ἡ τοιαύτη τῆς Ῥωμῆς Ἐκκλησία, κρατοῦσα καὶ διδάσκουσα, ὅτι ἐν αὐτῇ τῇ ἱεροτελεστίᾳ ὁ ἄρτος ἀληθῶς μετουσιοῦται εἰς σῶμα καὶ ὁ οἶνος εἰς αἷμα τοῦ Κυρίου. » A. Theiner, F. Miklosich, *op. cit.*, p. 18.

5. « Πιστεύοντες τὸν αὐτὸν ἄζυμον ἄρτον ἐν αὐτῇ τῇ ἱεροτελεστίᾳ τῆς εὐχαριστίας ἀληθῶς μετουσιοῦσθαι εἰς σῶμα τοῦ Κυρίου ἡμῶν..., παρ'ἡμῖν δὲ πάλιν ἐξ ἐνζύμου ἐκτελούμενον ἄρτου, ἅγιον καὶ τοῦτο γινώσκομεν. » *Confessio fidei Joannis Vecci patriarchæ, ibid.*, p. 28.

Eucharistiæ in pane azymo valide ac licite confici posse profiteri debuerunt.

De azymo in concilio Florentino vix disputatum est. Plerisque enim Græcis tum clare affulgebat hanc quæstionem ad dogma non pertinere; unde illi decreti unionis formulæ quæ sic se habet : *In azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in altero ipsorum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ sive occidentalis sive orientalis consuetudinem :* haud ægre subscripserunt. Hoc non impedivit quominus post disruptam unionem, polemistæ antilatini quæcumque adversus panem azymum antecessores protulissent, mox ipsi resumpserint, et ad nostra usque tempora haud semel recoxerint, hoc dissidii caput inter præcipua numerare pergentes, immo de *hæresi azymorum* quandoque loquentes [1].

II. — De azymo et fermentato in ultima cœna Domini. Variæ sententiæ apud Græco-Russos.

Validius pro usu panis azymi argumentum Latini sumpserunt ab exemplo ipsius Christi prima die azymorum, ut tria Evangelia synoptica testantur, post agni paschalis manducationem, sacramentum Eucharistiæ in azymo instituentis. Unde tota vis ac contentio *Polemicæ* antilatinæ in hoc coivit, ut hujusmodi propugnaculum penitus everteret : quod non est adeo facile. Ut jam notavimus [2], in ipso hujus controversiæ limine, theologi Cærulariani de hac peculiari quæstione non unam tenuerunt sententiam. Opinionum autem varietas apud eorum successores adhuc major deprehenditur. Quinque etenim sententias diversas in eorum opusculis de azymis invenimus; quas ordine recensere juvat.

1. In *Officio reconciliationis Latinorum*, prout a synodo Constantinopolitana anni 1484 concinnatum est, legitur : « Ἀποστρέφῃ τελείως ... τοὺς τὰ ἄζυμα ἰουδαϊκῶς ἢ ἀπολλιναριστικῶς ταῦτα ἱερουργοῦντας, ὡς αἱρετικούς; Aversarisne omnino tanquam *hæreticos* qui Judæorum vel Apollinaristarum more azyma sacrificant? » Rhallis-Potlis, Σύνταγμα τῶν θείων καὶ ἱερῶν κανόνων, t. v, Athenis, 1855, p. 145.

2. T. I, p. 321-327.

Prima sententia : Christus secundum legis præscripta, die statuto, et vetus Pascha comedit et Novum instituit, utrumque cum pane azymo. — Hanc sententiam, quæ est Catholicorum communis doctrina, Theophylactus docere non dubitavit [1]; cui favent quidem, ipso Photio teste [2], tum Joannes Chrysostomus, tum Ecclesia græca antiqua, tum etiam ipsi Græcorum libri liturgici [3]; quam tamen expressis verbis amplectentem neminem detegimus inter theologos dissidentes sæculo XI posteriores. Quosdam tantum invenimus, qui per modum concessionis ita argumentantur : « Demus Christum Eucharistiam in azymo instituisse, Lege veteri, quam transgredi noluerit, id postulante; exinde minime sequitur panis azymi usum adhuc licitum esse. Veteris enim legis præscripta jam penitus abrogata sunt; et quemadmodum circumcisionem servare christianis minime licet, quanquam Christus circumcisus fuit, ita nec azymum in missæ sacrificio adhibere, quamvis Dominus in ultima Cœna azymum panem suum corpus effecerit [4]. »

Secunda sententia : Christus, die statuto, secundum legis praecepta, ergo cum azymis, pascha legale comedit; postea novum Pascha in pane fermentato instituit. — Hanc senten-

1. Ejus verba attulimus in tomo I, p. 326.

2. *Bibliotheca*, cod. CXVI; *P. G.*, t. CIII, col. 393 A : « Ὁ γὰρ Χρυσόστομος καὶ ἡ Ἐκκλησία καὶ τότε φασὶν αὐτὸν ἐπιτελέσαι τὸ νομικὸν πρὸ τοῦ μυστικοῦ δείπνου. »

3. In *Officio* τοῦ ἀποδείπνου feriæ IV Majoris Hebdomadæ, habetur canon Andreæ Cretensis, cujus ode octava sic incipit : « Τὴν νομικὴν ἐκπληρώσας πρόσταξιν, ὁ πλάκας τὰς νομικὰς γράψας ἐν Σινᾶ, ἔφαγε μὲν τὸ πάσχα τὸ πάλαι καὶ σκιῶδες, γέγονε δὲ πάσχα καὶ μυστικὴ ζωοθυσία. » *Triodion*, Romæ, 1879, p. 649. Item, in ode octava canonis Cosmæ Melodi, qui in *Officio* τοῦ ὄρθρου feriæ V Majoris Hebdomadæ ponitur, ad usum azymi in ultima Cœna subobscure alluditur : « Ἄπιτε, τοῖς μαθηταῖς ὁ Λόγος ἔφη, τὸ πάσχα ἐν ὑπερῴῳ τόπῳ, ᾧ νοῦς ἐνίδρυται, οἷς μυσταγωγῶ σκευάσατε ἀζύμῳ ἀληθείας λόγῳ, τὸ στερρὸν δὲ τῆς χάριτος μεγαλύνατε. »

4. Ita Euthymius Zigabenus, Πανοπλία δογματικὴ, tit. XXIII, *P. G.*, t. CXXX, col. 1179-1181; Nicetas Seides, *Dissertatio II ad Romanos : quod non oporteat divinam mysteriorum communionem per azyma perficere*, in cod. græc. *483* bibliot. Atheniensis; Macarius Ancyranus, Κατὰ Λατίνων, c. CI, ed. 1692, Dosithei, Τόμος καταλλαγῆς, p. 184; Simeon Thessalonicencis, *De sacra liturgia*, 91, col. 272; Angelus Panaretus, *De azymis*, 6, *loc. cit.*, t. X, p. 153; etc.

tiam docuisse videtur Leo Achridanus [1]. Ei expresse adhærent : 1° Nicetas Nicænus in *Libello contra Latinos* [2]; 2° Anonymus interpolator opusculi *Contra Francos* [3]; 3° Georgius Scholarius, in opusculo *De sacris ingressibus :* Apostoli Domino præparârunt tum azyma pro cœna legali, tum fermentatum pro cœna nova et mystica [4]; 4° Metrophanes Critopulus in *Confessione fidei*, c. IX : Christus die a lege statuto agnum paschale manducavit; Judæi vero hoc anno contra legem esum agni in crastinum distulerunt, sive ut furorem suum in Dominum explerent, sive secundum mandatum quoddam seniorum, qui pascha in crastinum differri constituerint, quoties feriâ sextâ incurreret. Unde Christus et azymum et fermentatum habere potuit quin transgressionis legis argueretur a Judæis; quippe qui ipsi hoc anno legem transgressi fuerint [5].

Quidam recentiores simpliciter asserunt Christum cœnam legalem die statuto rite celebrasse, Judæos vero hoc anno pascha retardasse, quin de modo quo Eucharistia instituta fuerit, utrum scilicet in azymo an in fermentato, aliquid certi proferant [6].

1. Cf. t. I, p. 324.

2. Ed. Pavlov, *Critica tentamina de historia veteris polemicæ græco-russicæ adversus Latinos*, Petropoli, 1878, p. 142-143.

3. Cf. t. I, p. 325, n. 1. In memoriam revocanda est quorumdam Græcorum responsio ad cardinalem Humbertum, quærentem undenam Dominus fermentatum in Cœna habuerit, cum jam esset prima dies azymorum : « Si creditur omnipotens, potuit subito undecumque fermentatum exhibere, aut certe ipsum azymum benedicendo fermentare. » *Adversus Græcorum calumnias*, 16, *P. L.*, t. CXLIII, col. 943 A.

4. *Cod. cit.* Scholarius ad testimonium sancti Joannis Chrysostomi provocat, quin mentem suam de pane a Christo in Eucharistia instituenda adhibito clare aperiat. Hæc tamen habet : « Ἔτι τοῖς καταργηθεῖσι καὶ παυθεῖσιν ἀζύμοις οὐ χρώμεθα πρὸς θυσίαν, ἀλλ'ἄρτον προσφέρομεν καθάπερ τότε πρῶτον οἱ μαθηταὶ τῷ καινῷ καὶ πρώτῳ πάσχα προσέφερον, ἀζύμου δὲ καὶ ἄρτου τὸ διάφορον ἔκδηλον, ὥσπερ τύπου καὶ ἀληθείας. »

5. Kimmel, t. II, p. 118-120.

6. Ita anonymus auctor cujusdam articuli editi in *Pravoslavny Sobieciednik*, 1861, t. II, p. 33-58 : « Christus cœnam legalem rite celebravit; Judæi hoc anno pascha in crastinum distulerunt. » Eidem sententiæ favet etiam auctor anonymus articuli : *Num D. N. Jesus Christus in ultima Cœna cum discipulis pascha judaicum celebraverit?*, in *Pribavleniia ad opera Patrum*, t. XII (1853), p. 447-491; qui tamen hypothesim anticipationis ex parte Christi non excludit.

Tertia sententia : Christus pascha legale ante diem statutum, id est tertia decima die mensis Nisan ad vesperam, cum azymis perfecit; postea, in pane fermentato, qui nondum a lege prohibebatur, Eucharistiam instituit. — Huic sententiæ multi antiqui adhæserunt, inter quos veniunt : 1° Euthymius Zigabenus, qui dicit Christum jussisse, ut panis fermentatus ad instituendam Eucharistiam præpararetur ac servaretur [1]; 2° Joannes IV, patriarcha Antiochenus, qui nonnisi per modum concessionis admittit Christum tum agnum paschalem manducasse, tum hoc cum azymis fecisse; ei enim potius arridet opinio eorum qui dicunt Dominum cœnam legalem non celebrasse, vel, si celebraverit, fermentato usum fuisse [2]; 3° Michael Glykas, cui transgressio legis ex parte Christi nullum facessit negotium : Christus enim, inquit, non solum veterem Legem in aliquibus transgressus est, verum etiam ipsam abrogravit ac penitus abolevit [3]; ab auctoritate autem Joannis Chrysostomi se expedit, Chrysostomum Evangelium joanninum commentantem Chrysostomo Matthæi Evangelium interpretanti opponendo [4]; 4° Macarius Ancyranus, qui docet Jesum pascha vetus cum azymis ante diem legalem comedisse *Juda inscio*, qui suum magistrum apud Judæos de hac legis transgressione certe accusasset, si rem novisset; postea vero, Juda præsente, novum suum pascha in fermentato constituisse, et hoc esse pascha de quo evangelistæ loquuntur [5]; 5° Simeon Thessalonicensis [6]; 6° Joannes Eugenicus [7], etc.

1. *Panoplia dogmatica*, tit. XXIII, *loc. cit.*, col. 1181 C; cf. *Comment. in Matth., P. G.*, t. CXXIX, col. 651-660.

2. *De azymis*, 15-25, *loc. cit.*, p. 252-256.

3. *Caput theol.*, XXIX, *ed. cit.*,, t. I, p. 293-334 : « Προλαμβάνει τὴν ἡμέραν τοῦ πάσχα, ἵνα τὰ τῆς καινῆς διαθήκης παραδώσῃ μυστήρια..... Ἐσθίει λοιπὸν τὸ πάσχα τὸ νομικὸν πρότερον, ὅτι σκιὰ καὶ τύπος ἦν, ἔπειτα τὸ πάσχα τὸ ἀληθινόν. » P. 333.

4. *Ibid.*, p. 299-301 : « Τὰ τοῦ θείου κατεξετάζειν ἀνδρός, ἡνίκα καὶ μᾶλλον ἐναντιοῦσθαι δοκοῦσι πρὸς ἄλληλα,... σιωπῇ καὶ μᾶλλον τιμᾶσθαι τὰ τοιαῦτα δεόν ἐκρίναμεν. »

5. *Loc. cit.*, p. 177-180 : « « Οἶμαι καὶ τὸ νομικὸν πάσχα ποιῆσαι τὸν Κύριον, ἀγνοοῦντος τοῦ Ἰούδα. » P. 177.

6. *De sacra liturgia*, 91, col. 272-273.

7. *Antirrheticus sermo adversus synodum Florentinam*, c. XI, in Τόμῳ καταλλαγῆς, p. 264.

Hæc de anticipatione sententia inter Græco-Russos hodie communior est. Illam invenies apud plerosque compendiorum auctores quum græcos [1] tum russos [2].

Notandum est autem hujus opinionis tenaces haud paucos tacere de pane quo Christus usus fuerit in celebranda cœna legali. Quidam ex ipsis Dominum etiam in hac adhibuisse fermentatum non obscure insinuant [3], ita ut non solum quantum ad tempus, sed etiam quantum ad qualitatem panis lex violata fuerit. Omnibus vero hæc via ac ratio communis est, ut ad evangelium Joannis tria synoptica accommodent ac reducant. Item polemistis Medii Ævi solenne fuit verba Synopticorum : τῇ πρώτῃ τῶν ἀζύμων reddere per : τῇ πρὸ τῶν ἀζύμων ἡμέρᾳ. Huic miræ exegesi Theophylactus jam reclamaverat, at incassum.

Quarta sententia : Christus in paschate legali celebrando non diem, sed horam anticipavit, ita ut ei præsto fuerint tum azyma, quibus agnum paschalem comederit, tum panis fermentatus, quo novum suum pascha instituerit. — Ita Gabriel Severus, in opusculo *De quinque differentiis* [4], et synodus Constantinopolitana anni 1722, in *Epistola dogmatica ad Orthodoxos Antiochenos*, c. III [5]. Gabrielis vero verba attente legenti apparet hanc quartam opinionem verbis potius quam re a tertia discrepare. Philadelphiensis enim vult Christum diem legalem, non vero horam servasse, quatenus agnum paschalem comederit primo vespere diei decimæ quartæ incipientis, dum Judæi illum esuri essent altero vespere ejusdem diei finientis, id est eadem fere hora qua Christus in cruce exspiravit.

1. Mesoloras, *op. cit.*, p. 255 sq.; qui tamen opinionem Metrophanis Critopuli potius amplecti videtur; Dyovouniotis, Τὰ μυστήρια, p. 109-111; Andrutsus, Δογματική, p. 363. Nota hos auctores de cœna legali a Christo facta tacere.

2. Macarius, p. 373-375; Phil. Gumilevskii, S. 156-158; Malinovskii, p. 364-366.

3. Ita Michael Glykas, Simeon Thessalonicensis, Joannes Eugenicus, etc.

4 *De quinque differentiis. De differentia tertia*, c. II, ed. Metaxæ, Constantinopoli, 1627, p. 37 : « Λέγομεν οὖν ὅτι ὁ Χριστος ἐφύλαξε τὴν ἡμέραν τοῦ μηνὸς καὶ ἐξετέλεσε τὸ πάσχα τὸ νομικόν, τὴν δὲ ὥραν τῆς ἡμέρας δὲν τὴν ἐφύλαξε. »

5. *Mansi-Petit, op. cit.*, t. XXXVII, col. 185. Hujus epistolæ auctor pleraque quæ de azymis profert ex opusculo Gabrielis Severi excerpsit.

Quinta sententia : Christus cœnam legalem non perfecit, sed ante primam diem azymorum, in sua ultima cœna cum discipulis, Eucharistiam cum pane fermentato, qui solus tunc aderat, instituit. — Hæc fuit, ut diximus [1], thesis classica primorum panis azymi adversariorum. Hanc post eos multi alii variorum argumentorum mole defendere conati sunt; hoc enim commodi habet quod azymus per eam e narratione evangelica penitus expellitur, et Græcis facilem victoriam tribuit. Ejus præcipui propugnatores fuere : 1° Nicetas Seides in longo tractatu nondum edito [2]. Præter argumenta consueta, Seides probationem chronologicam afferre tentat, quam fusiori sermone evolvit; 2° Symeon Hierosolymitanus, in dissertatione *De azymis* a B. Leib nuper edita, qui opinatur cœnam legalem Christo fuisse quidem præparatam, non vero manducatam, quod eo tempore mortuus fuerit, quo hæc celebranda fuisset [3]; 3° Joannes Hierosolymitanus, Symeonis, ut videtur, successor, in duobus opusculis de azymis necnon in *Dialogo de azymis cum quodam philosopho Italo* [4], qui thesim Symeonis suam facit, et dicit Chrysostomum de hac quæstione ex professo non fuisse locutum [5]; 4° Anonymus quidam sæculi XIII ineuntis, in quodam opusculo de azymis [6], ubi auctoritatem Chrysostomi sibi contradicentis sic recusat : « Magnus quidem doctor, fateor, Chrysostomus; at ille solus non est; alii sunt multi deiferi Patres; plurium autem suffragium secundum legem prævalet [7] »; 5° Matthæus Angelus Panaretus, qui multa

1. T. I, p. 322.

2. Cf. supra, p. 236, n. 4.

3. *Orientalia christiana, loc. cit.*, p. 226-236 : « Ἐντεῦθεν τοίνυν δείκνυται ἀπὸ μὲν τῆς τῶν τριῶν διηγήσεως ἑτοιμασθῆναι μὲν τὸ πάσχα κατὰ τὴν τῶν μαθητῶν προσδοκίαν, οὐ μὴν δὲ μεταληφθῆναι. » P. 236.

4. Hæc tria opuscula edidit Dositheus in Τόμῳ ἀγάπης, p. 504-516, 516-527, 527-538.

5. *Opusculum* II, p. 523 : « ἀπεριέργως καὶ οὐδὲν περὶ τούτου ἐπεξεργασάμενος. »

6. Edidit Arsenii, Mosquæ, 1892 : « *Tres dissertationes ignoti scriptoris græci sæculi XIII ineuntis* (textus græcus cum versione russica), p. 43-83.

7. « Διδάσκαλος μέγας ὁ Χρυσορροάς, σύμφημι· οὐ μόνος δὲ οὗτος, ἀλλὰ καὶ ἄλλοι πολλοὶ τῶν θεοφόρων. Νόμος δὲ τὴν τῶν πλειόνων ψῆφον κρατεῖν. » P. 62-63.

tela conjicit non solum in Latinos, verum in eos omnes qui Christum agnum paschalem comedisse opinantur[1]. Hic, ut Chrysostomi auctoritatem effugiat, ad eam, quæ sub hujus Patris nomine circumfertur, liturgiam provocat, significans etiam ejus opera temporis decursu forsan adulterata fuisse; 6° Eustratius Argentis, in suo percelebri inter Græcos recentiores opere inscripto : Σύνταγμα κατὰ ἀζύμων[2]. Cæterum nihil fere novi affert: nec omnia habet quæ a polemistis byzantinis ad thesim confirmandam adinventa fuerant. De sancto Joanne Chrysostomo dicit hunc doctorem de cœna Christi loqui ἀμφιβόλως, ἀπερισκέπτως καὶ ἀντιφατικῶς, *ambigue, inconsiderate et contradictorie;* aliunde quæcumque privatim ac sine examine Patres dixere, assensum non poscere[3].

Sicut tertiæ opinionis sequaces, ita et qui hanc quintam tenent, verba Evangelii : τῇ πρώτῃ τῶν ἀζύμων in τῇ πρὸ τῶν ἀζύμων vertere solent.

III. — De argumento pro pane fermentato ex voce ἄρτος desumpto.

Panem azymum non esse panem veri nominis seu ἄρτος, neque hoc nomine ἄρτος in sacra Scriptura simpliciter ac sine addito unquam designari contenderant primi azymorum adversarii[4]. Unde, cum in Evangelio et apud Apostolum narretur Christum sumpsisse ἄρτον ad instituendam Eucharistiam, statim ac sine ulla dubitatione concludebant eum in ultima Cœna non panem azymum, sed fermentatum adhibuisse. Hoc argumentum, quod pro axiomate inconcusso habent, tanquam patriam hæreditatem semper servaverunt polemistæ antilatini ad nostra usque tempora, illudque plus minusve evolutum invenies non solum in plerisque disser-

1. *Op.* et *loc. cit.*, t. x, p. 153-164 : « Οὐ τὸ νομικὸν ἐτέλεσε κατὰ τὴν ἑσπέραν ἐκείνην τῆς προδοσίας ὁ Κύριος ἡμῶν πάσχα· οὐδὲ γὰρ ἦν ὁ καιρὸς ἐκεῖνος τῆς τοῦ ἀμνοῦ σφαγῆς. » P. 153.

2. Σύνταγμα κατὰ ἀζύμων, Lipsiæ, 1760, p. 1-90. Hujus operis prima pars sola de azymis tractat; secunda, p. 91-250, est de forma Eucharistiæ : Περὶ ἁγιασμοῦ τοῦ μυστηρίου; tertia vero, p. 251-372, de communione sub utraque specie : Περὶ τῆς χρήσεως τοῦ μυστηρίου.

3. *Ibid.*, p. 63, 69-71.

4. Cf. t. I, p. 320.

tationibus polemicis de azymis, verum etiam in recentioribus compendiis theologiæ dogmaticæ, ubi tamen timidius apparet [1]. Hanc ratiunculam victrici modo jam exploserat cardinalis Humbertus, Græcos remittendo ad diversos locos sacræ Scripturæ, præsertim vero ad Luc., xxiv, 30, 35, ubi videmus Jesum ipso suæ resurrectionis die — ergo jam incepta azymorum hebdomada — τὸν ἄρτον accepisse, benedixisse, fregisse ac duobus discipulis dedisse; eos vero Dominum agnovisse in fractione τοῦ ἄρτου. Verum plerique polemistæ huic textui animum non attenderunt, paucis exceptis, qui hujusmodi objectione mirum in modum se extricarunt. Michael Glykas discipulos post Domini mortem non amplius observasse legem mosaicam, immo hanc agendi rationem ab ipso Christo eis præceptam fuisse asseverat :

« Si, inquit, cum Judæis apostoli pascha manducassent; si ut prius una cum eis festum celebrassent; si magistri penitus obliti, ejus mandata contempsissent, alicujus ponderis esset quod isti producunt. Verum, cum apostoli tunc temporis excommunicati essent, et propter metum Judæorum passim se absconderent — longe siquidem ab Jerusalem manebant Lucas et Cleopas; unde et alio victu utebantur privatimque pro libitu vivebant, vel potius secundum præceptum quod acceperant — luculente apparet azymum minime apud eos fuisse; quo sane nihil opus habebant, tantis mysteriis jam initiati eorumque oculati testes facti [2]. »

Alio modo difficultatem solvit Macarius Ancyranus : dicit nempe Christum super mensam panem fermentatum miraculose proposuisse; cujus miraculi indicium in arti-

1. Cf. Macarium, p. 375; Antonium, § 298, p. 343; Malinovskii, p. 366, 387-388; Dyovuniotam, p. 109; Mesoloram, p. 256. Fusiori stylo explicant argumentum τοῦ ἄρτου Joannes IV Antiochenus, *op. cit.*, p. 246-250; Nicetas Seides, *cod. cit.*; Angelus Panaretus, *op.* et *loc. cit.*, t. x, p. 243-245; t. xi, p. 79-80, 154-156, ubi hæc inter alia habet : « Τὸ δεσποτικὸν σῶμα, ὃ ἐκ παρθένου προσείληφεν ὁ τοῦ Θεοῦ Λόγος, ἐκ τοῦ συνήθους τοῖς ἀνθρώποις ἄρτου τὴν σύστασιν καὶ αὔξησιν ἔσχηκε. καὶ νῦν ὁ αὐτὸς ἄρτος, ὁ ἔνζυμος,... τῷ θυσιαστηρίῳ προκείμενος σῶμα Χριστοῦ γίνεται. »

2. *Loc. cit.*, p. 314-315.

culo τὸν voci ἄρτον præfixo detegit [1]. Nullus vero ad superandum obstaculum tanto sudore adlaboravit quam Metrophanes Critopulus in *Confessione fidei :*

« Respondemus, ait ille, Emmaum urbem gentilium fuisse, non Judæorum, in qua non notus erat azymorum usus. Sed, inquies, quid commune erat discipulis Domini cum gentilibus? Et quomodo potuerunt hi intra paschatis festum fermentato pane uti? Primo, forte proselyti erant, qui nuper ad Dominum accesserant, et ideo ad Hebraica omnia tam accurate observanda nondum initiati, et azyma forsan penitus aversantes. Secundo, ejusmodi inutiles observationes negligere a Domino didicerant, ut accuratam sabbati custodiam, cum ex ipso audiissent sabbatum propter hominem factum esse, non hominem propter sabbatum : quod ex eo manifestum apparet, quod tot stadia tempore festi confecerint; atqui festi tempore non licebat plus quam sabbati iter conficere... Sicut igitur in itinere observationem hebraicam transgressi deprehenduntur, ita etiam in usu azymi. Et quod majus est : necessitati inservientes hoc fecerunt. Quum enim in gentilium urbe essent, ubi azyma invenire non poterant, quid nisi fermentatum panem eos comedere oportebat, ea in re divum Davidem imitati, qui in casu necessitatis panes propositionis comedit et suis distribuit, quos non licebat aliis nisi sacerdotibus iisque solis edere? Panem autem fermentatum fuisse quem Dominus Emmaunte fregerit, manifestum est tum ex eo quod civitas gentilium fuit, ubi azymum inveniri non poterat, tum quod nusquam alibi in sacra Scriptura azyma dicantur panis, ἄρτον, sed aut panis azymus, aut azyma tantum. Illud autem quod fractum est evangelista ἄρτος simpliciter vocat, qui fermentatum omnino denotat [2]. »

1. Kimmel, t. II, p. 116-118.

2. *Loc. cit.*, p. 180-181 : « Διὰ τοῦτο καὶ οὐκ ἄρτον φησὶν ἁπλῶς ἡ Γραφή, ἀλλὰ τὸν ἄρτον, τῇ τοῦ ἄρθρου προσθήκῃ αἰνιττομένη τὸ κατ' αὐτῶν τερατούργημα, ὅτι τῇ τῶν ἀζύμων ἡμέρᾳ ἔνζυμον ἄρτον εἰς τὸ μέσον παραγαγών, τοῦτον εὐλογήσας καὶ κλάσας, ἐδίδου αὐτοῖς. »

IV. — De quibusdam argumentis symbolicis contra panem azymum excogitatis.

In hac de azymo et fermentato controversia, hoc singulare invenire est quod symbolicæ ac figurativæ rationes æquale, immo majus momentum quam positiva argumenta habuerunt. In hujusmodi rationibus adinveniendis polemistæ byzantini miram sollertiam ac subtilitatem ostentarunt. Porro in debellando azymo hac via procedere solenne habent : Primum, figurativam significationem elementorum, quibus constat fermentatus, per modum principii ponunt; deinde azymum considerantes, quidquid de hujusmodi elementis ei deest, eidem — vel potius adversariis Latinis — quantum ad mysticam significationem crimini vertunt. Ita, v. g., omnes ponunt fermentum significare sive animam, sive νοῦν Christi. Cum autem panis azymus fermento careat, eo ipso Latini de hæresi Apollinaris, vel etiam Arianorum qui Verbum assumpsisse corpus sine anima docuerunt, suspecti habentur [1]; mox Apollinaristæ vocitantur; azymus tanquam res mortua describitur, quæ ad corpus Christi vivum nullam habeat similitudinem vel proportionem, et ideo ut in illud convertatur illudque fiat minus apta.

Quidam tibi dicent : « Fermentum significat personam Verbi, farina corpus Christi. Cum azymus fermentum non habeat, qui eo utuntur Pauli Samosateni discipuli deprehenduntur. Sicut enim fermentum farinæ seu massæ præexistit et in eam immittitur, ita persona Verbi humanitati Christi ex Virgine sumptæ præexistit eique substantialiter unitur. Azymitæ autem, Pauli Samosateni instar, Christum suæ existentiæ principium ex Maria accepisse insinuant [2]. »

Item, Latini azymum extollunt tanquam innocentiæ

1. Apollinarismi crimen apud omnes fere occurrit. Georgius Scholarius ipse, *loc. cit.*, p. 538, illius meminit : « Ἀλλὰ τὸ πολὺ δεινότερον, ὅτι πρὸς τὴν Ἀπολιναρίου φέρει θέσιν τῆς θυσίας οὗτος ὁ τρόπος· ὅθεν καὶ τὸν Ἀπολινάριον ἱστορεῖται τοῦτο τὸ ἔθος καινοτομῆσαι πρῶτον ἐν χριστιανοῖς, καὶ τοὺς ἄλλους ἐξ ἐκείνου λαβεῖν. »

2. Ita Joannes Hierosolymitanus in *Dialogo cum philosopho latino*, *loc. cit.*, p. 534 : « Εἰ οὖν τὴν ζύμην αἴρεις, πολλὰς συνιστᾷς τῶν αἱρέσεων. Ὡς γὰρ μὴ λαμβάνων τὸ προϋπάρχον τοῦ φυράματος, αὐτὴν λέγω τὴν ζύμην, τοῦ Παύλου τοῦ Σαμοσατέως συνιστᾷς τὴν αἵρεσιν, ἀρχὴν λέγοντος ἐκ Μαρίας εἰληφέναι τὸν Χριστὸν τῆς ἰδίας ὑπάρξεως. »

ac puritatis symbolum, omnis peccati vestigium procul arcens; dum autem hoc faciunt, Christo demunt passiones irreprehensibiles humanæ naturæ, illum in similitudinem carnis peccati factum fuisse negant, atque inde in monophysismi barathrum incidunt [1].

Cæterum mysticæ significationes apud varios auctores variant. Juxta quosdam farina carnem significat, fermentum animam, sal spiritum, τὸν νοῦν [2]. Juxta alios, farina visum indicat, fermentum signat odoratum, ignis auditum, sal gustum, aqua tactum[3]. Azymo — ergo et ipsi Christo — deerit odoratus et gustus. Juxta Gabrielem Severum, fermentum animam et vitam carnis ostendit, aqua omnia Sancti Spiritus charismata, quæ Christus ut Deus habuit natura, non vero per participationem, sicut prophetæ, apostoli et justi habuerunt; sal spiritum significat contra omnes hæreticos, ignis divinitatem [4]. Idem theologus ostendere nititur azymum neque pulchriorem neque puriorem aut nitidiorem fermentato esse sive quantum ad materiam, sive quantum ad formam, sive quantum ad gratiam et operationem [5].

Latini docere solent azymum, eo quod fermento careat,

1. Joannes Hierosolymitanus, *ibid.*, p. 534-535. De pane azymo qua innocentiæ ac sinceritatis symbolo quædam jucunde scripsit Franciscus Macedo in suo opere : *Disquisitio theologica de ritu azymi et fermentati*, Veronæ, 1673, ex quo hoc argumentum haud tritum transcribere juvat : « Magna fides azymi; non patitur dolum, non fert perfidiam. Vixdum acceperat Judas consecratum azymum, cum sensit vim panis accepti; non potuit consistere. Proditor et perfidus expertus est intra se pugnam panis fidelis cum sua perfidia. Post buccellam exivit continuo. Inquietus, turbatus, vexatus, donec ad laqueum compulsus gulam sibi fregit et crepuit. Vide justum supplicium inflictum ab azymo : gula in eum peccavit; gula passa est pœnam perfidiæ. Panis fractus a Christo gulam fregit proditori. Crepuit venter in quem azymus ille panis inciderat : cujus fides stare non potuit cum illa fraude proditoris. Pateat Judæ perfidia, patefactis visceribus ab azymo. » P. 201. F. Macedo sane retundendis Græcorum telis in azymum omnino par erat!

2. Joannes Hier., *Tractatus secundus de azymis*, *loc. cit.*, p. 519; Macarius Ancyranus, *op. cit.*, p. 183.

3. Pseudo-Basilius, apud Macarium Ancyranum, *loc. cit.*

4. *Loc. cit.*, p. 45-46.

5. *Ibid.*, p. 43-44. Cf. *Concil. Constantinop. anni 1722, Epist. dogmatica ad Antiochenos*, c. III, *loc. cit.*, p. 185.

conceptionis virginalis Christi esse signum. Cum autem aliquid detrimenti in fermentatum exinde recidat, Angelus Panaretus fermentati defensionem in hoc capite mire conflat : « Panis fermentatus, inquit, magnam cum prima Adami formatione, quæ sine semine facta est, similitudinem præ se fert. Quemadmodum enim Deus pulverem e terra sumens hominem formavit, et statim in faciem ejus spiraculum vitæ insufflavit, et factus est homo in animam viventem, ita pistor farinam et aquam sumens, facit massam mortuam; deinde in eam fermentum immittit, ita ut ei fiat quasi in animam viventem; unde nutritur et consistit et crescit et magidem replet... Igitur sicut primus homo non a semine subsistentiam habuit, ita neque in pane fermentato semen Verbo poterit quis invenire. Item, sicut ex Adam Evam, alterum hominem secundum omnia similem, Deus constituit sine semine, ita et de hoc fermento panifex partem rursus sumens, alterum fermentum simile constituet [1]. »

Alia plura ejusdem farinæ adinventa apud polemistas invenies, si eorum opera perlegeris; quæ referre longius esset. Hæc pauca per modum exempli dedisse sufficiat.

V. — De quibusdam argumentis positivis pro pane fermentato et contra azymum facientibus.

Præcipuum argumentum positivum pro fermentato a polemistis, etiam atque etiam repetitum, illud est quod ex evangelio sancti Joannis desumitur. Quasdam vero alias rationes tum ex sacra Scriptura tum ex traditione haustas proferunt; quarum una super comparatione inter sacrificium Christi et sacrificium Melchisedech fundatur. Argumentum in hunc modum conficiunt :

Christus est sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Atqui Melchisedech non azymos sed fermentatos panes obtulit, ut patet ex voce ἄρτους in textu sacro sine addito usurpata.

Ergo Christus in ultima Cœna ἄρτῳ, non azymo certe usus est.

Azyma ad veterem legem, ad sacerdotium Aaron pertinent. Atqui, Paulo teste : *translato sacerdotio, necesse est ut et legis translatio fiat* (Heb., VII, 12).

1. *Op.* et *loc. cit.*, t. XI, p. 77-78.

Ergo necesse est ut azymus Aaron cedat fermentato Melchisedech et Christi [1].

Nicetas Seides in suo *Tractatu de azymis* longam demonstrationem chronologicam et astronomicam aggreditur, ut ostendat Christum ante diem azymorum Eucharistiam instituisse; die 23 martii, quæ erat 14 mensis Nisan, passum esse; die vero 25 martii, quâ homo primum formatus fuerat, resurrexisse. Si illi credas, Christus vixit in terra annos triginta tres et tres dies; mortuus est autem ætatis mundi anno 6539. Ejus argumentationis, quæ non est adeo plana ac perspicua, singula capita referre abstinemus, cum nullo valido fundamento nitatur.

Ad aliud mirum argumentum confugerunt quidam polemistæ : Dixerunt nempe Constantinopoli asservari fragmentum panis fermentati, quo Christus in ultima Cœna usus fuerit ad sacramenti institutionem. Hujus mentionem facit Georgius Corcyrensis (vel potius Nicolaus Hydruntinus) in quodam opusculo sic inscripto : *Commentarius de sancta communione, in quo ex ipsis sacris Scripturis est sincera demonstratio : panem fermentatum Ecclesiæ traditum fuisse ab apostolis ad oblationem, quemadmodum usque ad tempora sancti Gregorii cognomento Dialogi in romana Ecclesia offerebatur. Prosequitur præterea disputationem hac de re Constantinopoli habitam, in qua Latini contradicere abnuerunt, sed potius sancto pani fermentato laudes dederunt. Inventa enim in magni palatii skevophylakio particula illius panis, quem Christus in Cœna discipulis tradidit, omnis contradicendi causa de medio sublata est*, « εὑρεθείσης καὶ μερίδος ἐκείνου τοῦ ἄρτου, ὃν ὁ Χριστὸς ἔδωκε τοῖς μαθηταῖς ἐν τῷ δείπνῳ ἐν τῷ τοῦ μεγάλου παλατίου σκευοφυλακίῳ, πᾶσα πρόφασις ἤρθη ἐκ μέσου [2]. » Ad hanc historiolam, quam pro ratione apodictica habere videntur, adhuc provocant *Pidalii* auctores [3].

Cum autem Latini, inde a controversiæ principio, ab ipsis

1. Cf. Simeon. Hierosol., *loc. cit.*, p. 237; Joan. Antiochenum, p. 250-251; Angelum Panaretum, t. XI, p. 157; Gabrielem Severum, p. 36. Franciscus Macedo, e contra, opinatur Melchisedech panes azymos obtulisse, utpote sacrificio magis congruentes. « Panis fermentatus, inquit, est panis *laicus.* » *Op. cit.*, p. 188-189.

2. Cf. Allatium, *De perpetua consensione*, etc., col. 663-664.

3. Πηδάλιον, *ad canon. 70 apost.*, nota, ed. Ath., 1908, p. 105.

apostolis usum azymi se accepisse contenderint, polemistæ fere omnes qui post sæculum XI scripserunt, primos azymorum adversarios hac in re non secuti [1], hanc assertionem evincere falsam totis viribus conati sunt; verum, inceptum illis parum successit; in varias enim ac prorsus contradictorias abierunt sententias; de quibus nunc dicendum.

VI. — De origine azymorum in Ecclesia latina secundum dicta Græco-Russorum.

Azymi usum in Ecclesia latina non solum Cærularii, verum etiam ipsius Photii ætate antiquiorem fuisse, certis documentis jamdudum demonstrarunt historici catholici [2]; quorum tamen conclusiones adhuc ignorare videntur dissidentes non pauci. Historice etiam constat Ecclesiam Armenorum pane azymo semper usam fuisse; Byzantinos autem de hoc usu eos non reprehendisse ante sæculum XI, quo et in azymum Latinorum invehi inceperunt [3]. Quid exinde concludendum, nisi quod tota hæc de pane azymo et fermentato disputatio non quidem a veritatis zelo traditionumque apostolicarum amore, sed a spiritu simultatis et odii principio parta fuerit?

Quidam historici catholici, falsis quibusdam decretalibus innixi, originem azymi in Ecclesia romana ab Alexandro papa I (109-119) repetendam esse olim dixerunt [4]. Porro hanc opinionem, quæ haud sane mediocrem antiquitatem azymo vindicat, eumque ad tempora apostolica fere protrahit, quidam polemistæ græci amplecti non dubitarunt; inter

1. Cf. t. I, p. 311 sq.
2. Cf. t. I, p. 312-314.
3. Synodus Trullana plures Armenorum consuetudines districte carpit; de azymo vero prorsus silet, quanquam certum omnino est jam Mauritii imperatoris tempore Armenos in azymo consecrare consuevisse. Cf. J. Pargoire, *op. cit.*, p. 102. Suam in hac re inconstantiam Byzantini postea animadvertisse videntur; quam ut velarent, quidam synodum quintam œcumenicam azyma Armenorum condemnasse somniarunt. Ita Simeon Hierosolymitanus, *op. cit.*, 8, ed. Leib, p. 221-222; cf. p. 187.
4. Plura decreta liturgica sub nomine Alexandri I papæ circumferuntur. Quædam habentur in *P. G.*, t. V, col. 1057-1074. Omnia vero sunt apocrypha.

quos venit Gabriel Severus; qui tamen addit primum azymi invectorem fuisse Ebionem judaizantem et hæreticum, atque ab eo Ecclesiam romanam usum azymi sub Alexandro papa accepisse. « Verum, ait Gabriel, Alexander papa potestatem non habebat sua propria auctoritate et absque synodi suffragio e sacra liturgia expellendi fermentatum, quem in sacris adhibebat tota Christi Ecclesia a finibus usque ad fines orbis terrarum; neque transgrediendi canonem 34 apostolorum prohibentem primum uniuscujusque gentis episcopum aliquid magni momenti facere absque omnium episcoporum suffraganeorum sententia [1]. » Hanc Gabrielis Severi sententiam synodus Constantinopolitana anni 1722 suam fecit in *Epistola dogmatica ad Antiochenos* [2].

Alii polemistæ consuetudinis latinæ auctorem denuntiant Felicem II antipapam (355-365), qui errore Apollinaris imbutus, ut hunc inculcaret ac disseminaret, fermentum, animae rationalis Christi congruens symbolum, e pane altaris expulerit. Ita Nicetas Nicænus [3], Demetrius Chomatenus [4].

Hujus autem sententiæ speciem aliquatenus variantem habemus apud Simeonem Hierosolymitanum, qui Felicem papam cum Leucio quodam in Vita sancti Gregorii Agrigentini (qui sæculo VII ineunte vivebat) memorato et a magna synodo Laodicena (sæcul. IV) excommunicato (!) confundit. Hic Leucius seu Felix, Apollinaris genuinus discipulus, usum azymorum in romanam Ecclesiam introduxerit [5].

Multi opinati sunt azymorum hæreticalem pestem inter

1. *Op. cit.*, *De tertia differentia*, c. V et VI, p. 41-43.
2. *Loc. cit.*, col. 188.
3. Apud Pavlov, *loc. cit.*, p. 143.
4. *Ad regem responsum* XIV : *Quandonam incœpit Ecclesia romana azyma in sacris usurpare?* Apud Pitra, *Analecta sacra*, t. VII, col. 707-710 : « Μέχρι τοῦ Λιβερίου πάπα Ῥώμης διὰ ζύμης ἡ ἱερὰ λειτουργία ἐτελεῖτο· τούτου δὲ τελευτήσαντος καὶ τοῦ Φήλικος χειροτονηθέντος πάπα... καὶ τοῦ Ἀπολλιναρίου δόγμα κρύπτοντος... γέγονεν ἡ λειτουργία προστάξει αὐτοῦ ἄζυμος, προφασιζομένου ὡς ὁ Κύριος διὰ ἀζύμων τὸ οἰκεῖον πάσχα παρέδωκεν. »
5. *Loc. cit.*, p. 220-221 : « Παρ'αὐτοῦ τοίνυν τοῦ παμμιάρου τὴν τῶν ἀζύμων θυσίαν τελεῖν παρελάβετε, ὁπηνίκα δηλονότι τοῦ τῆς Ῥώμης μετελάβετο θρόνου. »

Occidentales invaluisse tempore Caroli Magni, Vandalorum seu Nemitiorum (τῶν Νεμιτζίων = Germanorum) regis. Ita Athanasius Cydonius [1], Nicetas Seides [2], Matthæus Blastares [3] et quotquot fabulosam de origine schismatis narrationem secuti sunt [4].

Alii tanquam veritatem inconcussam ponunt usum azymorum inter Latinos esse unam e novitatibus in Occidente post septem concilia œcumenica attentatis; sibi enim fingere non possunt unionem cum Latinis unquam consistere potuisse cum hac tam nefaria judaismi novatione. Ita Joannes Antiochenus [5], Anonymus sæ-

1. Ab Allatio, *In. R. Creyghtoni appar. exercitationes : Exerc.* XXVIII, p. 574, laudatus.

2. *Op. et loc. cit.* : « Εἶτ' αὖθις οἱ Οὐάνδαλοι, τῆς Ῥώμης ἐπικρατήσαντες καὶ κυριαρχήσαντες ὑμῶν, πρὸς τὰ σφῶν ἔθη καὶ ὑμᾶς μετεποίησαν, καὶ πάντα ὅσα νῦν ἐλαττώματα ἔχετε διαιροῦντα ὑμᾶς ἀφ' ἡμῶν κακῶς ἐξεπαίδευσαν. »

3. « Πολλοῖς γὰρ ὕστερον χρόνοις πρὸς τῶν Οὐανδάλων, τῶν νῦν Νεμιτζίων λεγομένων, ἡ νόσος τοῖς Λατίνοις εἰσεκώμασεν αὕτη. » Apud Allatium, *op. cit.*, p. 575.

4. Cf. t. I, p. 376-380. Ad eamdem sententiam referri possunt ea quæ Anselmo Havelbergensi Nicetas Nicomediensis aliquando dixit : « Ex quo surrexit quidam Carolus, rex Francorum, qui violenter romanum invasit imperium... non pauca scandala inter Latinos et Græcos orta sunt... etiam in ecclesiaticarum rerum diversitate. Inde est quod cum Latini nostrum fermentum blasphemant [Hoc a Niceta gratis asseritur] et sacrificio altaris indignum judicant.... nos quoque ab eis irritati et ex æquo eis respondentes, azymum eorum nequaquam curamus, indignum sacrificio sacri altaris judicamus, eos non fastu superbiæ, sed justæ retributionis nomine azymitas hæreticos appellamus. » *Anselmus Havelbergensis, Dialogi*, l. III, c. XIV, *P. L.*, t. CLXXXVIII, col. 1231. Nicetas Anselmo concessit apostolos indifferenter usos fuisse azymo et fermentato, Latinos paulatim fermentatum reliquisse et solum azymum retinuisse; Græcos vero contrarium fecisse, scilicet azymum penitus dimisisse et fermentatum elegisse : « Et tamen propter hoc nec antiqui Græci sapientes, nec antiqui Latini sapientes se invicem contemnendos existimabant; sed licet in hoc minus essent uniformes, tamen mutua pace et fraterna charitate se invicem in Christo fideliter diligebant. » *Ibid.*, col. 1230. Hæc græcus theologus cum Anselmo disputando dixit; nunquam vero talis polemista antilatinus inventus est qui in suis scriptis similia fassus fuerit.

5. *Op.* et *loc. cit.*, p. 259-262 : « Οὐ μὲν οὖν οὐδὲ ἐκεῖνο δοξαίμην ἔν. εἴ τις λέγει τοὺς πιστεύσαντας τῶν παροικούντων Ἰουδαίων ἐν Ῥώμῃ συγχωρηθῆναι τὴν τῶν ἀζύμων θυσίαν ἴσως τηνικαῦτα (tempore scilicet

culi XIII [1], Macarius Ancyranus [2], Josephus Bryennius [3].

Secundum quosdam, abusus hujusmodi post Photium invectus fuerit. Ita Elias Meniates [4] et Andrutsus [5].

Si alios audias, fuerit schismate posterior : Ita Angelus Panaretus, qui indicium hujus tardæ originis in ipsa voce *azymus*, quæ est græcæ derivationis, detegit [6].

Sententia autem recentioribus magis arridens ea est quæ tenet usum azymorum in Ecclesia latina incepisse sæculo XI, ipsa nempe Cærularii ætate, ejusque præcipuum promotorem vel auctorem fuisse Leonem IX. Ita Eustratius Argentis [7], *Pidalii* auctores [8], Anthimus VII, patriarcha Constantinopolitanus, in *Epistola encyclica* anno 1895 data [9].

VII. — De validitate consecrationis in azymo juxta Græco-Russos.

Ex omnibus quæstionibus quæ circa panem azymum moveri possunt hæc sane potior est : Utrum nempe hic

apostolorum), οἷς γε καὶ συνήθη, εἶτα παρ'ἐκείνων μαθόντας 'Ιταλοὺς ἄχρι καὶ εἰς δεῦρο πρεσβεύειν », p. 260.

1. *Op. cit.*, p. 65 : « Ὥσπερ καὶ τὸ ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι τὸ Πνεῦμα οὐκ ἀρχαία, ἀλλὰ νεόγραφος λατινικὴ πρόσθεσις..., οὕτω καὶ ἡ τοῦ ἀζύμου προσφορὰ νεώτερον τόλμημα. »

2. *Op. cit.*, p. 186 : « Τῶν πάντη ἀδυνάτων διαφόρους παραδοῦναι τελετὰς τοὺς ἀποστόλους, ἢ τοὺς ἑξῆς ἁγίους πατέρας, καὶ ὧδε μὲν διδάξαι δι'ἐνζύμου τὴν μυστικὴν ἐπιτελεῖν θυσίαν, ἀλλαχοῦ δὲ δι'ἀζύμου. » Quod Macario impossibile videtur, hoc diserte concesserunt quidam polemistæ, ut Nicetas Pectoratus, Petrus Antiochenus, etc.

3. *Sermo consult. de unione Ecclesiarum*, *Opera*, t. I, p. 485-486.

4. *Petra scandali*, ed. Ath. 1840, *De tertia differentia*, p. 125-126 ; Elias dicit : « Azyma in Ecclesia latina inceperunt sive post Photium, sive tempore Alexandri papæ. »

5. Δογματική, p. 363 : Azyma inceperunt circa sæc. X.

6. *Op. cit.*, t. XI, p. 32-35 : « Τοσοῦτον δὲ οὐκ ἔστιν ἀρχαία ἡ παράδοσις αὕτη τῶν μυστηρίων ἐν Ῥώμῃ, καθότι οὐδὲ ὄνομα εὕρηται κατ'αὐτοῦ ῥωμαΐδι γλώττῃ λεγόμενον..., ἀλλὰ τὴν ἑλλήνιδα λέξιν τούτῳ προσήρμοσαν, ἄζυμον ὀνομάσαντες. » Ex his quæ S. Gregorius Magnus narrat in l. IV, c. LVII *Dialogorum*, concludit Panaretus Romanos pane fermentato tunc usos fuisse.

7. *Op. cit.*, p. 57-61 : « Ἀπόδειξις ὅτι ὁ πάπας Λέων ὁ θ', τῷ ἔτει ᾳν' (1050), εἰσήγαγε πρῶτος εἰς τὴν Ἐκκλησίαν τὰ ἄζυμα. »

8. *Op. cit.*, p. 105, n. 1 : « Κατὰ τὸ ἔτος τοῦτο (1053) Λέων ὁ ἔννατος πρῶτος ἐφευρετὴς τῶν ἀζύμων ἐγένετο. »

9. « Ἡ παπικὴ Ἐκκλησία ἀπὸ τοῦ ἑνδεκάτου αἰῶνος ἐκαινοτόμησε καὶ ἐν τῷ μυστηρίῳ τῆς θείας εὐχαριστίας, εἰσαγάγουσα τὰ ἄζυμα. »

panis sacramenti Eucharistiæ sit materia valida; immo sub aspectu dogmatico ea sola est, quæ verum momentum præ se ferat; eadem tamen est, quam polemistæ antilatini plerumque negligunt ac de industria silentio prætereunt; sicubi vero eam tangere videntur, rem ita in incerto relinquunt, ut postquam illorum opuscula perlegeris, quid de proposita quæstione sentiant, revera nescias. Hac via incerta et ambigua dolosisque subauditis scatente processerant primi azymorum adversarii [1]. Eamdem iniverunt plerique eorum successores. Ex ipsis tamen quosdam invenimus, qui Theophylacti exemplum secuti, validitatem consecrationis in azymo diserte affirmarunt; imo usum azymorum tolerabilem esse pronuntiarunt; quosdam vero alios, qui non minus diserte autumarunt azymum in corpus Christi converti non posse; alios demum, qui eumdem panem azymum ut materiam dubiam sacramenti habuerunt.

Inter primæ sententiæ tenaces occurrunt Theorianus philosophus et Demetrius Chomatenus, Achridensis archiepiscopus. In suis disputationibus cum Nersete, Armenorum Catholico, Theorianus ne unum quidem verbum habet contra azymum, dum plures alios Armenorum usus reprehendit [2]; in quadam vero *Epistola ad sacerdotes in monte degentes*, de azymis Latinorum expresse disserit suamque de hac quæstione mentem plane aperit :

« Divinus panis, inquit, antequam consecretur, sive azymus, sive fermentatus fuerit, indifferenter panis est et dicitur a sacris eloquiis, ut postmodum ostendemus. Postquam vero consecratus est, neque azymus neque fermentatus dicitur vel est, sed corpus et caro Domini, eadem ipsa, nec alia pro alia : una siquidem est et ipsa, quæ ex incorrupta Virgine et Deigenitrice a Verbo Deo assumpta est, et in dextera Dei sedet, atque a nobis orthodoxis mystice sumitur... Si igitur divina virtus transmutat proposita dona in corpus et sanguinem Jesu Christi, *superfluum est*

1. Cf. t. I, p. 314-319.

2. Vide hujusmodi Διαλέξεις in *P. G.*, t. CXXXIII, col. 119-212; 212-298. In anterioribus unionis tentaminibus inter Græcos et Armenos, quæ tum sæcul. VIII, tum sæc. IX fuerunt, de azymis item silentium utrinque servatum fuit.

contendere utrum ex azymis an ex fermentatis fuerit, aut ex albo vel rubeo vino, atque stultas et ineptas hujusmodi curiositates de tremendis mysteriis agitare... Ut ostensum est (ex Luca, XXIV, 30, 33), azymus vocatur ἄρτος. Nam ἄρτος nomen genericum est, quod tum de azymo, tum de fermentato æqualiter prædicatur. Et hæc quidem ad nostros, qui contendunt panem azymum ἄρτον non dici. Quod vero ad Latinos attinet, hoc magnam mihi admirationem movet, quod ne ullum quidem inter eorum doctos invenies qui panem fermentatum vituperet. Nam ego de divina communione cum Latinorum optimis, iisque rerum philosophicarum theologicarumque haud mediocriter peritis, et cum sanctissimo Venetiarum patriarcha Henrico, viro sapientissimo et circa res divinas admodum studioso et diligenti, collocutus sum, et nunquam ullum audivi in nostram sacram communionem linguam laxare... Latinos ergo ut fratres diligite. Recte enim de fide sentiunt, suntque, quemadmodum et nos, catholicæ atque apostolicæ Ecclesiæ filii. Quæ vero in eis contentionis materiam præbent meræ consuetudines sunt, quæ nihil fidem lædunt [1]. »

Ita Theorianus, sapientis ac philosophi nomine vere dignus. Demetrius Chomatenus vero eo usque sane non procedit, ut Latinos tanquam fratres amplectatur eosque ab omni culpa vel defectu in fide penitus absolvat; attamen recitat suaque facit Theophylacti verba de azymis, validitatemque consecrationis Latinorum diserte agnoscit :

« Quemadmodum, inquit, illi quæ a nobis consecrata, et nos pariter quæ ab eis, sancta æstimamus; neque in hoc fallimur. Etenim hæreticorum quoque ordinationes ab

1. « Εἰ οὖν τὸ Θεῖον μεταβάλλει τὰ προκείμενα δῶρα εἰς σῶμα καὶ αἷμα Χριστοῦ, περισσὸν λοιπὸν τὸ φιλονεικεῖν ἢ ἐξ ἀζύμων ἢ ἐνζύμων ἦν, ἢ λευκοῦ ἢ ἐρυθροῦ τυχὸν οἴνου, καὶ τοιαύτας τινὰς περιεργίας μωρὰς περὶ τῶν φρικτῶν μυστηρίων διερευνᾶν. » Hæc Theoriani epistola nondum ex integro, saltem in textu originali, edita est. Auctores latini *Tractatus contra errores Græcorum*, anno 1252 Peræ compositi, eam latine versam sub nomine sancti Joannis Chrysostomi dederant (cf. *P. G.*, t. CXL). Allatius et Turrianus quædam fragmenta textus originalis postea exscripserunt; quæ diligenter in unum collegit Lequien in *Dissertatione damascenica sexta, de azymis*, 41-42, *P. G.*; t. XCIV, col. 405-408.

orthodoxis recipiuntur juxta Patrum traditionem, si orthodoxi sint vel fiant qui ab eis ordinantur [1]. »

Qui vero expressis verbis asserere non dubitarunt corpus Christi ex azymo confici non posse, admodum pauci fuere, inter quos primi, ut videtur, exstiterunt illi præsules græci qui Nymphaeæ anno 1234 legatis papæ brevem suæ fidei professionem de processione Spiritus Sancti necnon de materia Eucharistiæ dederunt, in qua hæc verba legebantur :

« Dicimus quod non potest consummari sacrificium per azyma, utpote azymo parte existente ejus, quæ cessavit, legalis servitutis [2]. »

Porro Græcos mox pœnituit quod talem de azymo sententiam dedissent, omnemque moverunt lapidem, ut scriptum hujusmodi fidei professionem continens e manibus legatorum etiam vi eriperent : quod et tandem consecuti sunt : unde et hujus documenti textus originalis ad nos usque non pervenit, sed habetur tantum ejus versio latina, quam legati papæ prius fecerant [3].

Sæculo XIV, validitatis azymi negator exstitit Matthæus Angelus Panaretus in suo *Tractatu de azymis*. Dicit enim :

« Qui panem azymum immolant ac tanquam corpus Christi manducant, non ipsum Christi corpus immolant et manducant, sed merum panem mortuum et inutilem. Azymus enim non est corpus Christi, quandoquidem corpus Domini hoc non nutriebatur, neque aliqua ratione idem ac ipse erat, quatenus sustentationem ex ipso non habebat. Ideo et credimus, o Latini, Spiritum Sanctum super vestra dona nequaquam descendere, ut ea in corpus et sanguinem Christi convertat : manent vero ita : panis azymus et vinum,

1. « Ὥσπερ ἐκεῖνοι τὰ παρ' ἡμῶν ἱερουργούμενα, καὶ ἡμεῖς οὕτω τὰ παρ' ἐκείνων ἅγια λογιζόμεθα, καὶ οὐ σφαλλόμεθα· καὶ αἱρετικῶν γὰρ χειροτονίαι τοῖς ὀρθοδόξοις δεκταί εἰσι κατὰ τὴν τῶν πατέρων παράδοσιν, ὀρθοδόξων ὄντων ἢ γινομένων τῶν ὑπ' αὐτῶν χειροτονουμένων. » *Ad Const. Cabasilam resp.* III, apud Pitra, *Analecta*, t. VII, col. 630 ; apud Leunclavium, *Jus græco-romanum*, Francofurti, 1596, t. I, p. 320.

2. G. Golubovich, *Relatio apocrisariorum Gregorii IX*, 23, *loc. cit.*, p. 455.

3. « Accessit cartofilax, et perscrutatus est omnes libros et omnes sarcinas nostras, necnon et ipsos Fratres apprehendit et seorsum duxit eos in cameram, et cordis laxatis tandem invenit cartam, et accipiens eam dixit : *Habeo quod quæsivi.* » *Ibid.*, 30, p. 465.

quia eorum oblatio neque secundum divinæ Scripturæ traditionem, neque secundum Dei voluntatem perficitur [1]. »

In alio suo opusculo *De absurdis καινοδόξων Latinorum*, diversam suæ sententiæ rationem profert : Latinus sacerdos corpus Christi revera non perficit, et Spiritus Sanctus ad sanctificandum panem propositum non descendit, quia Spiritus Sanctus descendere non potest, ubi *blasphemantur* et ipse Spiritus, et Pater et Filius [2].

Neminem ex recentioribus invenimus qui Panareto assentiat. Azymum quidem omnes carpunt, dicteriis insectant, non esse ἄρτον repetunt, tollendum, abjiciendum pronuntiant; nullus vero expresse declarare audet quod Panaretus autumare non timuit : « Azymus Latinorum non fit corpus Christi [3]. » Quosdam solummodo detegimus qui azymum ut materiam dubiam habere videntur. Ita Petrus Moghilas, qui in *Trebnico* hanc rubricam posuit :

« Panis azymus nullo modo esse potest materia corporis Christi in Ecclesia orientali orthodoxa catholica. Unde sacerdos azymo uti ne audeat... Qui vero utitur, mortaliter peccat; utrum autem hujusmodi pane sacramentum perficiatur, dubium est [4]. »

Quæri autem posset, utrum dubium de quo loquitur Moghilas sacerdotes Ecclesiæ græco-russicæ tantum respiciat, an etiam ad Ecclesiæ latinæ usum se extendat. Quidquid sit de Moghilæ genuina mente, certo constat plerosque

1. *Op. cit.*, 59, t. XI, p. 156 : « Διὰ τοῦτο καὶ πιστεύομεν ὡς οὐκ ἐπιφοιτᾷ τὸ πανάγιον Πνεῦμα τοῖς ὑμετέροις, Λατῖνοι, δώροις, ὥστε μεταβάλλειν αὐτὰ εἰς σῶμα καὶ αἷμα Χριστοῦ, μένουσι δὲ οὕτως, ἄζυμος ἄρτος καὶ οἶνος· ἐπεὶ μὴ κατὰ τὴν παράδοσιν τῆς Θείας Γραφῆς μηδὲ κατὰ θέλησιν Θεοῦ ἡ τούτων προσένεγξις γίνεται. »

2. « Ἐπεὶ οὐκ ἐπιφοιτᾷ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον εἰς ἁγιασμὸν τοῦ προκειμένου ἄρτου. Πῶς γὰρ ἐπιφοιτήσει τὸ πανάγιον Πνεῦμα ἐκεῖ, ἔνθα βλασφημεῖται αὐτό τε τὸ Πνεῦμα καὶ ὁ Πατὴρ καὶ ὁ Υἱός; » t. X, p. 75.

3. Malinovskii, *op. cit.*, t. II, p. 387-388, tamen dicit : « Azyma, prout initio novitatis et nunc etiam in Ecclesia romana præparantur, possumusne panem sensu proprio vocare et pro pane habere? Nequaquam sane. Ut appellationem panis accipiant farina et aqua, quæ veræ coctioni non fuerint subjecta, sufficitne ut in unum commisceantur? »

4. *Trebnik*, p. 235.

theologos dissidentes quum veteres tum recentiores, non exceptis illis polemistis qui, ut Eustratius Argentis, acerrimo stylo azyma impugnavere, validitatem consecrationis in pane azymo non negasse neque in dubium expresse adduxisse; sed omnia ab eis contra usum Latinorum prolata ad solam liceitatem, non vero ad validitatem referri; ita ut tota hæc de azymis tam strepitosa contentio, a Michaele Cærulario primum suscitata, extra theologiæ dogmaticæ limites plerumque remanserit.

ARTICULUS V

De forma sacramenti Eucharistiæ. De epiclesi.

Secundum doctrinam catholicam, quæ nondum quidem solenni definitione proposita est, a magisterio vero Ecclesiæ ordinario docetur, et ideo *saltem* fidei proxima dicenda est, forma sacramenti Eucharistiæ constat ipsis verbis a Christo in ultima Cœna prolatis, et in nomine ac persona ipsius a sacerdote intra missæ sacrificium repetitis : *Hoc est corpus meum — Hic est sanguis meus;* quibus dictis, mysterium transsubstantiationis panis et vini in corpus et sanguinem Christi jam *plene* perfectum est, Christusque totus sub utraque specie statim ac deinceps adest. Huic doctrinæ, inde a sæculo XIV, theologi græco-russi haud pauci expresse adversati sunt, docueruntque verba Christi « vel non esse formam completam ac totalem hujus sacramenti, sed ejus partem tantum; vel etiam nullam vim consecratoriam retinere, sed esse mere *narrativa*, διηγηματικά; veram autem ac solam formam esse hanc invocationis formulam a sacerdote in ritu byzantino paulo post Christi verba pronuntiatam, qua Patrem æternum rogat : vel ut super assistentes et super dona proposita mittat Spiritum Sanctum suum, qui dona benedicat (εὐλογῆσαι), sanctificet (ἁγιάσαι) et *ostendat* vel efficiat (ἀναδεῖξαι) hunc quidem panem ipsum pretiosum corpus Domini et Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi; hunc vero calicem ipsum pretiosum sanguinem Domini et Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, qui effusus est pro

mundi vita et salute » *(Liturgia sancti Basilii* [1]*)*; vel « ut super assistentes et super dona proposita mittat Spiritum Sanctum suum, et *ipse Pater faciat* (ποίησον) hunc quidem panem pretiosum corpus Christi sui; quod vero in hoc calice est pretiosum sanguinem Christi sui, *ea transmutans per Spiritum Sanctum suum*, μεταβαλὼν τῷ Πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ: ut fiat accipientibus in sobrietatem animæ, in remissionem peccatorum, in communicationem Sancti Spiritus, in regni cælorum plenitudinem, in fiduciam erga te, non in judicium vel condemnationem » *(Liturgia sancti Joannis Chrysostomi)*. Hæc est illa formula, quam vulgo vocant *epiclesim Spiritus Sancti*, at *minus proprie :* est enim potius *epiclesis* seu *invocatio Patris*, cujus minister vel instrumentum exhibetur Spiritus Sanctus, præsertim in *Liturgia sancti Joannis Chrysostomi*, ubi sacerdos dicit Patri : *Fac*, ποίησον, *ea convertens per Spiritum Sanctum tuum.*

Porro de hac invocatione seu *epiclesi*, quæ quantum ad sensum, si non ad verba, et quidem *eodem loco*, id est post verborum dominicorum prolationem, in omnibus fere liturgiis, Romana excepta [2], occurrit, multi olim, ac præsertim nostro ævo et in Occidente, multa scripserunt; quorum innumera opera ac dissertationes ad enucleandam quæstionem dogmaticam in ea latentem haud semper contulerunt: immo vero quandoque tenebris involverunt. Nostri sane non est singulorum dicta etiam in compendio referre, discutere, perpendere, neque totam hanc quæstionem sub diversis ejus aspectibus tractare [3]. Hoc vero ad nostrum propositum imprimis pertinet : videlicet diversas sententias de forma Eucharistiæ a Græco-Russis temporum decursu propugnatas sincere ac dilucide exponere: quod ut præstemus, necessarium ducimus quædam præmittere tum de doctrina

1. In quibusdam recentibus exemplaribus, contra omnes codices manu scriptos, verba : μεταβαλὼν τῷ Πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ Liturgiæ sancti Basilii inserta sunt; quæ ad liturgiam S. J. Chrysostomi pertinent.

2. Loquimur de epiclesi transsubstantiationis petitoria.

3. De qua vide S. Salaville, art. *Epiclèse eucharistique*, in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. v, col. 194-300, ubi etiam notarum bibliographicarum copiosam segetem invenies. Cf. etiam Th. Spacil, *op. cit.*, ubi haec quaestio fuse tractatur.

Patrum græcorum circa formam hujus sacramenti, tum de vi ac momento verborum Christi, necnon nvocationis seui *epiclesis* supra dictæ, prout vis ista ac momentum ex ritibus, rubricis antiquis ac verbis liturgicis in ritu byzantino elucent. Disseremus ergo, et quidem breviter, ut hocce fert compendium : 1° De doctrina præcipuorum Patrum græcorum circa formam Eucharistiæ; 2° De vi ac significatione tum verborum Christi tum epiclesis ea subsequentis in utraque liturgia byzantina, prout hæc liturgia legitur in antiquis codicibus; 3° De mente sancti Joannis Damasceni circa formam Eucharistiæ; 4° De doctrina theologorum byzantinorum post Joannem Damascenum usque ad controversiæ initium cum Latinis; 5° De doctrina Nicolai Cabasilæ ejusque discipulorum; 6° De theologis græco-russis qui formam sacramenti in sola epiclesi posuerunt; 7° De theologis græco-russis qui doctrinam catholicam propugnarunt post Nicolaum Cabasilam.

I. — Doctrina Patrum græcorum de forma Eucharistiae.

Hunc brevem conspectum doctrinæ Patrum græcorum de forma Eucharistiæ ideo præmittimus, quod illustrandis diversis sententiis theologorum posteriorum haud parum conducet. Patres græci quidem — et idem de Patribus latinis affirmari licet — suam de forma hujus sacramenti sententiam nonnisi obiter significarunt, quippe quia eorum ævo nulla de hoc capite controversia mota est. Ex ipsis tamen non pauci ipsa Christi verba conversionem panis et vini in corpus et sanguinem ejus operari haud obscure indicarunt, inter quos jam recenseri possunt Justinus et Irenæus. Justinus, dum in prima sua *Apologia* eucharistici sacrificii celebrationem describit, panem et vinum *eucharistiam fieri* atque corpus et sanguinem Christi esse per *precem, quæ est sermo ab ipso Christo prolatus seu traditus*, expresse dicit [1].

1. « Τὴν δι'εὐχῆς λόγου τοῦ παρ'αὐτοῦ εὐχαρισθεῖσαν τροφὴν... τοῦ Ἰησοῦ καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι. » *Apol.*, I, 66, *P. G.*, t. VI, col. 428. Nota verba Christi a Justino εὐχήν, id est *precem, orationem* nuncupari; et rectissime quidem, cum a sacerdote in missa non per modum historicæ narrationis, sed per modum ritus sacri cum gestibus specialibus proferantur.

Irenæus item hæc habet : « Mixtus calix et panis terrestris *verbum Dei* recipiunt, et Eucharistia fit corpus Christi [1]. »

Sæculo IV, Gregorius Nyssenus vim consecratoriam verbis Christi adhuc clarius tribuit, dum scribit : « Panis, sicut Apostolus dicit (I Timoth., IV, 5), *sanctificatur per verbum Dei et orationem ;* qui in corpus Verbi *statim* convertitur, quemadmodum a Verbo dictum est : *Hoc est corpus meum* [2]. » Joannes Chrysostomus de sua in hac quæstione mente nullum ambigendi locum reliquit, quandoquidem haud semel in suis scriptis diserte affirmat tum Christum in ultima Cœna panem consecrasse dicendo : *Hoc est corpus meum*, tum sacerdotes, vel potius eumdem ipsum Christum per sacerdotes idem nunc in missa iisdem verbis efficere [3]. Gregorium Nazianzenum ad verba Christi alludere ubi Amphilochio hæc scribit : « Pro nobis orare et intercedere ne obliviscaris, quando verbo Verbum attrahis, quoties *incruenta sectione corpus Domini ab ejus sanguine dividis*, vocem habens pro

1. *Contra hær.*, l. V, c. II, 3; *P. G.*, t. VII, col. 1125 : « Ὁπότε οὖν καὶ τὸ κεκραμένον ποτήριον καὶ ὁ γεγενὴς ἄρτος ἐπιδέχεται τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, καὶ γίνεται ἡ εὐχαριστία σῶμα Χριστοῦ. » Cf. l. IV, c. XVII, 5, col. 1027, ubi loco : τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, occurrit τὴν ἔκκλησιν τοῦ Θεοῦ. Vere siquidem verba Christi, prout a sacerdote in missa proferuntur, *invocatio Dei* dici possunt, sive quia Christus ipse orando et gratias agendo (εὐλογήσας, εὐχαριστήσας) pronuntiavit, sive quia celebrans eodem modo in ejus nomine ea repetit.

2. *Oratio catech.*, 27, *P. G.*, t. XLV, col. 97 : « Ὁ ἄρτος, καθὼς φησιν ὁ Ἀπόστολος, ἁγιάζεται διὰ λόγου Θεοῦ καὶ ἐντεύξεως, εὐθὺς πρὸς τὸ σῶμα τοῦ Λόγου μεταποιούμενος, καθὼς εἴρηται ὑπὸ τοῦ Λόγου ὅτι· τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου. » Gregorius conversionem in instanti fieri docet, et quidem cum repetitur sermo Dei : *Hoc est corpus meum.* Nec dicas invocationem, quam nunc dicunt epiclesim, per vocem ἐντεύξεως designari. Hæc vox enim ponitur, ut videtur, propter loci apostolici citationem. Cæterum verba Christi in missa formam orationis induunt.

3. *Homil. de proditione Judæ*, I, 6, *P. G.*, t. XLIX, col. 380 : « Σχῆμα πληρῶν ἕστηκεν ὁ ἱερεύς, τὰ ῥήματα φθεγγόμενος ἐκεῖνα· ἡ δὲ δύναμις καὶ ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἐστι. Τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα, φησί. Τοῦτο τὸ ῥῆμα μεταρρυθμίζει τὰ προκείμενα. » Cf. *Hom. de prod. Judæ*, II, 6, *ibid.*, col. 389, ubi verba Christi, prout a sacerdote proferuntur, δέησις vocantur; *In II Timoth. hom.*, II, 4, *P. G.*, t. LXII, col. 612 : « Ὥσπερ γὰρ τὰ ῥήματα, ἅπερ ὁ Θεὸς ἐφθέγξατο, τὰ αὐτά ἐστιν, ἅπερ ὁ ἱερεὺς καὶ νῦν λέγει, οὕτω καὶ ἡ προσφορὰ ἡ αὐτή ἐστι. »

gladio [1] », nobis certum videtur. Item Cyrillus Alexandrinus docet « oblationes quæ in ecclesiis offeruntur *sanctificari* et *benedici* et *consummari per Christum* [2]; » quo satis clare innuit hoc fieri per ipsius Christi verba. Hesychius Hierosolymitanus quod a Cyrillo implicite tantum significatur, aperte declarat :

« Sanctificationem mystici sacrificii, inquit, et a sensibilibus ad intelligibilia translationem sive commutationem *ei qui verus est sacerdos*, videlicet Christo, oportet dari..., quia per ejus virtutem *et prolatum ab eo verbum* quæ videntur sanctificata sunt [3]. »

Ad hanc rationem ab Hesychio indicatam attendas velim : Donorum commutatio ei qui verus est sacerdos tribuenda est, id est Christo. Hoc per se patet. Neque enim Pater est pontifex, neque Spiritus Sanctus, sed Christus Homo-Deus. Verum quidem est mysterium transsubstantiationis, cum sit opus quod a sola divina virtute effici queat, tribus personis sanctissimæ Trinitatis esse commune et a tribus simul perfici una operatione; cum autem intra sacrificium efficiatur, immo ipsius sacrificii essentiam constituat, Christo, qui titulo pontificis solus decoratur, imprimis appropriandum est. Ad hoc sane non attenderunt quotquot transsubstantiationem Spiritui Sancto *primordialiter* ac *directe* tribuere visi sunt. Hoc sane a Patrum mente alienum est; qui Christum sacerdotem secundum ordinem Melchisedech ideo prædicant, quod sacrificium eucharisticum non solum in ultima Cœna obtulerit, verum etiam idem nunc per sacerdotum visibile ministerium invisibiliter et *actualiter* [4] offerre pergat. Consecrationem Patri vel Spiritui Sancto *primordialiter* ac *directe* tribuere est « un non-sens » tum theologicum, tum liturgicum : theologicum, quia Chris-

1. *Epist.* LXXV *ad Amphil.*, *P. G.*, t. XXXVII, col. 280-281 : « Ὅταν ἀναιμάκτῳ τομῇ σῶμα καὶ αἷμα τέμνῃς δεσποτικόν, φωνὴν ἔχων τὸ ξίφος. »

2. *Adversus Anthropomorphitas*, 12, *P. G.*, t. LXXVI, col. 1057 C : « Τὰς ἐν ταῖς ἐκκλησίαις δωροφορίας ἁγιάζεσθαι πιστεύομεν καὶ εὐλογεῖσθαι καὶ τελειοῦσθαι παρὰ Χριστοῦ. »

3. *In Levit.*, l. VI, c. XXII, 14-16, *P. G.*, t. XCIII, col. 1071-1072.

4. *Actualiter*, et non tantum *virtualiter*, ut quidam recentes docere videntur. Cf. quæ infra dicuntur, p. 311.

tus est solus sacerdos; liturgicum, quia sacrificium ex liturgico usu Patri vel toti Trinitati in orationibus Ecclesiæ communiter offertur.

At vero, inquies, plerique Patres græci, iis non exceptis qui, ut Chrysostomus [1] verbis Christi vim consecratoriam tam diserte adnectunt, conversionem panis et vini *per gratiam*, *per adventum Spiritus Sancti* fieri passim docent. Hoc nequaquam infitiamur [2]. Dicimus tamen Patres græcos soli illi invocationi seu epiclesi verba Christi in liturgiarum contextu subsequenti, qua adventus. Spiritus Sancti super fideles et dona postulatur, expressis verbis consecrationem nunquam tribuere [3]; nomine vero *epiclesis* seu *invocationis*

1. Cf. *De sancta Pentecoste hom.* I, 4, *P. G.*, t. L, col. 459 : « Ἡ τοῦ Πνεύματος χάρις παροῦσα καὶ πᾶσιν ἐφιπταμένη τὴν μυστικὴν ἐκείνην κατασκευάζει θυσίαν. » — *De cœmeterio et cruce*, 3, t. XLIX, col. 398, ubi alludit ad epiclesim, qua tamen non postulatur conversio donorum, sed ut Spiritus Sanctus ea tangat et det gratiam, καὶ ἅψασθαι τῶν προκειμένων. — *De sacerdotis*, l. III, 4, t. XLVIII, col. 642, ubi Spiritus Sanctus comparatur flammæ sacrificii, et ad ejus operationem animarum sanctificatricem per epiclesim petitam rursum alluditur : « ἵνα ἡ χάρις ἐπιπεσοῦσα τῇ θυσίᾳ, δι' ἐκείνης τὰς ἁπάντων ἀνάψῃ ψυχάς, καὶ ἀργυρίου λαμπροτέρας ἀποδείξῃ πεπυρωμένου. » — *Homil.* XXIV *in I ad Corint.*, t. LXI, col. 204, ubi Spiritus Sanctus dicitur cum suis donis copiosis super dona volitare, μετὰ πολλῆς δαψιλείας τοῖς προκειμένοις ἐφιπτάμενον. — *De sacerdotio*, l. VI, 4, ubi sanctus doctor memorat quidem invocationem Spiritus Sancti, nullo modo vero ei tribuit transsubstantiationem : « Ὅταν ὁ ἱερεὺς καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον καλῇ, καὶ τὴν φρικωδεστάτην ἐπιτελῇ θυσίαν, καὶ τοῦ κοινοῦ πάντων συνεχῶς ἐφάπτηται δεσπότου. » Ex contextu, omnia verba hæc supponunt tantummodo pro : *Quando sacerdos sacrificium offert, missam celebrat.* Revera nullum locum sancti Joannis Chrysostomi invenimus, in quo transsubstantiatio Spiritui Sancto directe tribuatur; immo textus ubi invocatio Spiritus Sancti memoratur, suggerunt epiclesim missæ qua utebatur sanctus doctor non fuisse conversionis petitoriam sed ad sanctificationem fidelium tantum pertinuisse.

2. Nota dicere : *dona per gratiam vel per adventum Spiritus Sancti consecrari vel transmutari*, idem non esse ac affirmare : *dona consecrari vel transmutari eo momento, quo sacerdos postulat Patrem, ut per Spiritum Sanctum suum dona in corpus et sanguinem Christi convertat.*

3. Cyrillus Hierosolymitanus, *Catech. myst.* V, 5-8, *P. G.*, t. XXXIII, col. 1113-1116, videtur quidem transsubstantiationem epiclesi proprie dictæ tribuere; explicite enim hujus invocationis mentionem facit, statim hæc addens : πάντως γὰρ οὗ ἐὰν ἐφάψαιτο τὸ ἅγιον Πνεῦμα, τοῦτο ἡγίασται καὶ μεταβάλλεται. Εἶτα, μετὰ τὸ ἀπαρτισθῆναι τὴν πνευματικὴν θυσίαν, κτλ. Verum, notandum in hoc loco, ubi ad litur-

vel *benedictionis* totum canonem seu ἀναφοράν, quæ a præfatione vel *Sanctus* usque ad postulationem adventus Spiritus Sancti inclusive currit, plerumque designare [1]; nec, si paucos supra memoratos excipias, certum momentum in suis scriptis definire quo transsubstantiatio in instanti fiat; sed non raro declarare sacrificium esse perfectum et consummatum, postquam trium personarum divinarum cooperatio ad conversionis mysterium ritibus et verbis liturgicis expressa fuerit, id est, de facto, post epiclesim stricte dictam, quæ in plerisque liturgiis paulo post verba dominica venit.

Si autem quæras cur multi dicant dona sanctificari vel transmutari *per gratiam* vel *per adventum Spiritus Sancti*, hujus doctrinæ ac modi loquendi non una ratio inveniri potest : 1° ratio ex sacra Scriptura petita : Paulus enim in Epistola ad Hebr., IX, 14, dicit Christum semetipsum obtulisse immaculatum Deo *per Spiritum Sanctum* (in textu græco : διὰ Πνεύματος αἰωνίου); 2° ratio theologica : Patres enim græci operationes Trinitatis ad extra ita concipiunt ac describunt tanquam quæ a Patre prodeant, per Filium transeant, et in Spiritu Sancto, qui vivens operatio Filii nonnunquam appellatur, compleantur ac perficiantur. Unde, cum dicunt conversionem per gratiam vel per adventum Spiritus Sancti fieri, suum communem de operationibus divinis ad extra conceptum transsubstantiationi applicant,

giam hierosolymitanam alludit, Cyrillum verba dominica silentio omnino præterire, quæ anaphoræ hierosolymitanæ certo non deerant, et quæ alibi sanctus doctor laudat tanquam fundamentum fidei in præsentiam realem Christi in sacramento : « Cum igitur ipse de pane pronuntiaverit ac dixerit : *Hoc est corpus meum*, quis audebit deinceps ambigere? » *Catech. myst.*, IV, 1, *ibid.*, col. 1097. Præterea Cyrillo idem sonat ἡ ἐπίκλησις τοῦ ἁγίου Πνεύματος ac ἡ ἐπίκλησις τῆς προσκυνητῆς Τριάδος. Cf. *Catech. myst.*, I, 7, col. 1072 A B, collata cum *catech. myst.*, III, 2, col. 1090; ex quo colligere licet hunc doctorem nomine *epiclesis* totam anaphoram usque ad epiclesim stricte dictam inclusive intellexisse; qua dicta, sacrificium haberi ut omnino perfectum : μετὰ τὸ ἀπαρτισθῆναι τὴν πνευματικὴν θυσίαν. Non infitiamur tamen verba Cyrilli sententiæ Græco-Russorum recentiorum aliquatenus favere.

1. Cf. Basilium, *De Spiritu Sancto*, XXVII, 66, *P. G.*, t. XXXII, col. 188; Athanasium, *Fragmentum*, *P. G.*, t. XXVI, col. 1325 A, item, t. LXXXVI *b*, col. 2401.

quin Christi pontificis jura ullo modo lædant. Spiritus Sanctus enim ipsiusque gratia adest, quando Christus in missa per sacerdotis ministerium suam mysticam cœnam renovat [1]; 3° ratio ex comparatione mysterii altaris cum mysterio Incarnationis desumpta : Sicut enim formatio corporis Christi in utero Virginis Spiritui Sancto in Scriptura tribuitur, ita etiam mystica Christi ex pane super altare nativitas eidem adscribitur. Quemadmodum autem solum Verbum fuit quod carnem sumpsit, ita et in altari solus Christus est qui munus pontificis proprie obit; 4° Alia ratio sumi potest ex fine sacramenti ac sacrificii, quatenus Eucharistia ad Christi corporis mystici sanctificationem ordinatur, atque non solius Christi, sed etiam Ecclesiæ est sacrificium. Porro sanctificationis opera a Patribus Spiritui Sancto communiter appropriantur; unde in plerisque epiclesis proprie dictæ formulis hæc sanctificationis ratio memoratur; et forsan, ut mox dicemus, epiclesis primitus fuit non conversionis donorum, sed sanctificationis tantum ac fructuosæ communionis petitio.

Ergo in traditione Patrum græcorum hæc duo invenimus scilicet : 1° Christum esse verum pontificem ac ministrum principalem invisibilem sacrificii eucharistici, qui per verba sua : *Hoc est corpus meum — Hic est sanguis meus*, a sacerdote visibili in sua persona repetita, dona transmutat; 2° Spiritum Sanctum huic mysterio eodem momento cooperari suaque virtute ac præsentia sacrificium sanctificare ac perficere; cujus adventum sacerdos in liturgia speciali oratione mox a Patre postulat, ut sic manifestetur totius Trinitatis ad conversionem efficiendam participatio. Hæc duo *Vitæ Barlaami ac Joasaphi* auctor, Sancti Sabæ monachus, quem sæculo VIII antiquiorem non credam [2], satis bene expressit his verbis, quæ narrationi evangelicæ de institutione Eucharistiæ per modum conclusionis subjunxit :

« Ipsum ergo Dei Verbum, vivum et efficax, atque sua virtute omnia efficiens, per divinam operationem facit atque

1. Cf. Chrysostomum, *De Pentecoste hom.* I, 4, *loc. supra cit.*, p. 261, n. 1.

2. Ob ea quæ de cultu imaginum, c. XIX, *P. G.*, t. XCVI, col. 1032, dicuntur.

transmutat panem et vinum oblationis suum corpus ac sanguinem adventu Sancti Spiritus in sanctificationem atque illuminationem eorum qui ea cum amore percipiunt [1]. »

II. — De significatione verborum Christi et epiclesis ex contextu ac rubricis liturgiæ byzantinæ.

Verba Christi : *Hoc est corpus meum* — *Hic est sanguis meus*, prout in liturgia byzantina sicut et in aliis liturgiis referuntur, primo quidem aspectu meræ narrationis speciem præ se ferre videntur, ita ut, si eorum prolatio a sacerdote nullo ritu sacro circumdaretur, nullo apparatu religioso vestiretur, tanquam vera sacramenti forma ægre haberentur, haudque facile esset respondere Græco-Russis recentioribus, qui ea mere narrativa esse contendunt. At vero res non ita se habet : testibus siquidem antiquis codicibus necnon haud paucis ex exemplaribus liturgiæ editis, hujusmodi verba cum talibus ritibus ac gestibus celebrans pronuntiat, ut tanquam Christi personam agens ac ipsius gestus, quos in ultima Cœna fecit, renovans visibiliter appareat; diaconusque inserviens populusque assistens ita se gerunt, ut suam in præsentiam realem Christi jam effectam fidem perspicue profiteantur. Rubricas liturgicas, prout in exemplaribus liturgiæ sancti Joannis Chrysostomi occurrunt [2], attente legamus :

Primo quidem, paulo ante verba Christi, diaconus accipit flabellum (τὸ ῥιπίδιον), quo dona sancta ventilat reverenter (ῥιπίζει εὐλαβῶς), usque ad epiclesim. Hujusmodi autem flabelli, quod ἐξαπτέρυγον etiam audit, mysticam significationem Jobus monachus (sæc. VI) ita declarat :

« *Corpore Domini super sacram mensam proposito*, qui ab

1. « Αὐτὸς οὖν ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ (agitur de persona Verbi, non de verbo divino) ζῶν καὶ ἐνεργὴς καὶ πάντα ποιῶν τῇ δυνάμει αὐτοῦ ποιεῖ καὶ μετασκευάζει διὰ τῆς θείας ἐνεργείας τὸν ἄρτον καὶ τὸν οἶνον τῆς προσφορᾶς σῶμα αὐτοῦ καὶ αἷμα, τῇ ἐπιφοιτήσει τοῦ ἁγίου Πνεύματος, εἰς ἁγιασμὸν καὶ φωτισμὸν τῶν πόθῳ μεταλαμβανόντων. » *Ibid.*

2. Goar, *op. cit.*, p. 61-62. Notandum est accuratam harum rubricarum historiam adhuc desiderari. Uniformitas siquidem inter Ecclesias particulares deerat. Quædam sæculorum decursu mutata fuere vel innovata.

utroque latere sacris operantibus administrant diaconi, in eorum qui sex alas habent seraphim symbolum confectà ex alis flabella super oblata ibi tremenda mysteria consueverunt agitare, ne initiatos rebus visibilibus inhærere sinant, sed eos mentis oculis supra omne id quod cum materia junctum est sublatos, per ea quæ videntur ad invisibilem contemplationem et inexplicabilem illam pulchritudinem ascendere faciant [1]. »

Ex his constat Jobum credidisse corpus Domini super altari adesse eo momento quo verba dominica a celebrante proferuntur, vel potius statim atque prolata sunt.

2° Celebrans, ad verba : *Dedit sanctis suis apostolis et discipulis dicens*, *inclinat* caput, et *elevans devote dexteram benedicit* (εὐλογεῖ) sanctum panem, *alta voce* dicens : *Accipite et comedite : Hoc est corpus meum*, etc. ; ex quo patet sacerdotem ritum omnino sacrum peragere, gestus Christi in ultima Cœna renovare, ipsiusque nomine ac persona hæc verba pronuntiare. Ex hoc etiam quod verba dominica alta voce dicuntur, dum ea quæ præcedunt et subsequuntur, et ipsam epiclesim submisse recitantur, colligere licet ea specialem vim habere et vere consecratoria esse [2]; item hunc ritum esse quoddam monumentum decreti Justiniani I imperatoris, jubentis : « ut inter cæteras preces, et ea quæ in *sancta oblatione* dicuntur, *clara voce* a religiosissimis episcopis et presbyteris proferantur [3]. » Verum quidem est Græco-Russos in suis euchologiis ac missalibus tum capitis inclinationem, tum gestum benedictionis jamdudum suppressisse [4];

1. *De Incarnatione*, l. VI, c. xxv, apud Photium, *Bibliotheca*, cod. ccxxii, *P. G.*, t. cii, col. 769 : « Τοῦ κυριακοῦ σώματος ἐπὶ τῆς ἱερᾶς τραπέζης προτεθέντος..., ῥιπίδας... τοῖς προκειμένοις φρικτοῖς ἐπικινεῖν, τῶν ἐξαπτερύγων φέροντας σύμβολα, ὡς ἂν μὴ ἐῶσι τοὺς τελουμένους τοῖς ὁρωμένοις ἐναπομένειν. »

2. Horum rituum vim bene perspexerat Gerasimus II, patriarcha Alexandrinus, qui verba dominica secreto, epiclesim vero alta voce proferre jusserat, ut doctrinæ catholicæ contradiceret. Hujus novationis eum redarguit Gabriel III, patriarcha œcumenicus. Cf. Gedeon, Κανονικαὶ διατάξεις, t. i, p. 89-92; t. ii, p. 406-409.

3. *Novella* cxxxiii, *P. L.*, t. lxxii, col. 1026 C. In euchologio sæculi viii, hujusmodi ἐκφώνησις ad verba Domini notatur ut in hodiernis exemplaribus.

4. Signum crucis ad verba dominica in quibusdam Ecclesiis jam

huic vero rituum sacrorum mutilationi reclamant antiqui codices [1]; et ipsa hæc antiquitatis violatio, ad tuendam falsam opinionem de industria perpetrata, pro veritate clamat.

3° Postquam sacerdos verba Domini alta voce pronuntiavit, populus respondet : *Amen*, quasi dicat : *Ita est, ita credimus hoc esse corpus et sanguinem Christi* [2].

4° Postquam sacerdos verba Christi protulit, *manu ostendit* (δείκνυσι) sanctum discum (seu patenam) et calicem; et diaconus etiam primis duobus vel tribus digitis apprehensa extremitate stolæ (τοῦ ὡραρίου) cum sacerdote *ostendit* [3], sancti Præcursoris gestum qui ostendendo Christum dicebat : *Ecce Agnus Dei*, ambo renovantes, et Christum super altare jam præsentem demonstrantes. Hunc ostensionis gestum, quem prima euchologia Venetiis edita retinebant [4], etiam sustulerunt Græci dissidentes in recentioribus edi-

sæculo xv ineunte suppressum fuisse testatur Simeon Thessalonicencis, *De templo*, 88, col. 737 A : « οὐδὲ σφραγίζει τὰ δῶρα ὁ ἱερεὺς ἐν τῷ λέγειν Λάβετε, φάγετε. » Capitis inclinatio necnon benedictionis gestus desunt etiam in exemplaribus Venetiis editis : Goar, *op.* et *ed. cit.*, p. 76, et *nota 129 in missam Joan. Chrysostomi*, p. 118.

1. Goar, *op. cit.*, p. 61, 76, 118, 143. Cæterum, in quibusdam codicibus, raræ, vel etiam nullæ sunt rubricæ; quod accidit præsertim in codicibus missæ sancti Basilii (cf. Goar, p. 151), quia, cum iidem ritus in utraque missa byzantina observentur, librarii ad missam Joan. Chrysostomi rubricas scribere satis habuerunt. In codice Barberino sæculi viii, hæc sola rubrica ad verba Domini notatur : ἐκφώνως, id est, *alta voce*, Goar, p. 84. Kiovienses qui sæculo xvii doctrinam catholicam contra sententiam Græcorum tuebantur, antiquos codices ritus supra dictos referentes exemplaribus a Græcis editis opponebant. Cf. Mirkovitch, *De momento transsubstantiationis sanctorum donorum* (russice), Vilnæ, 1886, p. 131-132.

2. « Non pauci Græcorum, ait Arcudius, *op. cit.*, l. III, c. xxvi, p. 249, dicto *Amen*, continuo subjiciunt : Credo, Domine, atque fateor te esse Christum, Filium Dei vivi, qui in mundum venisti, ut peccatores salvos faceres, quorum primus ego sum. » Hoc *Amen* post verba Domini occurrit etiam in multis aliis liturgiis. Ejus significationem optime explicat liturgia coptica sancti Basilii his verbis a populo dictis : « Credimus et certi sumus, et laudamus te, Deus noster; hoc est vere, et ita credimus corpus tuum. » Cf. Renaudot, *Liturg. Orient. collectio*, ed. 1847, t. ii, p. 213, 215.

3. Ita codices manuscripti : Goar, *op. cit.*, p. 61. Exemplaria edita habent : « Diaconus sacerdoti ostendit sanctum discum, tenens et stolam tribus digitis dexteræ. » *Ibid.*, p. 76.

4. *Ibid.*, p. 76.

tionibus [1], dum, e contra, saltem jam a sæculo XVI, in utramque liturgiam introduxerunt novos gestus et ritus, immo inter sacerdotem et diaconum brevem dialogum ad prolationem verborum epiclesis : quorum omnium in codicibus manuscriptis nullum occurrit vestigium [2]. Inter novos gestus invectos exstat gestus ostensionis, quem facit diaconus eodem modo quo notatur in antiquis rubricis ad Christi verba [3].

5° Post verba Domini, sacerdos orationem *Memores* (τὴν ἀνάμνησιν), recitat; qua finita, exclamat : Τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοὶ προσφέρομεν, *Tua ex tuis tibi offerimus*, gestum ostensionis una cum diacono iterans [4], quasi dicat : *Tua*, id est Filium tuum mystice immolatum hic jacentem, *ex tuis*, id est ex pane et vino, donis tuis, factum *tibi offerimus*.

1. Cf. Euchologium, edit. Venetiis, an. 1851 et 1891, ubi in quadam nota dicitur verba dominica non referri ad dona proposita, sed ad panem et vinum a Christo in ultima Cœna consecrata. Item in missali Bulgarorum anno 1924 edito, verba dominica proferuntur ut simplex ἐκφώνησις, absque ullo ritu vel gestu sacro comitante. Russi retinent gestum ostensionis.

2. Textus genuinus liturgiæ Chrysostomianæ sic se habet : Κατάπεμψον τὸ Πνεῦμά σου τὸ ἅγιον ἐφ' ἡμᾶς καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα, καὶ ποίησον τὸν μὲν ἄρτον, κτλ. ; textus vero liturgiæ basilianæ : ἐλθεῖν τὸ Πνεῦμά σου τὸ πανάγιον ἐφ' ἡμας καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα, καὶ εὐλογῆσαι αὐτὰ καὶ ἁγιάσαι καὶ ἀναδεῖξαι τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον αὐτὸ τὸ τίμιον σῶμα τοῦ Κυρίου, κτλ., absque verbis : μεταβαλὼν τῷ Πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ, quæ ad liturgiam Chrysost. pertinent, nullo modo vero ad basilianam. In codice Barberino sæculi VIII, sicut in pluribus aliis manuscriptis, hæc sola rubrica occurrit immediate ante verba epiclesis : Καὶ ἀνιστάμενος σφραγίζει λέγων μυστικῶς· ποίησον... *Et exsurgens cruce signat, dicens secreto : Fac*, etc. Dolendum est quod omnes novas rubricas novaque verba a dissidentibus excogitata et introducta in detrimentum doctrinæ catholicæ editioni romanæ euchologii ad usum Catholicorum unitorum anno 1873 factæ irrepserint. His novationibus quidam dissidentes, ut Athanasius Pariensis, *op. cit.*, p. 366-367, ipsi reclamant.

3. Introductæ sunt etiam tres genuflexiones seu μετάνοιαι, et plures benedictiones per signum crucis, quæ non verbo σφραγίζειν, sed verbo εὐλογεῖν indicantur. Atqui εὐλογία de benedictione ad verba Domini facta proprie intelligitur ex veteribus euchologiis. Cf. infra, p. 271, n. 1. Nota tamen gestum ostensionis ad verba epiclesis jam sæculo XII exstitisse, saltem in quibusdam Ecclesiis. Cf. quæ infra dicuntur, p. 280.

4. Goar, p. 61. Hic gestus ostensionis in exemplaribus editis non notatur. Deest etiam in editione romana.

6° Insuper in oratione, quam dicit sacerdos dum cantatur hymnus cherubicus, oblatio et consecratio donorum Christo expresse tribuuntur : « Tu es ille qui *offert* et qui offertur, ille qui *sanctificat* (seu consecrat) et sanctificatur [1]. »

7° Consecrationem per verba dominica et ante epiclesim effici non obscure innuit sequens rubrica, quæ præmittitur missæ dominicali in qua oblationes seu panes pro missis præsanctificatorum intra hebdomadam celebrandis consecrantur : « Cum sacerdos cruce panes est signaturus (ὅτε μέλλει σφραγίσαι τοὺς ἄρτους, videlicet ad epiclesim), dicit : *Et fac hunc panem*, singulari numero, *quia Christus unus est;* et non, ut aliqui imperite aiunt : *Panes hos*, τοὺς ἄρτους τούτους [2]. » Si panes jam consecrati non essent, non est cur ἀμαθίας seu inscitiæ, argueretur ille qui diceret : *Hos panes*, plurali numero, quia ante consecrationem panes revera plures sunt.

Ex his omnibus satis superque constat verba Domini prout intra missæ sacrificium a sacerdote, *olim saltem*, in ritu byzantino proferebantur, non esse mere narrativa, sed etiam significativa, id est quod significant operantia, debita intentione in ministro nomine Christi loquente supposita [3]. Remanet tamen aliqua difficultas ex illa invocatione seu epiclesi, qua paulo post verba dominica sacerdos rogat Deum Patrem, vel ut ipse per Spiritum Sanctum conversionem operetur, vel ut mittat Spiritum Sanctum, qui eam efficiat; ad quam elucidandam rursus non parum confert ipsa textus liturgici rubricarumque antiquarum inspectio.

Primum quidem, momentum epiclesis hujusmodi valde

1. Ita in codice Barberino, Brightman, *Liturgies eastern and western*, t. I : *Eastern liturgies*, Oxonii, 1896, p. 318. Verba : καὶ ἁγιάζων καὶ ἁγιαζόμενος non amplius occurrunt in textu hodierno; quorum loco posita sunt sequentia : καὶ προσδεχόμενος καὶ διαδιδόμενος. Num hæc subrogatio de industria facta fuerit?

2. Goar, p. 161.

3. Unde ipsa verba Domini a Patribus (v. g. a Justino et Chrysostomo, vide supra, p. 258 et 259, n. 3) nomine *orationis* (εὐχή, δέησις), designantur, non solum quia in hac longa oratione quæ ἀναφορά dicitur, includuntur, sed etiam quod per modum ritus sacri proferuntur, et etiam a Christo prolata sunt, qui *benedixit, gratias egit*, εὐλογήσας, εὐχαριστήσας.

minuitur ejusque vis consecratoria enervatur ex hoc quod antiquitus, in liturgia sancti Joannis Chrysostomi dicta, a principio statim, id est in ipsa oratione τῆς προθέσεως, occurrebat alia similis formæ invocatio, consecrationis petitoria et ad ipsum Christum directa, quæ his concipiebatur verbis :

« Domine, Deus noster, qui teipsum agnum immaculatum pro mundi vita obtulisti, respice in nos et super panem hunc, et super calicem istum, et fac ea ipsum illibatum corpus tuum et pretiosum sanguinem tuum in animarum et corporum communionem [1]. »

Animadvertas velim hanc epiclesim, quæ in cod. Barberino sæculi VIII legitur, invocationi, post verba dominica positae, similem omnino esse. Item in eodem codice, et quidem eodem loco, id est in missæ initio, liturgia sancti Basilii epiclesim paulo diversam præferebat, qua hodieque incipit utraque liturgia, Chrysostomi scilicet et Basilii, sicque se habet :

Oratio oblationis (Εὐχὴ τῆς προθέσεως) : « Deus, Deus noster, qui cælestem panem totius mundi alimentum, Dominum nostrum et Deum Jesum Christum emisisti salvatorem et benefactorem, nos benedicentem et sanctificantem : ipse *benedic hanc oblationem*, αὐτὸς εὐλόγησον τὴν πρόθεσιν ταύτην, *et suscipe eam in supercæleste altare tuum*, καὶ προσδέξαι αὐτὴν εἰς τὸ ὑπερουράνιόν σου θυσιαστήριον [2]. »

Secundum Nicolaum Cabasilam [3] aliosque theologos, inter quos etiam sunt quidam Catholici, epiclesis missæ romanæ ipsa est oratio *Supplices te rogamus*, post verba dominica posita, qua postulamus ut dona sancta in sublime Dei altare perferantur. Atqui hic habes — et quidem utriusque liturgiæ byzantinæ principio — ejusdem tenoris petitionem. Arbitrario prorsus contendes latinam orationem *Supplices te rogamus* consecratoriam esse, quod post dominica verba

1. Goar, p. 83; Brightman, *op. cit.*, p. 309 : « Κύριε, ὁ Θεὸς ἡμῶν, ὁ προθεὶς ἑαυτὸν ἀμνὸν ἄμωμον ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς, ἔπιδε ἐφ' ἡμᾶς καὶ ἐπὶ τὸν ἄρτον τοῦτον καὶ ἐπὶ τὸ ποτήριον τοῦτο, καὶ ποίησον αὐτὸ σχραντόν σου σῶμα καὶ τίμιόν σου αἷμα, εἰς μετάληψιν ψυχῶν καὶ ἀωμάτων. »

2. Goar, p. 51.

3. *Liturgiæ expositio*, c. XXX, *P. G.*, t. CL, col. 433.

veniat; græcam vero Ὁ Θεὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν non ita, sed meram absque efficacia supplicationem; item, invocationem ad Deum Patrem, ut mittat Spiritum Sanctum, donorum conversionem operari; epiclesim vero ad Christum liturgiæ initio directam nihil valere.

Cæterum non una vice, sed pluries, liturgiæ decursu sive ante, sive post verba Domini, sacerdos postulat gratiam et adventum Spiritus Sancti, donorum translationem in altare supercæleste [1]; immo, paulo ante communionem, orat Dominum « pro oblatis ac consecratis donis, ut misericors Deus, qui ea in supercæleste et intelligibile altare suum recepit in odorem spiritalis suavitatis, nobis rependat divinam gratiam et Sancti Spiritus charismata. » Ecclesia siquidem, in sacris ritibus peragendis et sacramentis conferendis, supernaturalem eorum effectum, sive ante sive post ritum essentialem ac divinitus institutum, suis orationibus iterum atque iterum petere consuevit. Quid mirum, si hoc etiam agat in Eucharistiæ sacramento ac sacrificio perficiendo [2]. Nec aliam originem quam hanc Ecclesiæ consuetudinem epiclesi esse quærendam facile credam; cui etiam addi potest propositum, in liturgia byzantina satis manifestum, sensibiliter declarandi cooperationem Patris et Spiritus Sancti ad mysterium transsubstantiationis, postquam Filii pontificale munus renovatione eorum quæ in ultima Cœna ipse gessit, solenni rituum ac verborum apparatu expressum est; quam rationem sponte adinvenerunt quidam theologi byzantini, ut infra videbimus.

Præterea, notandum est prolationem epiclesis, prout

1. Hæc donorum translatio ad altare supercæleste in liturgia S. Basilii iterum petitur in oratione τῆς προσκομιδῆς, post magnum introitum : « ἣν [θυσίαν] προσδεξάμενος εἰς τὸ ἅγιον καὶ ὑπερουράνιον καὶ νοερόν σου θυσιαστήριον εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, ἀντικατάπεμψον ἡμῖν τὴν χάριν τοῦ ἁγίου Πνεύματος. » Goar, p. 140. In oratione ejusdem nominis, in liturgia S. Chrysostomi, petitur adventus Spiritus Sancti super nos et super dona : « καὶ ἐπισκηνῶσαι τὸ Πνεῦμα τῆς χάριτός σου τὸ ἀγαθὸν ἐφ' ἡμᾶς καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα. » *Ibid.*, p. 59. In quibusdam manuscriptis, ut in cod. *Sinaitico 973*, hoc loco præscribitur signum crucis super dona : σφραγίζει τὰ ἅγια δῶρα (cf. Dmitrievskii, *op. cit.*, p. 84), ut fit in ipsa epiclesi.

2. Hanc rationem optime evolvit Bessarion, *De sacramento Eucharistiæ*, *P. G.*, t. CLXI, col. 517-520.

olim fiebat ante novationes a dissidentibus introductas, ritu admodum simplici peragi, nempe submissa voce et cum unico crucis signo, quod sacerdos *erectus* (ἀνιστάμενος) super dona efformat [1], ad verba : *Et fac panem hunc pretiosum corpus Christi tui*, etc.

Demum, epiclesis utriusque liturgiæ byzantinæ non est simpliciter consecrationis donorum petitoria, sed respicit etiam, et quidem expresse, corpus Christi mysticum ejusque sanctificationem per donorum perceptionem. Celebrans siquidem a Patre petit, ut emittat Spiritum Sanctum non tantum super dona proposita, sed etiam, *et primo, super fideles :* Κατάπεμψον (vel ἐλθεῖν) τὸ Πνεῦμά σου τὸ ἅγιον ἐφ'ἡμᾶς καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα. Item, non simpliciter postulat, ut dona fiant corpus et sanguis Christi, sed postulat hæc fieri hoc, *ut* (ὥστε) *fiant accipientibus in sobrietatem animæ, ad remissionem peccatorum, in communicationem Sancti Spiritus*, etc. ; vel, ut fert liturgia basiliana : « nosque omnes, qui de uno pane et calice participamus, junge ad invicem in unius Sancti Spiritus communionem, et fac ut nemo nostrum ad judicium vel condemnationem sit particeps sancti corporis et sanguinis Christi tui, etc. » Hæc spiritualis utilitatis ratio non solum in epiclesi byzantina, sed etiam in omnibus aliis quum orientalibus tum occidentalibus occurrit; immo in antiquissimis formulis epiclesis (puta in *Apostolica traditione sancti Hippolyti*, prout habetur in *Fragmentis Veronensibus* [2]; in *Constitutionibus Ecclesiæ*

1. Hoc crucis signum verbo σφραγίζειν in rubricis manuscriptis, et etiam in editis, semper designatur; benedictio vero per idem signum, quam format celebrans super dona ad verba Domini, verbo evangelico εὐλογεῖν semper notatur : quam differentiam servant etiam versiones liturgiæ slavicæ : loco enim σφραγίζειν ponunt *znamenoiet ;* pro εὐλογεῖν vero, *blagoslavit.* Porro σφραγίζειν, ut videre est ex rubricis, usurpatur pro simplici benedictione cæremoniali ab Ecclesia statuta; εὐλογεῖν vero pro benedictione a Christo in ultima Cœna facta; quæ ideo unum quid cum verbis consecrationis constituit. Hanc subtilem differentiam animadvertisse videntur dissidentes, dum in novis rubricis quas introduxerunt pro ritu epiclesis, primum quidem verbum σφραγίζειν usurpant, ubi in manuscriptis occurrit; postea vero pro novis benedictionibus quæ subsequuntur, εὐλογεῖν posuerunt.

2. E. Hauler, *Didascaliæ apostolorum fragmenta Veronensia*, fascic. prior, p. 107.

ægyptiacæ [1]; in *Liturgiis antiquis Ecclesiæ syriacæ orientalis* [2] necnon in orationibus *Post pridie* et *Post secreta* liturgiæ Mozarabicæ et Gallicanæ antiquæ) [3], sola deprehenditur, exclusa quacumque petitione transsubstantiationis; ita ut valde probabile sit invocationem seu epiclesim, qua post verba Domini adventus Spiritus Sancti postulatur, *primitus* non fuisse nisi petitionem sanctificationis et benedictionis spiritualis per adventum Spiritus Sancti largiendæ. Quod sane cum ingenio ac proposito sacræ liturgiæ optime quadrat. Hoc propositum enim, ut postea dicemus, in eo est, ut totam salutis dispensationem seu οἰκονομίαν visibilibus ritibus ac verbis aliqualiter fidelibus repræsentet. Unde epiclesis Spiritus Sancti, post verba Domini memoriamque ejus resurrectionis et ascensionis, ad mysterium Pentecostes alludet. Hæc hujus epiclesis origo fuerit; cui postea, id est, circa finem sæculi III vel initio sæculi IV, petitio conversionis donorum in plerisque liturgiis orientalibus irrepserit [4]. Hypothesis inde confirmatur : 1° quod in plerisque liturgiis, quemadmodum et in utraque byzantina, primum dicitur : « Emitte Spiritum Sanctum *super nos* »; deinde : *et super hæc dona;* 2° quod antiquitus, et etiam hodie in quibusdam Ecclesiis, diversarum rerum benedictiones post epiclesim Spiritus Sancti fiant. Ita in liturgia græca, τὸ ἀντίδωρον ad altare affertur statim post epiclesim, et a sacerdote benedicitur [5]. Spiritus Sanctus enim est fons omnis benedictionis et gratiæ eique appropriatur animarum sanctificatio.

1. Ed. Funk, *Didascalia et Const. Apost.*, t. II, p. 100.

2. Brightman, *op. cit.*, p. 287 sq.

3. Cf. *P. L.*, t. LXXII, col. 313, et t. LXXXV, col. 304, 604, 713. J. Brinktrine, *De epiclesis eucharisticæ origine et explicatione*, Romæ, 1923, (Excerptum ex *Ephemeridibus liturgicis)* has primitivas epicleses in unum collegit, p. 10-12.

4. Cf. Brinktrine, *Diss. cit.*, qui argumentis non spernendis hanc sententiam firmat.

5. Brinktrine, *ibid.*, p. 15-18. Hic auctor epiclesim stricte dictam, illam scilicet, quæ petit transsubstantiationem, habet ut interpretationem formæ essentialis et quasi formam sacramenti secundariam sæculo IV non antiquiorem. Forsan non satis animadvertit haberi epicleses consecrationis petitorias etiam ante verba Domini.

III. — De mente sancti Joannis Damasceni circa formam Eucharistiæ.

Illi Græco-Russi qui tenent transsubstantiationem fieri eo momento, quo sacerdos postulat adventum Spiritus Sancti super dona proposita, ut ea corpus et sanguinem Christi efficiat, ad auctoritatem sancti Joannis Damasceni jamdudum provocant; quem suæ sententiæ tenacem esse affirmant. Utrum jure hoc dicant, nobis videndum.

Primum quidem certum est sanctum doctorem conversionem donorum Spiritui Sancto tribuere, sicut et ei tribuit omnia alia Dei opera. Scribit enim : « Quemadmodum quidquid fecit Deus, Spiritus Sancti operatione id fecit, ita et nunc Spiritus Sancti operatio, quæ naturæ modum excedunt, quæ sola fides capere potest, efficit... Quæris quomodo panis fiat corpus Christi, ac vinum et aqua, ejus sanguis; et ego tibi dico : Spiritus Sanctus supervenit et hæc facit [1]. » Ex his verbis nihil contra doctrinam catholicam colligere licet.

Secundo, Damascenus explicite affirmat panem et vinum converti in corpus et sanguinem Christi *per invocationem* et *adventum Spiritus Sancti*, διὰ τῆς ἐπικλήσεως καὶ ἐπιφοιτήσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος μεταποιοῦνται [2], vel simpliciter : *per invocationem*, διὰ τῆς ἐπικλήσεως [3]. Quæstio autem est quid intelligat per hanc *invocationem* (ἡ ἐπίκλησις)? Sunt enim multæ invocationes in liturgia byzantina. Insuper vidimus Patres græcos hac voce ἐπίκλησις non raro designare totam ἀναφορὰν seu canonem, non vero solam hanc τῆς ἀναφορᾶς partem, quam nunc sensu stricto vocamus epiclesim, τὴν ἐπίκλησιν. Porro, multo probabilius est Damascenum vocem sumere sensu largo et patristico, ita ut ἡ ἐπίκλησις ei sonet idem ac tota anaphora, sine ulla determinatione certi momenti quo transsubstantiatio fiat; principio enim sui operis profitetur se nihil a seipso dicturum [4].

1. *De fide orthodoxa*, l. IV, c. XIII, *P. G.*, t. XCIV, col. 1141.
2. *Ibid.*, col. 1145.
3. « Γίνεται ὑετὸς τῇ καινῇ ταύτῃ γεωργίᾳ διὰ τῆς ἐπικλήσεως ἡ τῆς τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐπισκιάζουσα δύναμις. » *Ibid.*, col. 1141. Item, in *Homilia in Sabbatum sanctum*, 35, *P. G.*, t. XCVI, col. 637 C : « ἀληθῶς καὶ ἀρρήτως τῇ ἐπικλήσει μεταποιούμενον. »
4. « Ἐρῶ τοιγαροῦν ἐμὸν οὐδέν· τὰ δὲ σποράδην θείοις τε καὶ σοφοῖς ἀνδράσι λελεγμένα, συλλήδδην ἐκθήσομαι.. » *Dialectica*, c. II, col. 533.

Duo tamen habet noster Joannes, quæ aliquatenus doctrinæ dissidentium suffragari videntur, in eorumque partem facile detorqueri possunt. Primum est in modo quo refert ac interpretatur celeberrimum locum *homiliæ I in Judæ proditionem* Joannis Chrysostomi, ubi hic doctor tam diserte asserit conversionem donorum fieri per verba Christi a sacerdote intra missam repetita. Chrysostomus dixerat : « Figuram implens stat sacerdos, verba illa proferens : virtus autem et gratia Dei est. *Hoc est corpus meum*, inquit. Hoc verbum transformat ea, quæ proposita sunt. Ac quemadmodum vox illa : *Crescite et multiplicamini et replete terram* (Gen., I, 28) *semel quidem prolata est*, per omne autem tempus ad effectum perducitur, naturæ nostræ vim præbens ad filiorum procreationem, ἐρρέθη μὲν ἅπαξ, διὰ παντὸς δὲ τοῦ χρόνου γίνεται ἔργῳ ἐνδυναμοῦσα τὴν φύσιν ἡμετέραν πρὸς παιδοποΐαν; ita et vox hæc *semel prolata ad unumquodque altare in ecclesiis*, ab illo ad hodiernum usque tempus et usque ad adventum ejus, *sacrificium perfectum efficit*, οὕτω καὶ ἡ φωνὴ αὕτη ἅπαξ λεχθεῖσα καθ'ἑκάστην τράπεζαν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις... τὴν θυσίαν ἀπηρτισμένην ἐργάζεται [1]. » Damascenus vero paulo aliter eamdem doctrinam proponit. Scribit enim :

« In principio Deus dixit : *Producat terra herbam virentem* (Gen., I, 11), et ad hanc usque diem *accedente imbre*, τοῦ ὑετοῦ γενομένου, divino præcepto impulsa ac roborata, fetus suos profert. Dixit Deus : *Hoc est corpus meum*, et : *Hic est sanguis meus;* et : *Hoc facite in meam commemorationem;* idque fit *omnipotenti ejus præcepto*, donec veniat; sic enim dixit : *donec veniat;* et *huic novæ segeti per invocationem*, διὰ τῆς ἐπικλήσεως, virtus obumbrans Spiritus Sancti tanquam imber supervenit, καὶ γίνεται ὑετὸς τῇ καινῇ ταύτῃ γεωργίᾳ διὰ τῆς ἐπικλήσεως ἡ τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐπισκιάζουσα δύναμις [2]. »

Equidem hæc Damasceni verba, si recte intelligantur, nihil non orthodoxum præferunt. Ubi Chrysostomus posuit generationem humanam, Damascenus posuit herbæ germinationem; ubi ille sacrificium altaris memorat, hic panem et vinum habet — quid enim est hæc nova seges, de qua

1. *P. G.*, t. XLIX, col. 380.
2. *Loc. cit.*, col. 1140-1141.

loquitur, nisi materia Eucharistiæ? — Ubi vero ille *vim sacrificii perfectivam verbis Christi ad unumquodque altare a sacerdote semel repetitis tribuit*, hic eamdem vim dicit esse virtutem obumbrantem Spiritus Sancti. Et hanc quidem Spiritus Sancti virtutem Chrysostomus non negavit; immo haud semel diserte affirmavit; loco autem citato non memorat, seu potius, ut in verbis Christi latentem subaudit. Damascenus vero utriusque : et virtutis Spiritus Sancti et verborum Domini mentionem facit, sed de illa perspicue, de his autem subobscure loquitur, ea nomine ἐπίκλησις *implicite*, ut partem in toto designans, dicensque virtutem Spiritus Sancti donis propositis supervenire *per invocationem*, διὰ τῆς ἐπικλήσεως, id est per totam anaphoram, sensu quo sanctus Basilius de epiclesi locutus fuerat. At vero theologi dissidentes Damasceni dicta non ita interpretantur, sed per *epiclesim* intelligunt hanc specialem invocationem, qua sacerdos rogat Patrem, ut mittat Spiritum Sanctum super dona proposita.

Fatendum est huic dissidentium interpretationi non parum favere, saltem primo aspectu, quæ Damascenus in eodem capite de significatione locutionis τὰ ἀντίτυπα τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ Κυρίου subjungit dicens :

« Quod si nonnulli panem vinumque, corporis et sanguinis Domini ἀντίτυπα (id est, figuras seu symbola) vocaverunt, ut dixit deifer Basilius, non hoc dixerunt postquam dona consecrata fuerunt, sed hanc oblationem ita appellarunt, antequam consecraretur [1]. »

Haud dubium est quin sanctus doctor hic alludat ad illam orationem, quæ in liturgia sancti Basilii, post verba dominica et immediate ante verba epiclesis stricte dictæ venit, in qua revera occurrit locutio τὰ ἀντίτυπα τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ. Ut difficultatem enodarent, quidam — ita Bessarion [2] — suspicati sunt præfatam orationem tempore Damasceni ante verba Domini positam fuisse; quod vix probabile est, cum eodem loco quo nunc, in euchologio Barberino sæculi VIII finientis illa legatur. Alii, rationibus

1. *Ibid.*, col. 1152-1153 : « οὐ μετὰ τὸ ἁγιασθῆναι εἶπον, ἀλλὰ πρὶν ἁγιασθῆναι αὐτὴν τὴν προσφορὰν οὕτω καλέσαντες«.

2. *Op.* et *loc. cit.*, col. 522.

non spernendis innixi, authenticitatem hujus loci in capite Damascenico in dubium vocarunt [1]; nondum tamen certis argumentis interpolationis factum probatum est. Alii demum animadvertunt Basilium in præfata oratione non dicere : προστιθέντες τὰ ἀντίτυπα τοῦ ἁγίου σώματος : *Offerentes* antitypa sancti corporis, sed : προσθέντες τὰ ἀντίτυπα, id est, *postquam tibi obtulimus*, scilicet tempore offertorii seu τῆς προσκομιδῆς, post magnum introitum et ante verba Domini [2]. Potuit sane Damascenus, grammatica non repugnante, verba liturgiæ basilianæ ita intelligere; item locis sanctorum Patrum, qui antitypa corporis et sanguinis Christi Eucharistiam appellarunt eumdem sensum præfigere, quanquam revera apud dictos Patres, et etiam in liturgia basiliana, vox ἀντίτυπα idem sonat ac *sacrum signum* seu *sacramentum*, ut supra diximus. Unum tamen extra controversiam remanet, videlicet hunc Damasceni locum, si revera Damasceni est, sententiæ falsæ facilem viam aperire, sensuque obvio innuere consecrationem nondum esse factam postquam verba dominica prolata sunt, sed per subsequentem epiclesim effici.

1. Ita Arcudius, *op. cit.*, l. III, c. xxxv, p. 305-307. Attente legenti caput Damasceni clare apparet pericopen de antitypis cum contextu non cohærere. Deberet enim venire vel ante, eo scilicet loco, ubi sanctus doctor dicit corpus et vinum non esse figuram, τύπον, corporis et sanguinis Domini, col. 1148-1149; vel post, ubi ait : « ἀντίτυπα δὲ τῶν μέλλόντων λέγονται, col. 1153 BC. Unde probabilitate non vacat hypothesis Arcudii dicentis hæc verba a sciolis quibusdam in Damasceni libro assutam fuisse, vel ex margine in textum irrepsisse. Nota editionem criticam operum Damasceni adhuc desiderari, sanctumque doctorem sub finem vitæ suæ opera sua recognovisse.

2. Ita cardinalis Duperron et Allatius, *De perpetua consensione...*, l. III, c. xv, 26, col. 1228-1230. Minus nobis placet explicatio a P. M. de La Taille proposita, *Mysterium fidei*, Parisiis, 1921, p. 439, ann. 4 : « Intelligendus est Damascenus ac si dicat : non vocantur antitypa, nisi ubi nondum *considerantur* ut consecrata. Porro, quamvis consecratus sit panis et calix antea, tamen manifeste non habetur ut consecratus, dum rogamus Deum ut consecrationem efficiat. » Ex modo enim quo verba dominica in ritu byzantino proferuntur et ex gestibus concomitantibus ægre asseres dona *non considerari ut consecrata.* Epiclesis enim secreto dicitur, neque ad eam fidelium attentio excitatur.

IV. — De doctrina Byzantinorum post Damascenum usque ad Nicolaum Cabasilam.

Sententiam Damasceni de sensu vocis τὰ ἀντίτυπα τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ Κυρίου in liturgia basiliana tanto libentius receperunt theologi byzantini, cultus sacrarum imaginum defensores, quod eis facilem suppeditabat responsionem Iconoclastis dicentibus unam solam Christi salvatoris imaginem colendam esse et adorandam, Eucharistiam scilicet, quam veram atque a Deo traditam carnis Christi imaginem appellabant [1]. Utrum hic novus hæreticorum de Eucharistia loquendi modus Damasceno innotuerit, dictu difficile est [2]. Unum tantum certum est, videlicet hanc Iconomachorum adinventionem in conciliabulo anno 753 apud Blachernas habito propositam fuisse; quam confutarunt Orientales una cum aliis hæreticorum dictis in sessionne VI concilii Nicæni II. Atqui hujus confutationis auctor (vel auctores) eadem quæ Damascenus de voce τὰ ἀντίτυπα in missa S. Basilii tradit, illoque ulterius progrediens, satis aperte significat se credere donorum consecrationem non esse perfectam nisi post verborum epiclesis prolationem. Dicit enim :

« Nusquam Dominus vel apostoli aut Patres imaginem dixerunt incruentum sacrificium a sacerdote oblatum, sed ipsum corpus et ipsum sanguinem. Et ante quidem consecrationis perfectionem, πρὸ τῆς τοῦ ἁγιασμοῦ τελειώσεως, sanctorum Patrum quibusdam pie visum est ea nominare ἀντίτυπα; ex quibus est Eustathius... et Basilius... Qui, *ut omnes norunt sacerdotio initiati*, in oratione divinæ oblationis, ἐν τῇ εὐχῇ τῆς θείας ἀναφορᾶς, ita dicit : Confidentes appropinquamus sancto altari, καὶ προσθέντες τὰ ἀντίτυπα τοῦ ἁγίου σώματος, etc. *Et quod deinceps subjungitur Patris sententiam manifestiorem efficit;* scilicet : *dona vocata fuisse* ἀντίτυπα *priusquam consecrarentur* (καὶ τὸ ἑξῆς ἐπιφερόμενον ἐκδη-

1. « Ἡ θεοπαράδοτος εἰκὼν τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, ὁ θεῖος ἄρτος ἐπληρώθη Πνεύματος ἁγίου σὺν τῷ ποτηρίῳ τοῦ ζωηφόρου αἵματος τῆς πλευρᾶς αὐτοῦ. Αὕτη οὖν ἀποδέδεικται ἀψευδὴς εἰκὼν τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας Χριστοῦ. » *Acta concilii Iconomachorum in Blachernis*, inter *Acta synodi œcumenicæ* VII, sess. VI ; Hardouin, *Coll. concil.*, t. IV, col. 368-369.

2. In suis scriptis Joannes ad doctrinam eucharisticam Iconoclastarum nusquam alludit.

λοτέραν τὴν ἔννοιαν τοῦ πατρὸς καταρτίζει); post consecrationem autem, corpus et sanguis Christi proprie dicuntur et sunt et creduntur. Ipsi vero οἱ γεννάδαι volentes venerabilium imaginum auferre visionem, aliam imaginem introduxerunt, quæ non est imago, sed corpus et sanguis [1]. »

Quæ in missa S. Basilii post τὰ ἀντίτυπα τοῦ σώματος subsequuntur, ipsissima sunt verba epiclesis. Ergo Iconomachorum adversarius opinatur consecrationem nondum perfectam esse post verba Domini. Ejusdem sententiæ fuisse videtur sanctus Nicephorus Constantinopolitanus in *Antirrhetico II contra Iconomachos*. Dicit enim :

« Hæc dona *invocatione* celebrantis et Spiritus Sancti adventu in corpus et sanguinem Christi supernaturaliter convertuntur. *Hoc enim et sacerdotis petitio habet.* Et non duo hæc esse intelligimus, sed unum et idem fieri credimus. *Antitypa vero sicubi dicta fuerint*, non post *hanc* sanctificationem, sed antequam sanctificarentur (seu consecrarentur), ita vocata sunt [2]. »

Item Theodorus Abu-Qurra († 820) in *Dialogo cum Saraceno* eidem opinioni suffragatur his verbis :

« Super sacram mensam ponit sacerdos panem similiter et vinum, et *postulatus invocatione sancta Spiritus Sanctus descendit*, et propositis donis supervenit igneque divinitatis suæ in corpus et sanguinem Christi panem et vinum convertit, quemadmodum et jecur in corpus hominis cibum convertit [3]. »

Erraret tamen qui putaret hanc doctrinam, post Joannem Damascenum et concilium Nicænum II, tum inter sanctarum

1. *Ibid.*, col. 369-372; apud Mansi, *op. cit.*, t. XIII, col. 264.

2. « Οὕτω δὴ καὶ ταῦτα ὑπερφυῶς ἐπικλήσει τοῦ ἱερεύοντος ἐπιφοιτήσει τε τοῦ ἁγίου Πνεύματος εἰς σῶμα καὶ αἷμα τοῦ Χριστοῦ μεταβάλλεται. Τοῦτο γὰρ καὶ τοῦ ἱερέως αἴτησις ἔχει. » *P. G.*, t. c, col. 336. Cf. *Antirrhet. contra Eusebium*, 45, apud Pitra, *Spicileg. Solesmense*, Parisiis, 1852, t. I, p. 439-442.

3. « Τίθησι ἐπὶ τὴν ἁγίαν τράπεζαν ὁ ἱερεὺς τὸν ἄρτον..., καὶ δεόμενος ἐπικλήσει ἁγίᾳ, τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον κάτεισι, καὶ... τὸν ἄρτον καὶ τὸν οἶνον μετοβάλλει. » *P. G.*, t. XCVII, col. 1553. Participium δεόμενος sensu passivo accipimus, et ad τὸ Πνεῦμα referimus. Posset tamen quis contendere verbum δέομαι apud classicos auctores nunquam sensu passivo accipi, illudque referre ad ὁ ἱερεύς. In hoc casu tamen verborum structura ἀνακόλουθος est.

maginum defensores, tum inter theologos qui post controversiam iconoclasticam fuerunt, communem evasisse. Multi enim ad τὰ ἀντίτυπα liturgiæ basilianæ nequaquam animum attendisse videntur, Iconomachosque de *Eucharistia-imagine* confutant quin hujusmodi antitypa memorent. Ita, v. g., Theodorus Studita [1], cujus dicta catholicæ doctrinæ nullo modo adversantur [2]. Nec ex eo quod aliquis auctor hæc verba Damasceni : « Panis et vinum non sunt figura (τύπος) corporis et sanguinis Christi, absit! sed ipsum Domini corpus deitate dotatum, cum ipse Dominus dixerit : *Hoc est corpus meum* » transcripserit; vel conversionem donorum per adventum seu gratiam Spiritus Sancti fieri docuerit, statim concludendum est eum doctrinam anticatholicam propugnasse. Attente enim textus inspicienti apparet admodum rara esse Byzantinorum hujus periodi testimonia, præter illa tria nunc relata, quæ doctrinæ catholicæ aperte adversentur; e contra, non pauca occurrere quæ cum ea conveniant; quædam vero alia nimis incerta et ambigua esse, ut in alterutram partem absque vi se trahi permittant.

Inter theologos qui doctrinæ catholicæ indubitate suffragantur primus nominandus est Michael II Kurkuas, patriarcha Constantinopolis (1143-1146), qui in quodam opusculo *De mutatione ritus participationis sacramentorum Christi*, Περὶ τῆς ὑπαλλαγῆς τῆς μεταλήψεως τῶν ἁγιασμάτων τοῦ Χριστοῦ, hæc habet :

« Panem benedictionis videmus ab apostolis sanctificatum illis tantummodo verbis : *Hoc est corpus Domini nostri Jesu Christi, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum*, ut ab ipso nempe magistro acceperant, absque ea, quæ nunc fit, serie liturgica apte disposita præcedentium, lectionum propheticarum prædicationumque evangelicarum, et apostolicarum necnon sacrarum precum antea et post recitatarum; quibus *quædam ut jam facta clare ostenduntur;* alia vero ut futura symbolice repræsentantur. Multa siquidem et magna

1. Cf. *Antirrhet. I adversus Iconomachos*, 10; *P. G.*, t. XCIX, col. 340.

2. De mente sancti Joannis Damasceni quorumdamque aliorum olim disseruimus in articulo : *L'épiclèse et le mot antitype dans la messe de saint Basile*, in *Échos d'Orient*, t. IX (1906), p. 193-198. Quædam hic retractamus.

ad salutem commoda per spiritualem contemplationem ista præstant [1]. »

Num temere supponet quis Michaelem ad epiclesim alludere, dum dicit : *Quædam ut jam facta clare ostenduntur?* Revera quidam auctores verba epiclesis tanquam *consecrationis jam factæ demonstrativa* habere videntur. Ita Georgius Cedrenus [2], et Theodorus Andidensis, qui ex una quidem parte docet Christum in missæ sacrificio esse simul victimam et pontificem verbaque : *Accipite et manducate : Hoc est corpus meum,* a sacerdote *tanquam ab ipso Christo dici* [3]; ex alia vero de epiclesi hæc habet :

« Dicta oratione, episcopus sancta dona *ostendit,* ἀναδεικνύει, dicens : *Fac hunc panem ipsum pretiosum Domini corpus,* etc., *ea transmutans Spiritu Sancto tuo;* quæ utique *cognoscimus,* γινώσκομεν, et credimus ita transmutari, sicut epiclesis habet. Chrysostomus, proprietatem vivifici Spiritus indicans scripsit : μεταβαλὼν τῷ Πνεύματί σου τῳ ἁγίῳ. Deiloquus autem Basilius, *cooperationem transmutationis* Patri tribuens, ἀποδιδοὺς τὴν συνέργειαν τῆς μεταποιήσεως τῷ Πατρί, unitatem essentiæ et operationis necnon voluntatis et virtutis in Trinitate declarat, indeque uterque comprobat quæcumque Pater operatur, illa eadem et Filium et Spiritum Sanctum operari; et quæcumque Filius, eadem et Patrem et Paracletum; et quæcumque Paracletus, eadem Patrem et Unigenitum. Deinde oratio, quæ *post ostensionem divinorum donorum* dicitur, ἡ μετὰ τὴν ἀνάδειξιν τῶν θείων

1. « Ἀλλὰ μὴν καὶ τὸν ἄρτον τῆς εὐλογίας ὁρῶμεν ὑπὸ τῶν ἀποστόλων ἁγιαζόμενον ἐν τῷ μόνον ἁπλῶς ἐπιλέγεσθαι· Τοῦτό εστι τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ... ὡς ἀπὸ τοῦ διδασκάλου δηλαδὴ παρειλήφησαν, κτλ. » M. Gédéon, Ἀρχεῖον ἐκκλησιαστικῆς ἱστορίας, t. I, p. 41, Constantinopoli, 1911. Cf. Allatium, *De perpetua consensione,* l. III, c. XIII, 15, col. 1153-1159, qui opusculum Joanni Phurnesio falso tribuit; S. Salaville, *Une explication du patriarche Michel l'Oxite (*1143-1146*) sur la formule de consécration eucharistique,* in *Échos d'Orient,* t. XVI (1913), p. 289-291.

2. *Historiarum compendium, P. G.,* t. CXXI, col. 557 D : « Καὶ ἐπὶ τῆς μυστικῆς τραπέζης τὸ σῶμα ἰδικὸν τῆς τοῦ Υἱοῦ σαρκώσεως ἀποφαῖνον, πῶς ἂν εἴη ποιητόν ; »

3. *Commentatio liturgica,* 29, *P. G.,* t. CXL, col. 456 D : « Αὐτὸ δὲ τὸ λέγειν τὸν ἱερέα· Λάβετε, φάγετε· τοῦτό μου ἐστὶν τὸ σῶμα, οὐχ ὡς παρ'αὐτοῦ λέγεται τοῦ Χριστοῦ; »

δώρων λεγομένη εὐχή, duplicem et ipsa significatum habet [1], etc... »

Nonne hic habes orthodoxam τῆς ἐπικλήσεως explicationem a theologo byzantino edoctam? quæ tum cum verbis Michaelis Oxitæ optime congruit, tum in memoriam revocat illum ostensionis gestum a verbo ἀναδεῖξαι in epiclesi missæ basilianæ satis clare insinuatum; quem in quibusdam Ecclesiis ritus byzantini semper exstitisse facile credam [2].

Michael Glykas, Michaelis Oxitæ necnon Theodori Andidensis fere coævus, verba Christi esse consecrativa se tenere implicite significat, cum in suo *Capite theologico 84 ad Joannicium monachum*, classicum Chrysostomi de forma Eucharistiæ locum in *Homil. I in proditionem Judæ* occurrentem tanquam auctoritatem laudat, quin ullum de epiclesis efficacia verbum subjungat [3].

G. Ficker nuper edidit epistolam dogmaticam Germani II, patriarchæ Constantinopolitani (1222-1240), adversus Bogomilos, in qua legitur sequens anathematismus :

« Si quis non credit vera loqui (sacerdotem) dicentem de pane et calice, quæ sacrificantur : *Hoc est corpus meum*, et : *Hic est sanguis meus*, anathema sit [4]. »

Nonne his verbis clare innuit consecratoria esse Domini verba Germanus, qui anno 1233 epistolam Gregorii papæ IX recepit, in qua hæc ad verbum erant?

« Uterque panis simplex ante sacrificium panis est; *transsubstantiatione vero facta per verba dominica*, panis non est; et ideo nec fermentatus, nec azymus dici potest [5]. »

1. *Ibid.*, col. 452-453.

2. Eumdem sensum *primitus* habet verbum ἀποφαίνειν in pluribus epiclesis formulis occurrens. Non negamus hæc verba : ἀναδεικνύειν, ἀποφαίνειν tanquam synonyma verbi ποιεῖν postea intellecta fuisse; opinamur vero hæc principio significasse *ostendere*, *demonstrare*.

3. *Ed. cit.*, t. II, p. 360 : « Ἡ λέγουσα δεσποτικὴ φωνή· τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, καί τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου, τὰ προκείμενα μεταρρυθμίζει. »

4. *Die Phundagiagiten*, Leipzig, 1908, p. 121-122 : « Εἴ τις οὐ πιστεύει ἀληθεύειν τὸν λέγοντα περὶ ἱερουργουμένου ἄρτου καὶ ποτηρίου ὅτι· τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου καὶ τοῦτο τὸ αἷμά μου, ἀνάθεμα. »

5. Hardouin, *op.cit.*, t. VII, col. 158. Exstat hujus epistolæ versio græca a quodam Latino linguæ græcæ parum perito facta, apud Waddingum, *Annales Minorum ad ann. 1233*, n. 8, necnon apud Satham, Μεσ. βιβλιοθήκη, t. II, p. 48-49. Locus citatus ita græce reddi-

Neque huic papæ affirmationi Græcorum ullus eo tempore reclamavit, sed tota contentio fuit de azymis necnon de Spiritus Sancti processione.

Theologis doctrinæ catholicæ potius faventibus, adjungere possumus Theodorum Melitiniotam, Nicolai Cabasilæ coætaneum, qui in quadam Διαλέξει *de Eucharistia* diversis Patrum locis concinnata, hæc inter alia profert :

« Recte igitur et nunc *panem verbo Dei sanctificatum* (seu consecratum) *in corpus Dei Verbi transformari credimus*, et pariter vinum et aquam in sanguinem... Pater et Filius et Spiritus Sanctus omnia dispensant; sacerdos vero suam commodat linguam manumque præbet [1]. »

Item Theophylactus, in suis commentariis evangeliorum, quanquam etiam atque etiam repetit Christum dixisse : *Hoc est corpus meum;* non autem : *Hoc est* ἀντίτυπον *mei corporis*, in sententiam catholicam potius propendet, dum transsubstantiationem Christo tribuit [2], dicitque panem *ineffabilibus verbis per mysticam benedictionem* et Spiritus Sancti adventum in carnem Christi transmutari [3].

Euthymius Zigabenus, e contra, doctrinæ dissidentium suffragari videtur, dum verba Damasceni de antitypis in missa basiliana transcribit : « Si hæc, inquit, Magnus Basilius ἀντίτυπα vocavit, hoc dixit antequam sanctificarentur et gratiam reciperent [4]. » Utrum autem idem sit affirmandum de Theoriano philosopho, ex ipsius verbis lector judicium ferat :

tus est : « Ἀλλὰ τὰ ἀμφότερα ψωμία ἁπλῶς ψωμία ἐστὶ πρὸ τῆςθυσίας· μεταβαλλόμενα δὲ διὰ τῶν κυριακῶν ῥημάτων, ψωμία οὐκ ἔστι, καὶ διὰ τοῦτο οὔτε ἔνζυμον οὔτε ἄζυμον δύναται λέγεσθαι. »

1. « Καλῶς οὖν καὶ νῦν τὸν τῷ λόγῳ τοῦ Θεοῦ ἁγιαζόμενον ἄρτον εἰς σῶμα τοῦ Θεοῦ Λόγου μεταποιεῖσθαι πιστεύομεν... Πατὴρ καὶ Υἱὸς καὶ ἅγιον Πνεῦμα πάντα οἰκονομεῖ· ὁ δὲ ἱερεὺς τὴν ἑαυτοῦ δανείζει γλῶσσαν καὶ τὴν ἑαυτοῦ παρέχει χεῖρα. » Διαλέξεως ὀγδοῆς ἠθικόν, *P. G.*, t. CXLIX, col. 948-949, 961. Nota tamen Theodorum repetere verba Damasceni de voce ἀντίτυπα in missa S. Basilii.

2. *In Marc.*, XIV, 22-25, *P. G.*, t. CXXIII, col. 650-651.

3. *In Joan.*, VI, 48-52, *ibid.*, col. 1308 : « Μεταποιεῖται γὰρ ἀπορρήτοις λόγοις ὁ ἄρτος οὗτος διὰ τῆς μυστικῆς εὐλογίας [alludere videtur ad gestum benedictionis (εὐλογειν) a sacerdote, dum verba Christi profert, factum] καὶ ἐπιφοιτήσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος εἰς σάρκα τοῦ Κυρίου. »

4. *In Matth.*, XXVI, 26, *P. G.*, t. CXXIX, col. 665.

« Panis divina virtute a Spiritu Sancto in corpus Domini nostri Jesu Christi transmutatur, secundum quod ipsa sancta oratio *indicat* et etiam *manifestat*. Dicimus enim : « Te rogamus, Sancte sanctorum, ut beneplacito tuæ bonitatis veniat Spiritus Sanctus super nos et super hæc omnia tua dona, etc. (ut in epiclesi missæ S. Basilii) [1]. »

Anonymus auctor capitis *De corpore Domini*, qui circa finem sæculi XII scribebat, diserte affirmat Christum consecrasse panem et vinum per verba : *Hoc est corpus meum — Hic est sanguis meus;* docere autem videtur sacerdotem per epiclesim consecrare [2].

Multi sunt denique auctores qui simpliciter asserunt conversionem donorum fieri gratia, vel virtute seu operatione, vel per adventum Spiritus Sancti [3]; aut qui nulla data explicatione eamdem Christo pontifici tribuunt [4]; ex quorum dictis nihil certi pro alterutra sententia haurire licet. Unde concludere possumus Byzantinos ante

1. *Epistola ad monachos*, *loc. cit.*, col. 406; cf. *P. G.*, t. CXL, col. 525.

2. *De immaculato corpore*, 2, 4, *P. G.*, t. XCV, col. 408 B, 409 C. Hoc opusculum tum sub nomine Joannis Damasceni, tum sub nomine cujusdam Petri Mansur editum, sæculo XII vel XIII non est antiquius; quippe quod ad controversiam de incorruptibilitate corporis Christi in Eucharistia spectat. Col. 408 : « Εἶπε· τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμα. » Καὶ ἀντὶ τῆς φυσικῆς οἰκονομίας, ὁ ἄρτος καὶ ὁ οἶνος σὺν ὕδατι διὰ τοῦ λόγου αὐτοῦ γέγονε σῶμα καὶ αἷμα αὐτοῦ. » Col. 409 : « Φησὶν ὁ ἱερεὺς ὡς ὁ ἄγγελος, ἵνα ἐπιφοιτῆσαν Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἁγιάσῃ καὶ ποιήσῃ, etc..., καὶ οὐ διὰ φυσικῆς οἰκονομίας, ἀλλ'ὑπερφυῶς γίνεται εἰς ἐπαύξησιν τοῦ κυριακοῦ σώματος καὶ αἵματος ἕν σῶμα, καὶ οὐ δύο. »

3. Ita, v. g., Joannes Veccos in *Confessione fidei ad Joannem XXI*, apud Theiner-Miklosich, *op. cit.*, p. 28 : « πιστεύοντες τὸν αὐτὸν ἄζυμον ἄρτον... ἀληθῶς μετουσιοῦσθαι... διὰ τῆς τοῦ παναγίου Πνεύματος δυνάμεως τε καὶ ἐνεργείας. »

4. Ita, v. g., Nicolaus Methonensis, *Ad eos qui dubitant*, *loc. cit.*, col. 516 : « Οὐκ οἶδας ὅτι ὁ Χριστὸς καὶ νῦν ἐνεργεῖ καὶ νῦν πάρεστιν; » De mente Pseudo-Germani in *Mystica contemplatione*, *P. G.*, t. XCVIII, col. 384-454, in *Slavorum litteris theologicis*, t. IV (1908), p. 385-391, olim disseruimus. Verum hoc opus interpolationibus scatet, variorum auctorum fragmenta nullo ordine servato præbens; cujus editio critica adhuc desideratur. Ut jacet, in eo invenies argumenta tum pro doctrina catholica tum contra. Silemus etiam de *Dialogo Samonæ Gazensis cum Saraceno*, quia fetum apocryphum illum habemus. Hic Samonas aperte docet Christum consecrasse per verba : *Hoc est corpus meum.* De epiclesi vero obscure loquitur; doctrinæ tamen catholicæ potius favet.

sæculum XIV quæstionem de forma Eucharistiæ ex professo nunquam agitasse; antiquorum Patrum verba plerumque ut jacent recitasse; quosdam tamen, iconoclasmi tempore, ob locutionem τὰ ἀντίτυπα τοῦ σώματος in missa basiliana occurrentem, verborum Christi vim consecrativam negasse visos fuisse; quorum opinio nonnisi a paucis recepta est, cæteris doctrinæ catholicæ satis aperte adhærentibus; quibusdam etiam orthodoxam epiclesis explicationem adumbrantibus.

V. — De doctrina Nicolai Cabasilæ ejusque discipulorum.

De forma Eucharistiæ Latini et Græci inter se contendisse non videntur ante sæculum XIV. De hujus autem contentionis initio nihil adhuc comperti habemus præter ea quæ Nicolaus Cabasilas in *Liturgiæ expositione*, c. XXIX, narrat :

« Hic, inquit, Latini quidam nostra reprehendunt. Dicunt enim post Domini sermonem : *Accipite, manducate*, et quæ sequuntur, nulla oratione opus esse ad consecranda dona, utpote quæ a verbo Domini perfecta sint. Unde qui postquam hæc verba dixerint, panem et vinum nominant, et tanquam nondum consecratis precantur consecrationem, præter quod infidelitate laborant, inquiunt, rem vanam et supervacaneam faciunt. Hoc autem Domini verbum dona perficere beatus Chrysostomus, aiunt, testatur dicens : « Quemadmodum opifex sermo : *Crescite et multiplicamini*, semel quidem a Deo dictus est, semper autem operatur, ita etiam hoc verbum, semel a Servatore dictum, perpetuo operatur [1]. » Qui suæ orationi magis confidunt quam verbo Domini, primum quidem illud imbecillitatis arguunt; deinde sibi magis videntur confidere; et tertio, rem tantam, nempe sacramentum, a re dubia, videlicet humana oratione, pendere volunt, et quod oportet firmissime credere, dubitatione plenum efficiunt. Non enim eum qui orat, etiamsi virtute Paulus sit, exaudiri necesse est [2]. »

Ex his colligere licet quosdam Latinos liturgiæ græcæ

1. Animadvertas velim quomodo Cabasilas locum Chrysostomi nonnisi ex parte referat, præcipua tacens.
2. *P. G.*, t. CL, col. 428-429.

peritos epiclesim missæ byzantinæ carpere incepisse ob rationes a Cabasila relatas, hocque pacto controversiam incepisse; quod Simeonis Thessalonicensis dictis confirmatur [1]. Hæc controversia tamen, ante concilium Florentinum, non late vulgata est, sed inter privatos tantum et obiter fuit agitata. Nec credendum est Byzantinos omnes eadem tunc de proposita quæstione sensisse quæ Nicolaus Cabasilas vel Simeon Thessalonicensis. Hi enim theologi duo, ut Latinorum criminationi responderent, novam de forma Eucharistiæ theoriam illatenus apud Byzantinos eodem saltem conceptu inauditam excogitarunt, quæ sic breviter declarari potest :

1° Christus panem et vinum non consecravit verbis : *Hoc est corpus meum — Hic est sanguis meus*, sed per ea discipulis *ostendit* corpus et sanguinem suum. Consecravit autem quodam gestu benedictionis vel tacita aliqua oratione, dum in cælum aspexit, gratias egit [2]. Sacerdos, illius exemplo inhærens, dona consecrat per epiclesim cum signo crucis concomitante [3].

2° Verba Christi : *Hoc est corpus meum*, etc., eo modo ad consecrationem operantur et conferunt, quo verba Creatoris : *Crescite et multiplicamini*, vel *Germinet terra herbam virentem* ad filiorum procreationem, vel herbæ germinationem, id est, *virtualiter* tantum ac *mediate*. Quemadmodum enim verba : *Crescite et multplicamini, semel a creatore dicta*, non sufficiunt ad filiorum procreationem, sed operantur per viri et mulieris conjunctionem; ita verba Christi *semel ab eo in ultima Cœna prolata*, non sufficiunt per se ad donorum

1. *De templo*, 88, col. 733 C : « Ἐνταῦθα οὖν τῶν μὴ ὀρθῶς φρονούντων τινὲς ἐν τῇ ἐπικλήσει τοῦ Πνεύματος καὶ τῇ τελειώσει τῶν δώρων οἷον διαποροῦντες... φιλονεικοῦσι, λέγοντες πῶς οὐκ ἀρκούμεθα τοῖς κυριακοῖς μόνοις ῥήμασιν. »

2. Cabasilas, *op. cit.*, 27, col. 425; 31, col. 437 : « ὡς ἔλαβεν ἄρτον καὶ εὐχαριστίαν ἠγίασε· καὶ ὡς εἶπε δι' ὧν ἐδήλωσε τὸ μυστήριον, καὶ αὐτὰ τὰ ῥήματα ἀνειπών — Εἰς τὸν οὐρανὸν ἔβλεπε καὶ τῷ Πατρὶ ἀνεδείκνυε τὸν ἄρτον. » Simeon, *op. cit.*, 88, col. 737 D : « ὥστε καὶ αὐτὸς αὐτὰ διὰ τῶν εὐχῶν ἱερούργησεν, οὐ χρείαν ἔχων εὐχῶν. »

3. Simeon, *ibid.*, 86, col. 733 A : « δι' ἧς [= χάριτος τοῦ ἁγίου Πνεύματος] καὶ ταῦτα τετελεκὼς σφραγῖδι σταυροῦ καὶ ἐπικλήσει Πνεύματος, τὸν ζῶντα εὐθὺς βλέπει τὸν προκείμενον Ἰησοῦν. » Cf. 88, col. 736-737. Cabasilas, *ibid.*, 25, col. 425 C; 29, col. 433 B.

consecrationem, sed *operantur per orationem sacerdotis* [1], per epiclesim scilicet, qua sacerdos *illa applicat ad dona proposita* [2]. Non enim ex eo quod a sacerdote per modum narrationis intra sacrificium repetuntur, hæc verba efficacia donantur, sed ex eo vim sortiuntur, quod *semel a Christo prolata sunt* [3]. In hunc modum interpretanda sunt quæ Joannes Chrysostomus dixit de efficacia verborum Christi [4].

3° Exinde sequitur consecrationem non esse effectam statim ac verba dominica a sacerdote recitata sunt, sed tantum postquam epiclesis prolata est; qua dicta, et dona consecrata sunt et sacrificium perfectum [5].

4° Hoc non impedit quominus Christus sit hujus sacrificii principalis sacerdos. Ipse est enim qui dona consecrat una cum Patre et Spiritu Sancto, et eo quidem momento quo verba epiclesis proferuntur; una est enim Trinitatis virtus et operatio [6]. Si autem quæras quanam de causa ad dona sanctificanda non Filium, *qui est sacerdos et consecrat*, sed Patrem vocat sacerdos, hoc fit, ut scias Salvatorem non qua hominem, sed qua Deum habere potestatem consecrandi, scilicet per divinam virtutem, quam habet communem cum Patre [7].

1. Cabasilas, col. 429-433; Simeon, col. 737 : « Θεμέλιος μὲν οὖν ἐστι τῆς ἱερουργίας τὰ τοῦ Κυρίου ῥήματα ἐξ ἀρχῆς, ἐνεργεῖ δὲ διὰ τῶν τοῦ ἱερέως εὐχῶν. »

2. Cabasilas, col. 425 B : « Τὰς θείας ἐκείνας φωνὰς τοῦ μονογενοῦς Υἱοῦ ἐφαρμόσας καὶ ἐπὶ τῶν προκειμένων δώρων. »

3. Cabasilas, col. 433 B; Simeon, col. 737 B.

4. Cabasilas, col. 433 B : « Τὸν δὲ τοῦ Κυρίου περὶ τῶν μυστηρίων λόγον, ἐν εἴδει διηγήσεως λεγόμενον, πρὸς τὸν ἁγιασμὸν τῶν δώρων ἀρκεῖν οὐδεὶς οὔτε τῶν ἀποστόλων οὔτε τῶν διδασκάλων εἰπὼν φαίνεται· ἀλλ'ὅτι μὲν ἅπαξ ὑπὸ τοῦ Κυρίου λεχθεὶς αὐτῷ τῷ ὑπ'ἐκείνου λέγεσθαι ὡς ὁ δημιουργικὸς λόγος ἀεὶ ἐνεργεῖ, καὶ ὁ μακάριός φησι Ἰωάννης. » Hic deprehendis quomodo Cabasilas verba Chrysostomi ab eorum genuino sensu detorqueat. Chrysostomus enim aperte docet dona transsubstantiari per verba : *Hoc est corpus meum, a sacerdote, in persona Christi, semel ad unumquodque altare* prolata : « οὕτω καὶ ἡ φωνὴ αὕτη ἅπαξ λεχθεῖσα καθ'ἑκάστην τράπεζαν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις... τὴν θυσίαν ἀπηρτισμένην κατεργάζεται. » *De proditione Judæ*, 1, 6. Cf. supra, p. 274.

5. Cabasilas, col. 425 C : « Τούτων δὲ εἰρημένων, τὸ πᾶν τῆς ἱερουγίας ἤνυσται καὶ τετέλεσται, καὶ τὰ δῶρα ἡγιάσθη. » Cf. col. 436; A. Simeon, col. 737 AB.

6. Cabasilas, col. 428 A, 437 BC, 469, 477, 481; Simeon, col. 736-737.

7. Cabasilas, col. 437 BC.

5° Effectus epiclesis non remanet incertus vel dubius, dummodo a sacerdote rite ordinato hujusmodo invocatio proferatur [1]. Deus enim donorum consecrationem ita fieri jussit, et sacerdotis orationem se exauditurum promisit. Sacerdos ideo orat, quia sibi ipsi minime confidit, sed totam rem Deo, qui solus eam potest efficere, committit [2].

Præcipua autem argumenta, quibus hanc doctrinam muniunt ac tuentur, hæc sunt :

1° Alia sacramenta per invocationes et preces perficiuntur et conferuntur. Eucharistia ab hac regula non excipitur [3];

2° In liturgia S. Basilii, panis et vinum appellantur antitypa corporis et sanguinis Domini, post verborum dominicorum prolationem; ergo nondum sunt corpus et sanguis Christi [4];

3° Verba Christi pronuntiantur absque signo crucis, dum ad verba epiclesis, sacerdos, erectus, haud semel σφραγίζει sancta dona [5];

4° Ipsi Latini in sua liturgia epiclesim habent aliis verbis conceptam, qua postulant a Deo donorum consecrationem. Hæc epiclesis est oratio *Supplices te rogamus*, secundum Cabasilam [2]. Simeon vero in oratione *Quam oblationem, tu, Deus*, verba dominica præcedente, eam reperire videtur [7].

Post Cabasilam et Simeonem multi Græco-Russi, ad nostra usque tempora, eamdem explicationem iisdem fere septem argumentis proposuerunt, ex parte illam varie temperantes. Ita Marcus Ephesius in *Libello de consecratione*, Florentiæ composito, qui ex una quidem parte repetit — et quandoque ad verbum — ea quæ de efficacia verborum Domini *semel prolatorum* Cabasilas habet; ex alia vero, iisdem verbis,

1. Cabasilas, col. 429-433; Simeon, col. 737-740.

2. « Τοῦτο γάρ ἐστι τὸ ποιοῦν τὴν εὐχὴν τοῖς εὐχομένοις, τὸ μὴ θαρρεῖν ἑαυτοῖς περὶ τῶν ζητουμένων, ἀλλὰ παρὰ τῷ Θεῷ μόνῳ πιστεύειν εὑρήσειν αὐτά. » Cabasilas, col. 429 C.

3. Cabasilas, col 429-432; Simeon, col. 733-736, 740 A.

4. Simeon, col. 737 A.

5. Simeon, *ibid.*, col. 737 AB.

6. Cabasilas, 30, col. 433-437.

7. Dicit enim, col. 740 B : « Εὔχονται γὰρ καὶ αὐτοὶ τὰ προκείμενα σῶμα γενέσθαι καὶ αἷμα τοῦ Χριστοῦ, καὶ εὐλογοῦσι τὰ δῶρα, καὶ ἐμφυσῶσι (forte alludit ad altaris deosculationem) παρὰ τὴν θείαν παράδοσιν, οὐκ ἀρκούμενοι ταῖς τοῦ Κυρίου μόνον φωναῖς. »

quatenus a sacerdote pronuntiantur, specialem virtutem tribuit, *quam cuidam potentiæ in dona proposita immissæ et per epiclesim ad actum exserendæ comparat* [1]; ita ut, secundum hunc conceptum, prolatio verborum Domini a sacerdote ad consecrationem vere concurrat, sitque *quasi conditio sine qua non* efficaciæ ipsius epiclesis [2]. Eodem spectant quæ Isidorus Kioviensis in concilio Florentino dixit :

« Dico quod credimus id quod conficit sacramentum, esse sermonem Domini; et credimus dominicam vocem esse effectricem divinorum munerum; et illa vox semper replicatur a sacerdote, et suscipit sacerdos quod vox illa replicata aptetur et sit eadem vox cum voce Domini. Et ut ita aptetur, invocatur Spiritus Sanctus, et supplicat sacerdos, ut per virtutem Spiritus Sancti concedatur gratia ut vox repetita efficiatur ita effectiva ut verbum Dei fiat, et ita credimus consummativam fieri per illam orationem sacerdotis. Et probo quod *dominicæ voces habent operationem ut semina, quia sine semine non potest effici fructus :* ita in hac dominica voce. Tamen ubi cadit semen, eget aliis instrumentis, puta sacerdote, altari et orationibus [3]. »

Marco Ephesino et Isidoro quoad substantiam consentiunt : Manuel Corinthius [4], Gabriel Severus [5], Georgius Coressius [6],

1. Libellum Marci invenies tum in *P. G.*, t. CLX, col. 1079-1090, tum a L. Petit critice editum in *P. O.*, t. XVII, p. 426-434 : « Δύναμιν ὥσπερ ἐνιέντα τοῖς προκειμένοις εἰς τὴν μεταβολήν, ἐπιγινομένην δὲ μετὰ ταῦτα τὴν εὐχήν τε καὶ εὐλογίαν τοῦ ἱερέως ἐνεργείᾳ μεταποιεῖν ἤδη τὰ δῶρα. » *P. O.*, p. 426.

2. Marcus tamen hunc novum conceptum obiter tantum indicat, nec in eo insistit; immo sibi ipsi contradicere videtur dum verba Nicolai Cabasilæ sua facit, etiam atque etiam repetens verba Christi a sacerdote proferri tantum διηγηματικῶς,, *per modum narrationis.*

3. Hardouin, *op. cit.*, t. IX, col. 977; Mansi, t. XXXI, col. 1686.

4. *Apologia et refutatio capitum fr. Francisci*, 8, *P. G.*, t. CXL, col. 481 B.

5. *Op. cit.*, p. 83 : « Τὸ εἶδος, προηγουμένως μὲν τὰ κυριακὰ λόγια, τὸ Λάβετε, φάγετε, κτλ., συνεπόμενα ἔχον καὶ τὰ ὑπὸ τοῦ ἱερέως ἐφεξῆς λεγόμενα ῥήματα. »

6. Συντομία τῶν ἰταλικῶν ἁμαρτημάτων,, ed. K. Simonidès, Londini, 1858, p. 95-98 : « Ὄντως τὸ μυστήριον καὶ τοῖς κυριακοῖς ῥήμασιν καὶ ταῖς εὐχαῖς ἀποτελεῖται, τοῖς μὲν ἀρχικῶς καὶ προηγουμένως καὶ ὡς παρέχουσι δύναμιν, τοῖς δὲ ἑπομένως καὶ κατὰ τελείαν ἐνέργειαν. » Coressius verba Chrysostomi interpretatur ut Cabasilas.

Macarius Bulgakov [1], A. Maltzev [2], M. Ph. Iastrebov [3], Malinovskii [4].

Alii verba Christi et verba epiclesis cum conjunctis precibus et gestibus per modum unius indivisi sumunt, dicuntque formam sacramenti his omnibus simul constitui, de certo instanti quo transsubstantiatio fiat nihil decernentes. Ita Philaretus Gumilevskii [5] et Philaretus Drozdov in catechismo, cujus verba sunt sequentia :

« *Quæstio :* Quænam est præcipua actio in missa fidelium?

« *Resp. :* Prolatio verborum quæ dixit Jesus Christus sacramentum instituendo : *Accipite, comedite*, etc.; et postea invocatio Spiritus Sancti et benedictio donorum, id est panis et vini propositi.

« *Quæstio :* Quare hoc est magni momenti ?

« *Resp. :* Quia in hac ipsa actione panis et vinum convertuntur seu transsubstantiantur in verum corpus Christi et in verum sanguinem Christi. »

Dyovuniotis de præsenti quæstione singularem habet sententiam. Dicit enim lectionem totius missæ et quidem mysticæ orationis, quam continet, ad donorum sanctificationem necessariam esse [6]. Addit tamen sanctificationem et conversionem *proprie*, κυρίως, perfici per epiclesim.

1. *Op. cit.*, p. 379-381. Macarius verba Christi habet ut præceptum in missa necessario repetendum, vi cujus sacerdoti licentia ac potestas traditur sacramentum conficiendi. Unde et hæc verba et epiclesim ut totum quid indivisibile considerat.

2. *Die Sakramente*, v, p. CLVII-CLXIV. Hic auctor doctrinæ Macarii adhæret. Epiclesim missæ latinæ dicit esse orationem *Supplices te rogamus.*

3. *Lectiones theologiæ dogmaticæ : De sacramento Eucharistiæ* (russice), in *Trudy Acad. Kiov.*, 1908, t. I, p. 3-11. Loquitur ut Macarius et Maltzev.

4. Malinovskii, *op. cit.*, p. 368-369. Hic theologus magnum momentum verbis Domini, quatenus a sacerdote proferuntur, tribuit : « Erraret, inquit, qui *sensum mere narrativum* hujusmodi verbis adscriberet. Donorum sanctificatio a præfatione incipit, repetitione verborum Domini progreditur, et ad epiclesim terminatur. Virtus divina dona transmutat eo momento quo verba epiclesis pronuntiantur. » Ut multi alii, Malinovskii opinatur Christum consecrasse panem et vinum aliqua benedictione, εὐλογήσας.

5. *Op. cit.*, p. 170-171. Provocat ad varios textus Patrum, inter quos est locus Chrysostomi ex *hom. I in prod. Judæ.*

6. Τὰ μυστήρια, p. 115-116.

VI. — De theologis qui formam sacramenti in sola epiclesi ponunt.

A sententia Nicolai Cabasilæ et Marci Ephesini aliquatenus differt illorum opinio qui, nulla habita ratione vel facta mentione verborum Christi, simpliciter asserunt transsubstantiationem fieri per epiclesim Spiritus Sancti, vel effici statim ac verba epiclesis prolata sunt. Quanquam enim et in Cabasilæ sententia conversio de facto perficitur eo momento quo profertur invocatio ad Patrem, ut mittat Spiritum, attamen aliqua vis ac momentum per quandam fictionem mentis verbis Domini tribuitur; quæ *conditionis sine qua non* efficaciæ epiclesis partes gerunt. In hac autem altera sententia, hæc verba prorsus habentur ut mera narratio historica nullum verum influxum in conversionem donorum exercens. Ad hunc novum conceptum sensim pervenerunt plerique theologi epochæ modernæ, duplici ratione ducti : ratione scilicet polemica, quia hoc novo loquendi modo doctrinæ catholicæ expressius adversantur viamque præcludunt; ratione etiam theologica, quia transsubstantiationem non paulatim ac progressive, sed in instanti fieri clarius quam alii perspexerunt, fictionemque Marci et Isidori vanam judicarunt. Illa namque vera ac sola sacramenti forma dicenda est, quæ profertur eo momento quo fit transsubstantiatio, seu accuratius : qua finita, transsubstantiatio in instanti perficitur.

Hæc recentior doctrinæ Græco-Russorum expressio occurrit : 1° in *Confessione orthodoxa* Petri Moghilæ, prout a Meletio Syrigo correcta est [1] : Conversio fit per operationem Spiritus Sancti, quam sacerdos per epiclesim postulat : *pronuntiatis epiclesis verbis, statim transsubstantiatio peragitur :* μετὰ τὰ ῥήματα ταῦτα ἡ μετουσίωσις παρευθὺς γίνεται: 2° in *Confessione Dosithei*, c. xv [2] : Sacramentum oblationis (seu eucharistiæ) verbo substantivo institutum est, et *epiclesi Spiritus Sancti consecratur*, ὃ ῥήματι ὑπαρκτικῷ νομοθετηθὲν καὶ τῇ ἐπικλήσει τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἁγιασθὲν τελειοῦται τῇ

1. I p., q. cvii. Kimmel, i, p. 180. Ipse Petrus Moghila doctrinæ catholicæ adhærebat. Vide infra, p. 297.

2. Kimmel, *ibid.*, p. 451. Aliunde scimus Dositheum hanc doctri-

ὑπάρξει τοῦ σημαινομένου; 3° in *Professione fidei* in ordinatione episcopi apud Russos, inde a patriarcha Adriano († 1700) usitata, ubi hæc leguntur : « Ecclesia orthodoxa credit et docet transsubstantiationem corporis et sanguinis Christi perfici in divina liturgia descensu et operatione Spiritus Sancti per invocationem ab episcopo vel a presbytero factam, dum orat Deum Patrem his verbis, etc.[1]; » 4° apud theologos russos et græcos qui circa finem sæculi XVII et sæculi XVIII initio adversus Kiovienses et Moscovitas catholice sentientes decertarunt; inter quos emicuerunt Fratres Likhudes[2], monachus Euthymius[3], Sevastus Kymenites[4]; 5° apud theologos russos sæculi XVIII doctrinæ Theophanis Procopovitch addictos, inter quos veniunt Theophylactus Gorskii[5], Sylvester Lebedinskii[6], Gabriel Petrov[7]; 6° apud Eustra-

nam adversus Kiovienses totis viribus propugnasse. Cf. Delicanis : Τὰ σῳζόμενα ἐκκλησιαστικὰ ἔγγραφα τὰ ἀφορῶντα εἰς τὰς σχέσεις τοῦ οἰκουμ. πατριαρχείου πρὸς τὰς Ἐκκλησίας τῆς Ῥωσσίας. Constantinopoli, 1905, p. 211-215.

1. Cf. Iastrebov, *loc. cit.*, p. 11.

2. De operibus polemicis horum theologorum vide t. I hujus operis, p. 517-518, et Mircovitch, *De tempore transsubstantiationis donorum*, Vilnæ, 1886, p. 83-149. Præcipuum eorum opus de præsenti quæstione inscribitur *Akos*, in formam dialogi redactum. In probatione patristica, ad auctoritatem quindecim Patrum provocant, inter quos venit ipse Joannes Chrysostomus. Likhudes Latinos insciti arguunt, quod verbum græcum μεταρρυθμίζειν de transsubstantiatione intelligant. Si illos audias, μεταρρυθμίζειν simpliciter significat *transferre de statu inferiori ad statum superiorem*, hocque pacto testimonium Chrysostomi suæ doctrinæ oppositum declinant.

3. De hoc theologo ejusque operibus, vide, t. I, p. 575.

4. Cf. t. I, p. 519.

5. *Op. cit.*, p. 248 : « Consecrationem hujus sacramenti perfici adserimus per verba illa consecrationis : *Fac equidem panem hunc*, etc., non vero per verba institutionis sola. Ex ipsis enim verbis Christi patet consecrationem a Christo per gratiarum actionem et benedictionem factam esse. »

6. *Op. cit.*, p. 501 : « Forma hujus sacramenti non sunt verba Christi : *Accipite, edite*, etc., sed sunt illa quæ constant in invocatione Dei et Spiritus Sancti necnon precibus sacerdotis : 1° *Domine, qui sanctissimum Spiritum apostolis hora tertia misisti ;* 2° formula, qua consecratio absolvitur : *Et fac quidem*, etc.

7. In opere græce reddito ab Eugenio Bulgari, Petropoli, 1799, sub titulo Τελετουργία ἱερά, p. 161 : « Ad verba : *Fac hunc panem pretiosum corpus Christi*, pulsantur campanæ. »

tium Argentis, polemistarum antilatinorum sæculi XVIII inter Græcos principem, qui totam secundam partem sui operis : Σύνταγμα κατὰ ἀζύμων quæstioni de forma Eucharistiæ dicat [1]. Suæ adversus Latinos argumentationis principium est Christum non consecrasse verbis : *Hoc est corpus meum*, sed δι'εὐχαριστίας καὶ εὐλογίας καὶ ἐπικλήσεως [2]. Unde hujusmodi verbis nullam agnoscit vim consecrativam, bene vero quintuplicem aliam utilitatem : *a*) Per ea, inquit, apostoli cognoverunt quid dabat illis Dominus; *b*) Et nos didicimus quid sit hoc sacramentum; *c)* Quatenus a sacerdote proferuntur, in memoriam nobis revocant ea quæ in ultima Cœna Christus gessit; *d)* Ex eis sacerdotes didicerunt quid ipsi facere debeant; *e)* Item quid communicantibus dicere conveniat;[3] 7° apud quosdam theologos russos inter recentiores, v. g., apud Sylvestrum Malevanskii [4], necnon apud plerosque Græcos nostri ævi, inter quos veniunt Mesoloras [5], Nectarius Kephalas [6], Andrutsus [7], catechismorum auctores non pauci [8], Anthimus VII patriarcha Constantinopolis [9].

Haud dubium quin hæc altera de forma Eucharistiæ doctrina, quæ verbis Christi omnem realem in transsubstantiationem influxum denegat, illa ut meram narrationem historicam habens, totamque vim consecrativam in verbis

1. *Op. cit.*, p. 91-250.
2. *Ibid.*, p. 92.
3. *Ibid.*, p. 208.
4. *Op. cit.*, t. IV, p. 509-520. Sylvester omnes Ecclesiæ Patres, non exceptis Chrysostomo, Ambrosio et Augustino, ad suam trahit sententiam. Si illi credas, doctrina catholica non est sæculo XI antiquior.
5. *Op. cit.*, p. 263-268.
6. Περὶ μυστηρίων, p. 47.
7. Δογματική, p. 363-364.
8. Cf. Bapheides, Κατήχησις, p. 99; Bernardakis, *op. cit.*, p. 169-170. Hic auctor de Latinis hæc mira habet : « In sacrificio sacerdos [latinus] Deum non invocat, ut sanctificet panem et vinum, *neque ea benedicit...* sed refert tantum et *quasi historice verba dominica* in evangeliis consignata, et credit dona fuisse consecrata per ea, quamvis *ostensa* tantum fuerint. »
9. *Encyclica synodalis, 10*, anno 1895 data : « Una, sancta, catholica et apostolica Ecclesia septem conciliorum œcumenicorum traditione accepit sancta dona consecrari, *post* orationem invocationis Spiritus Sancti per *sacerdotis benedictionem*, διὰ τῆς εὐλογίας τοῦ ἱερέως. »

epiclesis collocat, inter Græcos modernos inde a sæculo XVI omnino prævaluerit, et nunc etiam prævaleat. Hujus sane ponderi præpollenti tribuendæ sunt illæ in rubricis ac verbis anaphoræ variæ mutationes, suppressiones, inversiones, additiones, quarum supra mentionem fecimus [1]; quæ eo unice spectant, ut verborum Christi vim ac momentum enervent penitusque auferant, epiclesis vero efficaciam extollant vividiusque ac expressius repræsentent.

VII. — De theologis qui post Nicolaum Cabasilam doctrinam catholicam tenuerunt ac propugnarunt.

Doctrinam Nicolai Cabasilæ supra expositam ab omnibus Byzantinis sæc. XIV et XV non fuisse receptam non uno constat documento. Primum quidem, si Simeonem Thessalonicensem excipias, vix unum polemistam reperies qui de hac quæstione contra Latinos aliquid scripserit ante concilium Florentinum [2]. Non enim Græci, ut diximus, sed Latini, hanc controversiam iniverant, ita ut illi circa hanc quæstionem « sur la défensive » potius essent. Quosdam autem ex illis eo tempore doctrinæ catholicæ expresse adhæsisse certum est; inter quos computandus est Georgius Scholarius. Hic enim in suo sermone *De sacramentali corpore Christi* jam laudato, quem senatu coram et populo, et quidem, ut videtur, ante concilium Florentinum habuit, hæc verba in ore Christi discipulos alloquentis ponit :

« Formam vobis trado mirabilis illius operationis, et faciendi potestatem vobis tribuo. *Etenim verborum meorum efficacia omnem panem et omne vinum in meum sanguinem et corpus transmutabit*, quando mei memoriam agere, et me tanquam simul vobiscum et in vobis præsentem, et ad omne bonum confortantem habere volueritis [3]. »

1. Cf. p. 267.

2. Notandum est Matthæum Angelum Panaretum, Cabasilæ coætaneum, qui integrum opusculum περὶ τῶν ἀτοπημάτων Latinorum conscripsit, (triginta octo ἀτοπήματα recenset), ne ullum verbum habere de forma Eucharistiæ.

3. « Τὸν τύπον ὑμῖν δίδωμι τῆς τοιαύτης θαυματουργίας καὶ τὴν τοῦ ποιεῖν ἐντίθημι δύναμιν· ἡ γὰρ τῶν ἐμῶν λόγων δραστηριότης πάντα ἄρτον καὶ πάντα οἶνον πρὸς τὸ ἐμὸν σῶμα καὶ αἷμα μεταβαλεῖ, ἐπειδὰν ἐμοῦ μνησθῆναι θελήσητε καὶ ὡς συνόντα καὶ ἐνόντα καὶ ῥώννύντα πρὸς πᾶν ἀγαθὸν ἔχειν. » *Œuvres complètes*, t. I, p. 124. Cf. Renaudot, *op. cit.*, p. 4.

Verum quidam est hunc auctorem in opusculo *De ingressibus*, ante Urbem captam conscripto, de eadem quæstione obscurius loqui, cum ad epiclesim alludit; non pauca tamen etiam in hoc scripto habet, ex quibus colligere licet eum circa hanc quæstionem nunquam sententiam mutasse. Semper enim transsubstantiationem non Spiritui Sancto, sed Christo tribuit; epiclesim vero ita explicare videtur, ut sit transsubstantiationis jam factæ quasi demonstratio vel ostensio [1]. Insuper in opusculo *De purgatorio* circa finem vitæ suæ composito, novationes Latinorum enumerans, de doctrina circa formam Eucharistiæ prorsus silet [2].

In concilio Florentino, paucis diebus ante decreti unionis subsignationem, de præsenti quæstione satis acris disputatio habita est. Latini enim a Græcis postularunt non quidem ut epiclesim e liturgia expungerent, sed ut trinam illam benedictionem supprimerent, quam ad illius epiclesis verba

1. Περὶ τῶν ἱερῶν εἰσόδων, in cod. *Pantocratorino Athonensi 127*, fol. 93 sq. : « Καὶ τότε μὲν γὰρ πρῶτον οἱ μαθηταὶ τὸν ἄρτον καὶ οἶνον ἐδίδουν· ὁ δὲ δεσπότης λαβὼν εὐλόγησεν ἄμφω, καὶ τῇ εὐλογίᾳ μετουσίωσε... Καὶ νῦν δὲ τὴν μὲν πρὸς τὸ προσδοκώμενον οὐρανόθεν δῶρον παρασκευὴν ἱερεύς ἐστιν ὁ ποιῶν καὶ προσφέρων· ὁ δὲ μεταβάλλων τὴν οὐσίαν τοῦ ἄρτου εἰς τὴν οὐσίαν τοῦ σώματος καὶ τὸν οἶνον εἰς τὴν οὐσίαν τοῦ αἵματος, αὐτὸς ὁ Κύριος ἡμῶν ἐστιν οὐρανόθεν, ὁ παντοκράτωρ καὶ πάντα πληρῶν ὡς Λόγος Θεοῦ καὶ Θεὸς καὶ τῶν ὄντων πάντων δημιουργός... » Obscura sunt quæ sequuntur : « Ἐπὶ γὰρ τοῦδε τοῦ μυστηρίου καὶ πολλῷ μᾶλλόν τε καὶ σαφέστερον ἐκ τοῦ Κυρίου ἡμῶν μόνον τὸ μυστήριον τὸ πᾶν ὑπάρχει τῆς χάριτος. Καὶ δῆλον ἐξ αὐτῶν τῶν ῥημάτων τοῦ διακονοῦντος τῷ μυστηρίῳ· ὑπομνήσας γὰρ πρῶτον μετ' εὐλαβείας πλείστης τὸν πάντα εἰδότα Κύριον τῶν πρὸς τοὺς μαθητὰς τότε ῥημάτων αὐτοῦ, εἶτα τὴν ὑπὲρ τοῦ καὶ νῦν γενέσθαι τὸ ζητούμενον προστίθησι δέησιν, καὶ λέγει· ποίησον τὸν ἄρτον τοῦτον, κτλ., ὡς εἰ ἔλεγεν· ἐγὼ μὲν ἄρτον παρεσκεύασα τῇ ἱερᾷ ταύτῃ τραπέζῃ καὶ οἶνον ὁμοίως εὐλογημένα, εἰς τοῦτο μόνον ὑπὸ σοῦ τεταγμένος καὶ τῆς σῆς εὐμενείας· σὺ δὲ μόνος μετουσιοῦν ὑπερφυῶς αὐτὰ δύνῃ καὶ μεταποιεῖν... » Paulo infra rursus conversionem Christo tribuit, et ad gestum ostensionis a sacerdote factum alludit. Quandonam autem hic gestus fiat, utrum ad verba Domini (quod multo probabilius est), an ad verba epiclesis, non dicit auctor : « Τὸ μὲν ὑπερφυὲς τῆς εὐχαριστίας μυστήριον ἐν τῇ τραπέζῃ μόνῃ πιστεύομεν γίνεσθαι, τοῦ Κυρίου ἡμῶν οὐρανόθεν τὸν μὲν ἄρτον εἰς τὴν οἰκείαν σάρκα, τὸν δ' οἶνον εἰς τὸ αἷμα μετουσιοῦντος, καὶ τοῦτο τέλος τῆς ἱερουργίας εἶναι, παρασκευὰς δὲ πρὸς αὐτὸ πάντα τὰ πρότερα. Διὸ καὶ ἀναδεικνύντος τοῦ ἱερέως, ὡς αὐτῷ τῷ δεσπότῃ ἡμῶν προσέχομεν τῷ δεικνυμένῳ μετ' εὐλαβείας ἁπάσης καὶ φόβῳ καὶ πίστεως. »

2. *Œuvres*, t. I, p. 539.

facere jam consueverant, quasi panis et vinum post verba dominica nondum essent consecrata [1]. Turrecremata epiclesim de solo corpore Christi mystico ejusque sanctificatione explicare parum feliciter tentavit; cui Isidorus Kioviensis verbis supra relatis [2] respondit. Latinis huic explicationi reclamantibus, nec omnibus Græcis eam approbantibus [3], lis non tam facile soluta est. Interim Marcus Ephesius suum libellum de consecratione composuit, quem non omnibus Orientalibus placuisse insinuat Syropulus [4]. Voluerunt itaque Latini, ut de hac quæstione definitio in decreto unionis poneretur. Græci vero, Ephesio excepto, doctrinæ catholicæ se adhærere tandem professi sunt, dixeruntque non esse necessarium ut hujus capitis in definitione mentio fieret; immo, inquiebant, si ponatur, Ecclesia nostra ignominiam inde recipiet, quasi hactenus hanc doctrinam respuerit [5]. Hanc rationem, cujus sinceritas non supra omnem suspicionem quibusdam forsan visa fuerit [6], Latinis non plene satisfecisse exinde constat, quod Eugenius IV a Græcis exegit, ut ante solemnem unionis promulgationem, suam in doctrinam catholicam fidem diserte ac publice in plenaria sessione profiterentur; quod omnium nomine, die 5 julii præstitit metropolita Nicænus, Bessarion, his verbis :

« Quoniam in præcedentibus congregationibus nostris inter alias differentias ortum est dubium de consecratione sacratissimi sacramenti Eucharistiæ, et aliqui suspicati sunt nos et Ecclesiam nostram non credere illud pretiosissimum sacramentum per verba Salvatoris Domini nostri Jesu Christi confici, propter hanc causam adsumus coram Vestra Beatitudine... Quoniam ab omnibus sanctis docto-

1. Syropulus, *Historia concilii Florentini*, ed. Creighton, p. 278 : « Εἶτα ἐζήτουν διορθῶσαι ἡμᾶς καὶ ἀργῆσαι τὴν ἐπὶ τῇ τελειώσει τῆς ἀναιμάκτου θυσίας τριττὴν εὐλογίαν καὶ ἐπίκλησιν τοῦ ἁγίου Πνεύματος, τὴν γινομένην παρὰ τοῦ ἱερέως. »

2. P. 288.

3. Syropulus, *ibid.*, p. 279 : « Ταῦτα εἰπόντων [Isidorus scilicet et Bessarion], οὔθ'οἱ ἡμέτεροι πάντες ἠρκέσθησαν, πρὸς τὸν σκοπὸν ἀφορῶντες τῶν ἐν ταῖς θείαις λειτουργίαις γεγραμμένων, οὔτε πολλῷ μᾶλλον οἱ Λατῖνοι, πρὸς τὴν ἰδίαν ἀφορῶντες πρόληψιν. »

4. *Ibid.*, p. 279-280.

5. Hardouin, t. IX, col. 981.

6. Cf. quæ dicit Syropulus, p. 292-293.

ribus Ecclesiæ, præsertim ab illo beatissimo Joanne Chrysostomo, qui nobis notissimus est, audimus verba dominica esse illa quæ mutant et transsubstantiant panem et vinum in corpus verum Christi et sanguinem, et quod illa verba divina Salvatoris omnem virtutem transsubstantiationis habent, nos ipsum sanctissimum doctorem et illius sententiam sequimur de necessitate [1]. »

Huic confessioni nomine totius Ecclesiæ græco-russicæ prolatæ Marcus Ephesius solus reclamavit; qui vix imitatorem habuit inter illos polemistas, qui mox unionem Florentinam totis viribus impugnarunt. Hi enim de quinque capitibus solis in definitione positis communiter disseruerunt, altumque de præsenti quæstione silentium servarunt; quam agendi rationem etiam sæculis XVI et XVII communiter tenuerunt polemistæ sanioris notæ; immo adhuc sæculo XVIII ineunte, Elias Meniates, in vulgatissimo suo opusculo *Petra scandali*, de solis quinque differentiis Florentinis sermonem instituit.

Doctrinam catholicam apud Kiovienses et Moscovitas dissidentes per totum Medium Ævum communiter receptam fuisse; aut saltem Græcorum recentiorum opinionem in sola epiclesi formam sacramenti reponentium inter eos prorsus ignoratam fuisse, exinde colligere est quod a sæculo XVI, et usque ad sæculi XVIII initium, tanquam dogma fidei publice professi sunt consecrationem per verba dominica fieri; hancque sententiam contra Græcos eorumque discipulos sub sæculi XVII finem acriter tuiti sunt. Ad rem explicandam, theologi dissidentes nostri ævi ad theologiæ occidentalis influxum provocare solenne habent. Porro hujusmodi influxum verum, immo magnum fuisse nemo doctus inficias ibit; quod autem tam firmi assensus Russorum rationem plene reddat, ægre quis concedet. Ad verum propius accedet qui dixerit Russos devotius quam Græcos veteri traditioni adhæsisse; rubricas liturgicas ab antiquo traditas accuratius servasse, et a quavis in ritibus sacris mutatione maxime abhorruisse. Hæc autem rubricarum veterum observantia verborum Christi efficaciam illustrat; accedente vero theologorum occidentalium de materia et forma sacramentorum

1. Hardouin, col. 983-984; *P. G.*, t. CLXI, col. 491.

de ministri intentione necnon de transsubstantiationis instantaneitate tam accurata doctrina, mirum non est primum Kiovienses, et postea Moscovitas ipsos ad tam explicitam et firmam fidem in verborum Christi efficaciam pervenisse.

Quidquid vero sit de facti explicatione, factum ipsum constat : Kiovienses et Moscovitæ, præsertim sæculo XVII, innumeris testimoniis declarant se tanquam fidei dogma retinere doctrinam catholicam de forma Eucharistiæ. Hæc occurrit : 1° in libris liturgicis, in missalibus scilicet (seu *slugebnicis)* et ritualibus (seu *trebnicis)* [1]; 2° in catechismis [2]; 3° in sermonum collectionibus [3]; 4° in scriptis polemicis adversus Catholicos et alios [4]; 5° in compendiis theologiæ dogmaticæ [5]. Præter ritus et gestus sacros verborum dominicorum prolationem comitantes, de quibus supra diximus, Malorussi et Moscovitæ quædam nova introducunt, ut mysterium transsubstantiationis tunc perfici expressius indicent : præscribunt scilicet, ut sacerdos capite detecto verba dominica proferat; ut post utramque consecrationem genuflectat seu μετάνοιαν faciat; ut eodem momento pulsentur campanæ.

In synodo Kioviensi anni 1640, cui præfuit Petrus Moghila et in qua catechismus ab eo compositus examini subjectus est, aliqua disceptatio de momento transsubstantiationis habita est. Petrus enim doctrinam catholicam in suo catechismo diserte docebat; quibusdam autem synodi membris

1. Cf. *Missale Confraternitatis Vilnensis* (an. 1617); *Missale Lauræ Petcherskaiensis* (1620); varias editiones *Missalis Petri Moghilæ* (1629, 1638, 1639). De fide Kioviensium necnon de controversia circa momentum transsubstantiationis, quæ circa finem sæculi XVII inter Kiovienses et Moscovitas græcophilos exorta est, vide opus Mirkovitch jam supra laudatum. Cf. etiam N. Russnak, *Epiclesis* (russice), Prechovii, 1926; Iastrebov, *art. cit.*, in *Trudy Ac. Kiov.*, 1908, t. I, p. 3-11.

2. *Magnus catechismus* Laurentii Zizanii, Mosquæ, 1627; *Catechismus* Sylvestri Kossovii (1635), a synodo Moghilensi anno 1637 approbatus, pluries deinceps editus; *Catechismus monasterii Assumptionis*, Kioviæ, 1685.

3. *Evanghelie utchitelnoe* Cyrilli Trankvillionis (1619).

4. Λίθος seu *Kamen* Petri Moghilæ, Kioviæ, 1644.

5. *Mir s'Bogom* Innocentii Ghisel, Kioviæ, 1669; *Vyklad*, Theodosii Saphonovitch, Kioviæ, 1667, opus liturgico-dogmaticum. De plerisque scriptis hujusmodi, vide, t. I, p. 560-569.

Græcorum recentiorum sententiam objicientibus, ad patriarcham Constantinopolitanum de hac quæstione appellare statuerunt. Unde, anno 1642, Iasii in Moldavia, Kioviensium legati cum legatis patriarchæ Constantinopolis de catechismo Moghilæ approbando, quem *Expositionem fidei Ecclesiæ Malorussicæ* appellabant, colloquia habuerunt. Græci a Kioviensibus dissidebant circa duo, scilicet circa doctrinam de purgatorio necnon circa tempus quo transsubstantiatio perficitur. Legati Kioviensium, ut patriarchæ æcumenici approbationem obtinerent, circa hæc duo Græcis se morem gerere simularunt Meletioque Syrigo permiserunt, ut secundum placita Græcorum catechismum Moghilæ a se græce redditum emendaret. Hæc versio græca, ut bene notum est, a quatuor patriarchis orientalibus anno 1643 tanquam *Confessio orthodoxa Ecclesiæ orientalis* publice approbata ac confirmata fuit [1]. Moghila autem aliique Kiovienses Syrigi correctionibus inspectis, eam tanquam fidei suæ formulam recipere noluerunt, moxque de alio catechismo breviori componendo ipse Moghila curavit. Revera, anno 1645, polonice ac russice edidit hoc *Compendium breve scientiæ de articulis fidei*, de quo in t. I hujus operis locuti sumus [2]. Porro, ad momentum transsubstantiationis quod attinet, auctor textui *Confessionis orthodoxæ* a patriarchis orientalibus approbato aperte contradicebat, sententiamque catholicam in novo catechismo diserte docebat his verbis :

« *Quæstio* CXIII *:* Quomodo consecratur hoc sacramentum in sacra liturgia?

« *Resp. :* Virtute horum verborum quæ Christus locutus est : *Hoc est corpus meum*, et : *Hic est sanguis meus*. Ubi proferuntur a sacerdote, advenit Spiritus Sanctus invisibiliter, ad invocationem et intentionem sacerdotis, et substantiam panis ac vini transmutat in substantiam corporis et sanguinis Christi, remanentibus solum ipsis speciebus panis ac vini [3]. »

1. Cf. Malvy-Viller, *La Confession orthodoxe de Pierre Moghila. Texte latin inédit avec introduction et notes critiques (Orientalia christiana*, n. 39), Parisiis, 1927, p. XLVII-LV.

2. T. I, p. 565.

3. Malvy-Viller, *op. cit.*, p. CXXIV-CXXV. Cf. *Tchteniia Societ. mosquensis hist. et antiquit.*, 1877, t. I, p. 141-145.

Anno sequenti, idem Moghila suum magnum *Trebnik* seu *Euchologium* Kioviæ edebat, in quo haud semel eamdem doctrinam de forma Eucharistiæ tradit [1].

Eo tempore, Moscovitæ omnes eamdem, quam Kiovienses, doctrinam tenebant; apud quos missalia, ritualia, catechismi aliique libri a Malorussis editi libere ac sine ulla reclamatione vulgabantur. Non solum eorum antiqui libri liturgici, verum etiam illi novi a Nicone ad normam græcam redacti et in pluribus synodis Mosquensibus approbati, præsertim vero a magna synodo anni 16666-1667, cui interfuerunt duo patriarchæ orientales, veteres rubricas de inclinatione capitis, de gestu benedictionis et ostensionis a sacerdote ad verborum Domini prolationem faciendis retinebant. Cum autem Nicon opus Joannis Nathanaelis : Ἡ θεία λειτουργία μετὰ ἐξηγήσεων διαφόρων διδασκάλων, Venetiis 1574, slavice redditum libro inscripto *Skrigeal* (= πίναξ) inseruisset et in synodo Mosquensi anni 1656 approbasset, Epiphanius Slavinetskii hujus versionis († 1675), slavicæ auctor, animadvertit Nathanaelem docere sententiam recentiorum Græcorum de forma Eucharistiæ; quam ipse, anno 1673, contra Simeonem Polotskii († 1680) propugnare cœpit. Circa annum vero 1681, eamdem quæstionem inter se moverunt Sylvester Medviedev, Simeonis discipulus, et Euthymius monachus, Epiphanii Slavinetskii doctrina imbutus; quibus mox alii utrinque se adjunxerunt. Hæc fuit magna de momento transsubstantiationis controversia, quæ usque ad synodum Mosquensem anni 1690 perduravit. Scripta polemica ex utraque parte prodiere, quorum pleraque in tomo I hujus operis indicavimus [2]. Fratres Likhudes, a Dositheo missi,

1. *Trebnik*, Kioviæ, 1646, p. 4 : « Forma Eucharistiæ sunt Christi verba : *Accipite et manducate, Hoc est*, etc., atque Spiritus Sancti virtute dona transmutantur. » — P. 229 : « Præter generalem celebrandi intentionem, sacerdos intentionem specialem habere debet, eo momento quo verba Christi profert panemque ac calicem manu ostendit : intentionem nempe mentis et voluntatis verbis Domini respondentem, quia substantia panis quæ in disco est et in quam respicit, in corpus Christi revera transsubstantiatur. » P. 238-239 : « Forma Eucharistiæ sunt verba Christi. His prolatis, panis non est amplius panis in sua substantia, sed vere corpus Christi. » Hic laudat testimonium S. Joannis Chrysostomi, *Homil., I in prod. Judæ*, 6.

2. P. 572-577.

factioni τῶν Γραικοφρόνων opem tulerunt: qui de suis adversariis in synodo Mosquensi anni 1690 victoriam reportarunt, patriarcha Joakimo, sententiæ Kioviensium prius addicto, ad eorum partes converso. In hac synodo, non solum Sylvestri Medviedev scripta, verum etiam omnia alia Kioviensium opera doctrinam catholicam propugnantia anathemate plexa sunt [1]. Joakimi successor, Adrianus († 1700) synodi decretum confirmavit professionique fidei ab episcopis ordinandis recitandæ doctrinam Græcorum recentiorum de forma Eucharistiæ inseruit.

Erraret qui putaret hujusmodi decreto causam fuisse finitam. Non enim Kiovienses synodum Mosquensem patriarchasque quum russos tum orientales infallibilitate donatos habebant. Unde ex ipsis plerique suam de forma Eucharistiæ sententiam nullo pacto mutaverunt; immo, cum Petrus Magnus, reformationum initiator novitatumque et progressus amator, ipsis potius quam factioni græcophilorum haud dubie faveret, eam rursus publice docere non timuerunt; inter quos nominandi sunt Stephanus Iavorskii [2], Demetrius Tuptalo, Rostoviensis episcopus [3], Academiæ Kioviensis professores sæculi XVIII ineuntis [4]. Anno 1706, Fratres Likhudes cum Gabriele Dometskii, monasterii Iurieviensis archimandrita, qui catholicam doctrinam tenebat, rursus de eadem quæstione litigabant [5]. Mox vero, sub

1. Inter opera damnata occurrunt : 1° *Trebnik*, Petri Moghilæ, ed. anni 1646; 2° ejus *Parvus catechismus*, anno 1645 editus; 3° *Catechismus* Sylvestri Kossovii; 4° *Evangelie Utchitelnoe* Cyrilli Trankvillionis, ed. 1619; 5° Liber inscriptus *Vykład* Theodosii Saphonovitch. Cf. P. Morozov, *Theophanes Procopovitch ut scriptor*, Petropoli, 1880, p. 60; Mirkovitch, *op. cit.*, p. 211-217.

2. Certum omnino est Iavorskii, sæculo XVIII ineunte, doctrinam catholicam adhuc propugnasse, teste Dositheo, qui hoc ei crimini vertit in suis epistolis. Cf. Delicanis, *op. et loc. cit.*

3. Si Mirkovitch, *op. cit.*, p. 237 sq., credendum, Demetrius, qui ante synodum Mosquensem opusculum pro doctrina catholica scripserat, post hanc synodum, aliud opusculum pro opinione Græcorum composuerit; quod ad calcem sui operis ipse Mirkovitch edidit; verum hoc opusculum suppositium esse. Demetrium vero circa formam Eucharistiæ nunquam sententiam mutasse arguit Schliapkin, *S. Demetrius Rostoviensis ejusque ævum*, Petropoli, 1891, p. 225-226.

4. Schliapkin, *op. cit.*, p. 224-225.

5. Mirkovitch, p. 229-245.

Græcorum influxu, favente etiam Theophane Procopovitch ejusque schola, sententia anticatholica, ut supra ostendimus, in Russia prævaluit [1]. Præcipui tamen theologi russi recentiores, quorum nomina jam dedimus, ab illa opinionis græcæ varietate quæ formam sacramenti in sola epiclesi reponit, expresse recedunt, verbis Domini magnam vim tribuunt; immo a determinando certo momento quo transsubstantiatio fiat, caute abstinent [2].

ARTICULUS VI

De necessitate et effectibus sacramenti Eucharistiæ.

I. — De necessitate Eucharistiæ.

Doctrina catholica est « parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem » (Conc. Trid., sess. XXI, c. 4 et can. 4). Huic doctrinæ reclamare visi sunt, inde a sæculo XV, quidam polemistæ antilatini, qui eo usque devenerunt, ut pronuntiarent Eucharistiam tum pro adultis tum etiam pro par-

1. Dositheus operam dedit, ut opus Sevasti Kymenitis contra doctrinas Kioviensium slavice verteretur a Fedoro Polycarpov (1705), atque inter Russos divulgaretur. In editione *Petræ fidei* Stephani Iavorskii, anno 1730 facta (prima editio 1728 lucem aspexit), legitur in quodam prænotamine ad tractatum VI *(De Eucharistia)* auctorem non tractare de momento transsubstantiationis, lectorque præmonetur verba Christi non esse Eucharistiæ formam, sed per modum narrationis a sacerdote proferri, p. 310 *b*. Idem, p. 343, repetitur. Difficile credam has animadversiones ipsius Stephani esse; immo valde probabile est eum in hoc suo magno opere doctrinæ catholicæ suffragatum fuisse. Editor quædam expunxerit, alia interpolaverit.

2. De doctrina Starovierorum circa formam Eucharistiæ silent compendia polemica adversus rascolnikos a Russis orthodoxis composita. Notum est tamen primos rascolnikos doctrinæ Græcorum recentiorum non adhæsisse. Ex ipsis enim quidam, ut Awakum et Lazarus, transsubstantiationem fieri docebant ad offertorium, post magnum introitum, quando sacerdos recitat orationem τῆς προσκομιδῆς ; siquidem in hac oratione, aliqua epiclesis forma occurrit, quam supra, p. 270, notavimus. Alii, ut diaconus Feodorus, doctrinam catholicam profitebantur. Cf. P. Smirnov, in *Encyclopedia theologica orthodoxa*, t. IV, col. 1150 sq.; Subbotin, *Documenta ad historiam rascoli pertinentia*, t. VI, p. 128.

vulis tam necessariam esse quam ipsum baptismum; inter quos primus venit Simeon Thessalonicensis, qui Latinis crimini vertit quod infantibus communionem denegent : « Infans, inquit, per fidelem ad communionem afferatur, quoniam ipsa est vita æterna. Et sicut qui non renatus fuerit per aquam et Spiritum non intrabit in regnum cælorum, ita qui non manducaverit carnem Filii hominis, ut ipse Dominus dixit, et non biberit ejus sanguinem, non habebit vitam æternam [1]. »

Ante Simeonem, Nilus, Rhodi metropolita, communionis necessitatem pro parvulis in quadam responsione canonica etiam urserat; qui tamen non de necessitate medii, sed de necessitate præcepti loqui videtur, dum ad canonem 84 Trullanum provocat, dicitque hoc ad traditionem ecclesiasticam pertinere, ut infantes, utpote immaculati, communionem recipiant; neque ullum exstare canonem qui eos a sacra mensa arceat; stultum vero esse atque absurdum ideo corpus Christi eis denegare, quod illud discernere adhuc nesciant [2].

Nilo potius quam Simeoni consentiunt plerique moderni polemistæ qui usum latinum de communione parvulis deneganda carpserunt; non enim audent a regno cælorum vitaque æterna excludere infantes qui ob necessitatem ἀκοινώνητοι vita cesserunt [3]. Quidam tamen contrariam

1. *De sacramentis*, 69, col. 236 CD.

2. *Responsio decima ad Jonam hieromonachum*, ed. A. I. Almazov, *Inedita canonica responsa Constantinopolitani patriarchæ Lucæ Chrysovergæ* et *Nili metropolitæ Rhodiensis* (russice et græce), Odessæ, 1903, p. 62-64 : « Οὐδαμοῦ γὰρ κεκωλυμένον εὑρίσκεται τοῦτο, ἀλλὰ μᾶλλον τοῦ ἁγίου βαπτίσματος καὶ τῆς θείας μεταλήψεως [τὰ νήπια κοινωνεῖν] διὰ τὸ τῆς ζωῆς ἄδηλον, τοῦτο ὁμοφρόνως οἱ θεηγόροι πατέρες πάντες, παραδεδώκασι· τὸ γὰρ λέγειν, ὅτι οὐκ αἰσθάνονται τί τὸ μεταλαμβανόμενον, ἀφροσύνης ἐστί· καὶ γὰρ τὴν δωρεὰν τοῦ ἁγίου βαπτίσματος, ὡς ἀτελῆ τὴν ἡλικίαν ἔχοντα, οὐκ αἰσθάνονται· εἰ δὲ λέγομεν, ὅτι ἀποκρίνονται οἱ ἀνάδοχοι ἐν τῷ καιρῷ τοῦ βαπτίσματος ὑπὲρ αὐτῶν, τί τοῦτο ; οὐ γὰρ οἱ ἀνάδοχοι, ἀλλ'ἡ τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐπιφοίτησίς ἐστιν, ἡ τὰ νήπια φωτίζουσα... Παράδοσίς ἐστι μετέχειν τὰ βαπτισθέντα νήπια τῆς θείας μεταλήψεως, ὡς καθαρὰ καὶ ἀμόλυντα. » Quanquam Nilus de Latinis silet, videtur tamen eos tacite percellere rationesque ab eis allatas, ut parvulos a communione amoveant, confutare.

3. Ita ipse Eustratius Argentis, *op. cit.*, III pars, p. 343 sq., 366, quamvis multa argumenta congerat ad probandam necessitatem Eucharistiæ etiam pro parvulis.

sententiam de absoluta necessitate hujus sacramenti propugnare videntur. Ita Metrophanes Critopulus in *Confessione fidei* [1], et Nicephorus Theotokis [2].

Ad adultos quod attinet, Byzantini et Græco-Russi a communi sententia Catholicorum de necessitate præcepti, vel de necessitate morali ad perseverandum, vel etiam de necessitate medii *saltem in voto* non recedunt [3]. Hanc Eucharistiæ necessitatem pro adultis ad salutem consequendam potissimum urgent theologi russi contra *bezpopovtsos* qui, sacerdotio privati, hoc sacramentum conficere non possunt. Respondent vero sectarii votum sacramenti supplere posse ejus realem perceptionem. Hoc autem Eucharistiæ desiderium ex ipsis quidam sive per manducationem panis paschalis, quem *Kulitchka* appellant, sive per simplicis panis et aquæ absorptionem sensibiliter manifestant [4].

II. — De effectibus Eucharistiæ.

De effectibus Eucharistiæ moderni compendiorum auctores nihil habent quod specialem mentionem mereatur; eadem enim ac nostri, et generatim brevius, tradunt. Quanquam ex ipsis quidam in remissione peccatorum insistunt, quippe qui inter sacramentum et sacrificium non semper clare distinguunt, attamen Eucharistiam esse sacramentum vivorum debitamque animi et corporis præparationem postulare communissime docent.

Apud antiquos Byzantinos, qui distinctam visionem specierum eucharisticarum nondum habebant nihilque in Eucharistia præter Christum fidei oculo perspiciebant, unio Christi cum communicante modo omnino speciali ac notando concipitur. Cum enim Christus dixerit : *Qui manducat meam*

1. C. IX. Kimmel, t. II, p. 125-127 : « δεῖν τὰ νήπια ὥσπερ βαπτίζεσθαι, οὕτω καὶ τοῦ κυριακοῦ δείπνου μετέχειν. »

2. *Op. cit.*, p. 61 : « ἀπὸ ἐτοῦτο συμπεραίνω ἐγὼ πῶς εἶναι τόσον ἀναγκαία ἡ μετάληψις ὅσον ἀναγκαῖον εἶναι τὸ βάπτισμα. » Hoc tamen Theotokis de parvulis expresse non affirmat.

3. Cf. Theophylactum, *Enarratio in Joan.*, VI, 53-56; *P. G.*, t. CXXIII, 1309; Nic. Cabasilam, *De sacra lit.*, 42, col. 457-460; *De vita in Christo*, II, col. 512; IV, col. 593-595; Andrutsum, Δογματική, p. 365.

4. Cf. Plotnikov, *op. cit.*, p. 239-247. De necessitate Eucharistiæ fuse disserit Arcudius, *op. cit.*, l. III, c. XL-XLIX, p. 322-370.

carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in eo, hi theologi, qui totum systema scholasticum de speciebus eucharisticis ignorabant, nullam rationem inveniebant qua præsentiæ realis perseverantiæ seu permanentiæ in communicante finem imponerent; noverant siquidem humanitatem Christi sicut in cælo, ita et in Eucharistia esse gloriosam, immortalem atque impassibilem. Unde post sanctum Joannem Damascenum, qui ipse antiquorum Patrum græcorum (multorum saltem) doctrinam refert, communissime docent « corpus et sanguinem Christi post communionem in nostri tum animi tum corporis vegetationem seu constitutionem (εἰς σύστασιν) cedere, non consumi, non corrumpi, non in secessum abire, sed in *substantiam nostram et conservationem* (εἰς τὴν ἡμῶν οὐσίαν καὶ συντήρησιν) perseverare, omnigenum propulsare nocumentum, ab omni labe purificare; per quæ *corpori Domni ejusque spiritui unimur, et Christi corpus efficimur* [1]. » Hæc verba non sensu metaphorico vel morali, sed sensu *vere physico ac reali*, quanquam mystico, spiritali ac prorsus ineffabili usurpant. Realis totius Christi præsentia tum in anima tum in corpore communicantis indesinenter perseverat nec ipsa morte abrumpitur, etiam quantum ad corpus, quod per communionem modo prorsus mirabili ac *ineffabili corpus Christi factum est, eique unitum;* quodque in fine mundi resurget configuratum Christi corpori ressuscitato: eritque quasi quædam ipsius corporis Christi physici mirabilis extensio. Hoc pacto unum tum quoad animam tum quoad corpus cum Christo efficimur. Hæc spiritualis esca hoc modo in seipsam nos transmutat: per hanc Christum vere induimus, Christiferi ipseque Christus quodam modo efficimur.

Totam hanc doctrinam a Joanne Damasceno breviter ac implicite tantum quoad quædam puncta traditam, et a multis post ipsum eodem fere modo iisdemque verbis repetitam [2], quæ a theologia nostrorum Scholasticorum tantum

1. *De fide orthodoxa*, l. IV, c. XIII; *P. G.*, t. XCIV, col. 1152. Cf. supra, p. 204.

2. Cf. v. g., Nicolaum Methonensem, *Ad eos qui dubitant, loc. cit.*, col. 510-511; M. Glykam, c. 84, t. II, p. 373-374 : « Εἰς αἰῶνα συμπαραμένει ταῖς τῶν δικαίων ψυχαῖς »; Theodorum Meliteniotam, *op. cit.*, col. 953.

distat, plane explicitam ac evolutam invenies apud Nicolaum Cabasilam tum in *Expositione liturgiæ* [1], tum in tractatu *De vita in Christo* [2]. Sufficiat hic brevia hæc excerpta referre :

« Significatur Ecclesia in mysteriis (= Eucharistia) non tanquam in signis, sed tanquam in corde membra et in arboris radice rami, et sicut dixit Dominus, tanquam in vite palmites. Etenim mysteria corpus Christi sunt ac sanguis; sed Ecclesiæ sunt cibus verus ac potus: eorumque particeps effecta, non ea velut aliquem alium cibum in corpus mutat humanum, sed ipsa in illa mutantur, præstantioribus vincentibus... Quemadmodum ferrum inflammatum non ferrum, sed ignem aperte videmus, ferri proprietatibus omnino ab igne deletis, ita etiam Christi Ecclesiam si quis videre potuerit, eo ipso quod ei unita est ejusque carnis est particeps, nihil aliud videbit quam ipsum Domini corpus. Propter hanc rationem : *Vos estis corpus Christi*, inquit Paulus, *et membra ex parte* (I Corinth., XII, 27 [3]...

« Adhuc in corpore viventibus donum (= Eucharistia) datur per corpus, sed primum in animæ substantiam vadit, et per animam ad corpus pervenit [4]...

« Panis vitæ ipse movet eum qui pascitur, et transfert atque in seipsum mutat; quodque ad cor et caput merito pertinet, movemur et vivimus, quantum in ipso est, eadem vita qua vivit ipse [5]... In naturalibus, qui nunc est sanguis filiorum, parentum jam non est, sed illorum fuit priusquam filiorum esset... Ex sacramento autem isto *sanguis quo vivimus, etiam nunc sanguis Christi est. Et caro quam nobis coagmentat corpus Christi est, et communia insuper membra, communis vita.* Hæc est autem vera communio, cum idem ambobus eodem tempore adest [6]...

« (Post mortem) anima in manibus τοῦ ἐπουρανίου (id est Christi) habitat, et corpus est membrum illius. Quanquam

1. Cf. præsertim c. 38 et c. 43-45, col. 452-453, 461-464.
2. L. IV, col. 591-598, 601-604, 621-624; l. VI, col. 649, 660. Cabasilæ doctrinam dilucide exponit P. A. Paris, *op. cit.*, ed. Migne, t. IV, col. 413-432.
3. Col. 452-453.
4. Col. 460 D.
5. Col. 598 B.
6. Col. 600 CD.

autem hoc anima privatur, at spiritus Viventis plenum est, et post finem prioris vitæ, vita meliori quam dici potest vivit, quandoquidem nec vere mortuum est... Quod si nihil nisi pulvis est quod videtur, mirandum non est; divitiæ enim intus sunt... *Cum autem Christus apparuerit, etiam ipse pulvis sua pulchritudine conspicuus erit, quando ut membrum fulguris illius manifestabitur similisque erit soli, et pari claritate coruscabit...* Panis enim hic, corpus hoc, quod hinc ab hac mensa portantes eo venient, hoc ipsum est quod super nubes tunc omnium oculis conspicietur... Quod enim cuique resurgentium tunc eveniet, ut ossa et partes et membra cum capite ad integritatem corpori servandam conveniant, hoc item salvatori Christo, communi omnium capiti, continget. Etenim hoc caput super nubes adeo corruscans, propria undequaque membra recipiet, Deus in medio deorum, speciosus speciosorum agminis coryphæus [1]. »

Peccatores autem, quanquam Christum per divina mysteria revera recipiunt, eum cum seipsis permanentem non habent nec in ipsum mystice transformantur. Christus quippe, post indignam susceptionem, eos deserit, cum ei adaptari et cohærere propter malas dispositiones non valeant [2].

Demum aliam singularem sententiam de mortuorum communione profert Cabasilas. Docet nempe animas defunctorum quæ ad consummatam beatitudinem nondum perveneruntid est animas nondum plene purgatas, Eucharistiam non solum qua sacrificium, sed etiam qua sacramentum participare, quatenus utriusque, sacrificii scilicet et sacramenti, salutares fructus percipiant. Christus quippe, qui divinorum mysteriorum est minister principalis, animabus illis seipsum directe tradit ac communicat easque sibi copulat, et quidem faciliori ac perfectiori modo quam ipsis viventibus, cum hujusmodi animæ amplius peccare non

1. Col. 622-624. Cf. col. 649.

2. Col. 594 A : « Ὅθεν ἁμαρτάνουσιν ἀνάρμοστός ἐστι καὶ ἀκόλλητος. » Cf. M. Glykam, *loc. cit.*, p. 370-371, qui docet indignos vere quidem corpus Christi recipere; post communionem vero eos tradi Satanæ, ut de Juda narrat Evangelium.

possint, et ad participationem mysteriorum eo ipso evadant aptiores quod sint corpore expeditæ [1].

ARTICULUS VII

De modo sumptionis sacramenti. — De communione sub una specie.

Modus quo Eucharistiæ sacramentum fidelibus ministratur non solum in Ecclesiis Occidentis, sed etiam in Ecclesiis Orientis temporum decursu variavit. Usque ad IX vel X

1. Col. 462-463 : « Οὕτω καὶ ὑπὲρ τῶν ἀπελθόντων, ὥσπερ ὑπὲρ τῶν ζώντων ἐστὶν ἡ θεία τῆς εὐχαριστίας ἱερουργία, καὶ διττῶς ἁγιαζομένων ἐκείνων, ὡς εἴρηται (col. 457 B), διττῶς καὶ αὐτοὶ ἁγίαζονται, καὶ οὐδετέρως ἔλαττον ἔχουσι τῶν ζώντων οἱ μεταστάντες, ἀλλ'ἔστιν ὅπως καὶ μεῖζον. » Quid de tota hac Cabasilæ doctrina sentiendum sit, lectoris judicio relinquimus. Animadvertere satis sit quosdam auctores catholicos de unione physica et permanenti totius Christi cum anima et corpore communicantis quædam Cabasilæ dictis aliquatenus similia protulisse. Ita, v. g., Thomassinus, *Dogmata theologica; De incarnatione Verbi*, l. X, c. XXI sq., qui docet « non charitatis duntaxat nexu, sed physico et substantiali vinculo nos per Eucharistiam in corpus Christi constringi et incarnationi immisceri », hanque doctrinam in Patrum græcorum scriptis invenit. Cf. etiam longam dissertationem P. Francisci de Vouillé, *Notes théologiques sur l'union de l'homme à Jésus-Christ*, in commentario *Études franciscaines*, t. IX-XII (1903-1904), qui de eadem unione physica et permanenti Christi cum corpore et anima nostra fuse disserit, auctoresque haud paucos pro hac sententia laudat : « Nous savons que quelques théologiens, hommes de doctrine et de piété, croient pouvoir expliquer plus amplement et plus dignement ces paroles du Sauveur : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in eo*, en disant que, sans doute, les espèces étant consommées, la présence sacramentelle de l'humanité de Jésus-Christ cesse aussi, mais sans que, pour cela, Jésus-Christ avec son humanité nous abandonne. A la présence sacramentelle, succéderait une présence spirituelle de l'humanité de Jésus-Christ indépendante des espèces, et qui serait la suite de la venue sacramentelle du Christ dans l'homme... Nous confessons que cette opinion nous sourirait beaucoup, qu'elle réaliserait bien pleinement, bien amoureusement l'union perpétuelle et vitale du chrétien avec Jésus-Christ. Que n'est-elle plus reçue et plus appuyée? » Forsan auctor ad Patrum græcorum et sancti Joannis Damasceni doctrinam non satis attendit. Revera hi Patres de speciebus eucharisticis non curabant, quippe qui in Eucharistia solum Christum videbant.

sæculum, in Ecclesia græca utraque species separatim tra debatur; postea invaluit *intinctionis* usus, qui hodieque in Ecclesia græco-russica perseverat. Neque rari erant in antiqua Ecclesia casus, in quibus una tantum species sumebatur. V.g., qui domi seipsos communicandi licentiam habebant, solam panis speciem communiter asportabant. Item moribundis solam panis speciem, parvulis vini solam distribuere consueverant. In missa vero præsanctificatorum, apud Byzantinos, per multum tempus, saltem in quibusdam Ecclesiis, tum sacerdotes tum laici solam panis speciem *revera consecratam* participabant, quamvis, ut supra diximus, vinum adhibitum per hostiæ contactum consecrari quidam falso opinarentur; immo vero in ritu hodierno missæ hujusmodi, quo hostia præsanctificata Christi sanguine cochlearis ope prius intincta sumitur, modus communionis in ultima Cœna a Christo et apostolis servatus non amplius apparet; non enim sanguinem Christi sub specie vini bibere dicendi sunt, qui hostiam consecratam, sanguine prius superficietenus vix aspersam et jamdiu prorsus siccatam, in vino non consecrato sumunt. Ex his concludere licet Ecclesiam nunquam putasse modum communionis a Christo in ultima Cœna observatum, ita ab ipso *omnibus fuisse* præscriptum, quasi in perpetuum sine ulla mutatione esset retinendum; aut communionem sub utraque specie omnibus fidelibus vel de necessitate salutis esse, vel saltem præcepto divino imponi; aut demum communionem sub una tantum specie sumenti non præbere rem et fructus sacramenti salutares. Unde concilium Tridentinum contra Calixtinos et Protestantes utraquistas definivit: 1° communionem sub utraque specie omnibus et singulis fidelibus non esse de necessitate salutis, nec iisdem a Deo præcipi; 2° Ecclesiam catholicam non errasse dum sua auctoritate usum in ritu latino sancivit vini speciem non præbendi laicis vel clericis sacrificium non celebrantibus, sed justis causis et rationibus ad hoc adductam fuisse; 3° totum et integrum Christum, omnium gratiarum fontem et auctorem, sub una panis specie revera sumi (sess. XXI, can. 1-3).

Mirum est Græco-Russos, qui ipsi a multis jam sæculis modum communionis primitivum dereliquerunt et intinctionis praxim amplexi sunt, immo qui etiam nunc solam

panis vel vini speciem quandoque ministrant [1], huic doctrinæ vehementer reclamare non quidem quantum ad ultimum caput, quod nobiscum revera credunt; sed quantum ad primum et secundum. Omnes enim uno ore docent adesse Christi grave præceptum pro omnibus, quum sacerdotibus sacrificium celebrantibus tum aliis laicis ac clericis sub utraque specie communicandi, secluso tamen casu necessitatis, qui revera pro parvulis et quandoque pro moribundis existit. Inde Ecclesiam catholicam acriter increpant quod hoc divinum præceptum transgressa fuerit, congestisque argumentis a Calixtinis vel Protestantibus occidentalibus plerumque mutuatis, ostendere nituntur futiles ac nullius ponderis esse rationes, quibus usum latinum tueri nostri consueverunt.

Ut hujus capitis initio diximus, jam sæculo XIV Angelus Panaretus inter Latinorum ἀποπήματα recenset usum communicandi fideles sub sola specie panis; in quo detegit et præcepti dominici violationem et unionis fraternæ læsionem, quatenus hoc pacto clerus super populum fidelem se extollat eumque decipere ac fraudare intendat [2]. Sæculo vero XV, anno scilicet 1451-1452, Urbis casu jam imminente, unionis propositum cum Calixtinis Pragensibus delineabatur, quod ad plenum effectum perducere eventibus prohibiti sunt [3]. Sæculo XVI, Meletius Pigas, in quadam epistola ad Gabrielem Severum, usum Latinorum acriter carpit dicitque eos sacramenti substantiam destruere, solumque dimidiatum sacramentum fidelibus præbere [4]. Sæculo XVII, *Confessio orthodoxa* Petri Moghilæ communionem sub utraque specie, tam pro laicis quam pro clericis, ex Domini apostolorumque præcepto obligatoriam esse decernit [5].

1. Infantibus datur sola vini species; moribundis vero pars hostiæ sacro sanguine intinctæ, et feria quinta Majoris Hebdomadæ prorsus desiccatæ.

2. *Op. cit.*, p. 80 : « Δῆλον οὖν ὡς τοὺς μὲν λαϊκοὺς καὶ ἰδιώτας βούλονται ἀπατᾶν, ἑαυτοὺς ἱερεῖς ὠφελεῖν. »

3. Cf. supra, p. 178.

4. Apud Renaudot, *Gennadii homiliæ, Meletii... et aliorum opuscula de sacramento Eucharistiæ*, Parisiis, 1709, p. 117-149; cf. præsertim, p. 126-144.

5. I p., q. CVII, Kimmel, t. I, p. 181-182.

Sequenti sæculo, Eustratius Argentis, in tertia parte sui operis Κατὰ ἀζύμων, totam hanc quæstionem polemico calamo tractat, Latinorum argumenta ordine cribrat eosque diris insectatur verbis [1]. Ut autem distinctioni ab eis factæ inter sacrificium et sacramentum quoad utriusque speciei necessitatem omnem vim auferat, contendit apostolos in ultima Cœna meros fuisse laicos; quippe qui nonnisi Pentecostes die per Spiritum Sancti descensum sacerdotio decorati fuerint [2]. Nostris vero diebus plerique compendiorum vel catechismorum auctores in hac criminatione insistunt, Eustratii Argentis vehemens stylum necnon argumenta haud raro usurpantes [3].

ARTICULUS VIII

De veritate sacrificii missæ.

Prænotamina.

Eucharistiam esse verum atque proprie dictum Novi Testamenti sacrificium a Christo in ultima Cœna institutum mystice repræsentans ac renovans sacrificium crucis, communis est ac luculenta antiquorum Patrum græcorum doctrina. Certam quidem atque scholastice expolitam sacrificii in genere definitionem non tradiderunt; sacrificium tamen non in mera oblatione alicujus rei Deo facta consistere, verum etiam hujusmodi rei aliquam immolationem seu destructionem importare haud obscure innuunt. Unde communiter dicunt Christum in ultima Cœna Deo Patri seipsum non solum obtulisse, sed etiam immolasse atque mystice mactasse. Ita, v. g., Gregorius Nyssenus [4], Cyrillus

1. *Op. cit.*, p. 304-343. Latini vocantur σατανοφόροι, αἱρετικοί, ἱερόσυλοι, παράνομοι, p. 310, 315.

2. *Ibid.*, p. 331.

3. Cf. Phil. Gumilevskii, *op. cit.*, p. 171-175; Macarium, p. 408-412; Malinovskii, p. 388-390; Mesoloram, p. 377-383; Dyovuniotam, Τὰ μυστήρια, p. 113-114.

4. *In Christi resurrectionem hom.*, I, *P. G.*, t. XLVI, col. 612 CD : « Κατὰ τὸν ἄρρητον τῆς ἱερουργίας τρόπον καὶ τοῖς ἀνθρώποις ἀόρατον, καὶ ἑαυτὸν προσήνεγκε προσφορὰν καὶ θυσίαν ὑπὲρ ἡμῶν... Ὅτε παρέσχε

Alexandrinus [1], Hesychius Hierosolymitanus [2], Eutychius Constantinopolitanus [3].

Eamdem suiipsius oblationem ac mysticam mactationem Christum invisibiliter per sacerdotum visibile ministerium in missæ sacrificio invisibiliter nunc renovare dicunt. Christus enim, secundum illorum doctrinam, hujus sacrificii primus ac principalis pontifex manet, ita ut non solum *vritualiter*, sed etiam *actualiter* in qualibet missa seipsum rursus offerat atque mystice immolet. Hanc Christi *actualem* participationem in missæ sacrificio ab Ecclesia militante oblato præsertim effert ac illustrat sanctus Joannes Chrysostomus [4]: hanc diserte exprimit liturgia byzantina sancti

τοῖς μαθηταῖς ἐμφαγεῖν τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος ἐμπιεῖν, ἤδη κατὰ τὸ θελητόν, τῇ ἐξουσίᾳ τοῦ τὸ μυστήριον οἰκονομοῦντος, ἀρρήτως τε καὶ ἀοράτως τὸ σῶμα ἐτέθυτο. »

1. *In mysticam cœnam, P. G.*, t. LXXVII, col. 1017 A : « Ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ σφαγιάζεται... Ὁ Υἱὸς ἑκουσίως ἱερουργεῖται οὐχ ὑπὸ τῶν θεομάχων σήμερον, ἀλλ' ὑφ' ἑαυτοῦ. »

2. *In Levit.*, l. I, c. IV, *P. G.*, t. XCIII, col. 821-822 : « Præveniens semetipsum in cœna apostolorum immolavit... Hunc sacerdotem Septuaginta non solum unctum sed et consummatum manibus appellarunt; consummatus est enim manibus prius in mystica Cœna, accipiens panem et frangens; deinde per crucem quando affixus est. » Cf. *Fragmentum in Ps.*, CIX, 2, *ibid.*, col. 1324 : « Ἐν Σιὼν (in cœnaculo scilicet) « ἑαυτὸν ὁ Μονογενὴς ἔθυσεν ».

3. *De paschate*, 2, *P. G.*, t. LXXXVI *b*, col. 2393 B : « μυστικῶς οὖν ἑαυτὸν ἔθυσεν... ἐμμίξας ἑαυτὸν τῷ ἀντιτύπῳ. »

4. Cf. *Hom. I in proditionem Judæ*, 6, *P. G.*, t. XLIX, col. 380 : « Πάρεστιν ὁ Χριστὸς, καὶ νῦν ἐκεῖνος ὁ τὴν τράπεζαν διακοσμήσας ἐκείνην, οὗτος καὶ ταύτην διακοσμεῖ νῦν. Οὐδὲ γὰρ ἄνθρωπός ἐστιν ὁ ποιῶν τὰ προκείμενα γενέσθαι σῶμα καὶ αἷμα Χριστοῦ, ἀλλ' αὐτὸς ὁ σταυρωθεὶς ὑπὲρ ἡμῶν Χριστός. » — *In Hebr.* hom. XVII, 4, *ibid.*, t. LXIII, col. 131 : Ὁ ἀρχιερεὺς ἡμῶν ἐκεῖνός ἐστιν ὁ τὴν θυσίαν τὴν καθαίρουσαν ἡμᾶς προσενεγκών. » — *Homil. de Melchisedech*, 3, *ibid.*, t. LVI, col. 262, ubi de Christo secundum ordinem Melchisedech sacerdote dicit : « ἄρτῳ καὶ οἴνῳ τὴν τῶν προσκομιζόντων προσφορὰν εἰς τὸ δηνεκὲς προσάγων. » Theodoretus ab hac Chrysostomi doctrina recedere videtur ubi scribit : *In Psal.*, CIX, 4, *P. G.*, t. LXXX, col. 1773 A: « Ἱερατεύει δὲ νῦν... Χριστός, οὐκ αὐτός τι προσφέρων, ἀλλὰ τῶν προσφερόντων κεφαλὴ χρηματίζων. Σῶμα γὰρ αὐτοῦ τὴν Ἐκκλησίαν καλεῖ, καὶ διὰ ταύτης ἱερατεύει ὡς ἄνθρωπος, δέχεται δὲ τὰ προσφερόμενα ὡς Θεός. » Dubitandi tamen manet locus utrum Theodoretus de mera oblatione panis et vini ante consecrationem loquatur, vel etiam post consecrationem, cum transsubstantiationem negare videatur.

Basilii his verbis : « Σὺ εἶ ὁ προσφέρων καὶ προσφερόμενος, καὶ ἁγιάζων καὶ ἁγιαζόμενος [1]. » Adest tamen aliqua differentia, quantum ad victimæ qualitatem, inter sacrificium ultimæ Cœnæ et missam ab Ecclesia nunc visibiliter oblatam : in cœnaculo siquidem corpus Christi nondum erat gloria donatum, sed passibile ac mortale; in missa vero ejus caro omnimoda incorruptibilitate ac perpetua immortalitate gaudet; quam differentiam quidam Patres expresse notant [2].

Patres græci item sanctam liturgiam tanquam passionis dominicæ tum piam commemorationem, tum mysticam reproductionem ac repræsentationem habent, docentes utrumque sacrificium, et crucis et altaris, unum et idem Novi Testamenti sacrificium constituere, quatenus scilicet in utroque et victima eadem et idem princeps sacerdos deprehenditur. Hoc tamen caput non pari explicatione omnes patefaciunt, sed alii alium integræ veritatis aspectum considerant ac in luce ponunt [3]. Cæterum, ut antiquæ Ecclesiæ orientalis fides de missæ sacrificio plene splendeat hujusque accuratior assequatur notitia, monumenta liturgica adeunda ritusque sacri inspiciendi; in quibus relatio missæ ad sacrificium crucis vivide et quasi sensibiliter repræsentatur, ut, v. g., fractio hostiæ, ritus τῆς προθέσεως necnon τοῦ ζέοντος in liturgia byzantina.

1. Cf. supra, p. 268, n. 1.

2. Cf. Eutychium, *De paschate, loc. cit.*, col. 2393-2396 : « Τὸ ἄφθαρτον μετὰ τὴν μυστικὴν ἱερουργίαν καὶ ἁγίαν ἀνάστασιν καὶ ἀθάνατον καὶ ζωοποιὸν σῶμα καὶ αἷμα τοῦ Κυρίου τοῖς ἀντιτύποις ἐντιθέμενον διὰ τῶν ἱερουργιῶν. »

3. Ita Eusebius Cæsariensis missam vocat *memoriam* sacrificii crucis : « μνήμην καὶ ἡμῖν παραδοὺς ἀντὶ θυσίας τῷ Θεῷ διηνεκῶς προσφέρειν... Τούτου δῆτα τοῦ θύματος τὴν μνήμην ἐπὶ τραπέζης ἐκτελεῖν ... παρειληφότες. » *Dem. evang.*, l. I, c. x, *P. G.*, t. XXII, col. 89 B, 92 B. Gregorius Nazianzenus vero, *Orat.* II, *apol.*, 95; *P. G.*, t. XXXV, col. 497 B, sacrificium altaris ut *antitypum* habet sacrificii crucis, θυσίαν, τὴν τῶν μεγάλων μυστηρίων ἀντίτυπον, id est imaginem typo respondentem. De mutuo habitu ac relatione utriusque sacrificii necnon de eorum substantiali identitate præclare disserit Chrysostomus in *Hom.* XVII, 4, *in epist. ad Hebr.*, *P. G.*, t. LXII, col. 131 : « Τὴν αὐτὴν θυσίαν ἀεὶ ποιοῦμεν· μᾶλλον δὲ ἀνάμνησιν ἐργαζόμεθα θυσίας. » Cf. etiam Theodoretum, *In Hebr.*, IX, *P. G.*, t. LXXXII, col. 736 B : « οὐκ ἄλλην τινα θυσίαν προσφέρομεν, ἀλλὰ τῆς μιᾶς ἐκείνης καὶ σωτηρίου τὴν μνήμην ἐπιτελοῦμεν. »

Totam hanc doctrinam ab antiquis Patribus traditam intemeratam servaverunt Byzantini posteriores retinentque Græco-Russi moderni, quin illam novis speculationibus notabiliter ditarint vel magnopere ampliarint. Ritus tamen liturgicos doctis commentationibus quidam explanarunt, ut ostenderent sacram liturgiam esse quandam totius *œconomiæ* seu mysterii salutis recapitulationem et quasi repræsentationem. Præterea, sæculo XII, duæ de missæ sacrificio controversiæ Byzantii subortæ sunt, ex quibus tum sacrificii veritas, tum modus immolationis aliquatenus illustrantur; de quibus in hoc articulo nobis nunc pauca dicenda.

I. — Conceptus generalis sacrificii missæ juxta Byzantinos.

Ante omnia quidem missa passionem et mortem Christi commemorat. Hoc docent græci Patres; hoc retinent Byzantini; hoc liturgia byzantina quum verbis tum ritibus gestibusque variis passim significat. Jam Patrum ævo, circa finem scilicet sæculi VII vel initium sæculi VIII, sacræ liturgiæ præmittitur ritus τῆς προθέσεως seu præparatio donorum, qua sensibiliter repræsentantur Christi passio ac mors in cruce [1]. Verum hæc passionis memoria sacrificiique crucis mystica renovatio totam sacræ liturgiæ rationem non exhaurit. Primum quidem in omnibus fere liturgiis orientalibus resurrectionis commemoratio cum passionis memoria conjungitur in fine formulæ primæ consecrationis : In ore Christi hæc verba ponuntur : « Quotiescumque manducatis panem hunc et calicem bibitis, meam mortem annuntiatis, *meam resurrectionem confitemini :* τὸν ἐμὸν θάνατον καταγγέλλετε, τὴν ἐμὴν ἀνάστασιν ὁμολογεῖτε,. » Et hoc, ut videtur, de industria factum est, ut declaretur sacram altaris victimam in statu gloriæ jam consistere et nonnisi symbolice ac mystice immolari posse. Ritus mixtionis utriusque speciei

1. Cf. Goar, *op. cit.*, p. 48-51; S. Pétridès, *La préparation des oblats dans le rite grec*, in *Échos d'Orient*, t. III (1900), p. 65-78. Hic ritus, ut videtur, jam tempore sancti Germani Constantinopolitani vigebat. Cf. Nilo Borgia, *Il commentario liturgico di S. Germano patriarca Constantinopolitano e la versione latina di Anastasio Bibliotecario*, Grottaferrata, 1912, p. 1-43 (Excerptum e commentario *Roma e l'Oriente*, t. I).

item resurrectionem significare videtur, sicut fractio hostiæ crucifixionem ostendit [1]. In liturgia coptica sancti Basilii, resurrectio expresse dicitur sacrificii mystici complementum [2].

Byzantini doctores ulterius progrediuntur docentque in sacra liturgia non solum Christi passionem ac resurrectionem, verum etiam omnia alia ejus mysteria pro nostra salute completa ab ejus conceptione ac nativitate usque ad gloriosam ascensionem sessionemque ad Patris dexteram, immo ipsum ejusdem gloriosum in fine sæculi adventum commemorari, suumque faciunt sancti Theodori Studitæ effatum : « Sacra liturgia est totius œconomiæ recapitulatio, συγκεφαλαίωσις τῆς ὅλης οἰκονομίας τόδε τὸ μυστήριον [3]. » Initio suæ *Commentationis liturgicæ* hæc præmittit Theodorus Andidensis :

« Multi qui sacerdotii munere dignati sunt, sciunt equidem et confitentur ea quæ in divina liturgia peraguntur figuram esse Salvatoris passionis, sepulturæ ac resurrectionis; quod autem ejusdem quoque salutaris adventus et incarnationis præ se ferant indicia consequentia ab initio ejus conceptionis et nativitatis, actæque per triginta annos vitæ necnon et ipsius Præcursoris et Christi in baptismate manifestationis; præterea et electionis apostolorum et triennalis patratorum miraculorum temporis... id, inquam, haud scio cur isti ignorare videantur. Atqui ne corpus quidem illud appellabitur quod caput tantummodo habens, pedibus ac manibus aliisque membris careat... Si ergo res humanæ ita connectuntur, ut sint plane inter se copulatæ atque involutæ, quis ea quæ divinus Spiritus figurat atque repræsentat tam imperfectam imaginem habere dicat? Ergo ne hujus quidem vivifici corporis per omnia similis imago manca ullatenus comperietur atque ullo membro destituetur [4]. »

1. « Ἡ κλάσις τοῦ ἄρτου τοῦ τιμίου τὴν σφαγὴν δηλοῖ. » Eutychius, *Sermo de paschate, loc. cit.*, col. 2396 A.

2. « Confitemur passionem ejus salutarem, mortem ejus annunciamus, credimusque ejus resurrectionem, mysterii complementum. » Renaudot, *Liturgiorum orientalium collectio*, ed. Francf., 1847, t. I, p. 21.

3. *Antirrhet. I adversus Iconomachos*, *P. G.*, t. XCIX, col. 340 C.

4. Προθεωρία κεφαλαιώδης, 1; *P. G.*, t. CXL, col. 417-420. Ad hanc

Eadem fere habet N. Cabasilas in *Expositione liturgiæ*, c. 1 : « Omnibus quæ a sacerdote per totam sacri celebrationem fiunt, Salvatoris oeconomia significatur; cujus præcipua præcipuis sacrificii, secunda secundis, postrema ultimis declarantur; et conspicientibus omnia ob oculos habere licet. Donorum enim sanctificatio, ipsum scilicet sacrificium, mortem ejus annuntiat necnon resurrectionem et ascensionem, quoniam pretiosa hæc dona in ipsum transmutat Domini corpus, quod hæc omnia suscepit, quod crucifixum est, resurrexit, in cælum ascendit. Quæ autem ante sacrificium aguntur, quæ mortem præcesserunt, adventum scilicet, ostensionem, perfectamque manifestationem ostendunt; quæ autem post sacrificium, Patris promissionem, ut ipse dicit, Sancti Spiritus in apostolos descensum, gentium ad Deum per ipsorum ministerium conversionem et communionem. Et est universa mystagogia quasi quædam imago unius corporis, conversationis Salvatoris scilicet, omnes illius partes ab initio usque ad finem per ordinem et congruam dispositionem sub aspectum deducens [1]. »

Non solum ritus et verba, verum etiam res et instrumenta in celebratione sacrificii adhibita eumdem ingerunt conceptum juxta liturgiæ interpretes; quibus præclare in hac parte præiverat sanctus Germanus in sua Ἱστορία ἐκκλησιαστικὴ καὶ μυστικὴ θεωρία, quæ multas postea passa est interpolationes :

mysticam sacræ liturgiæ significationem inculcandam conferunt etiam, ait Theodorus, *ibid.*, 2, col. 420-422, imagines sacræ in *iconostasio* depictæ.

1. *P. G.*, t. CL, col. 369-372 : « Καὶ ἔστιν ἡ πᾶσα μυσταγωγία καθάπερ τις εἰκὼν μία ἑνὸς σώματος, τῆς τοῦ Σωτῆρος πολιτείας, πάντα αὐτῆς τὰ μέρη, ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους, κατὰ τὴν πρὸς ἄλληλα τάξιν καὶ ἁρμονίαν ὑπ' ὄψιν ἄγουσα. » Non solum apud Byzantinos, sed etiam apud alios Orientales eadem missæ notio occurrit. En, v. g., quæ in liturgia syriaca leguntur : « Memoriam Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi totiusque ejus dispensationis salutiferæ pro nobis agimus. Ecce enim annuntiationis ejus per archangelum vigilem, nativitatis ejus in carne, baptismi ejus in Jordane, passionis ejus salutaris, elevationis ejus in cruce, mortis ejus vivificæ, sepulturæ ejus gloriosæ, resurrectionis præclaræ, ascensionis in cælum sessionisque ejus ad dexteram Dei Patris, juxta divinum ejus ad nos præceptum, commemorationem nunc celebramus super Eucharistiam istam, quæ coram nobis proposita est. » Renaudot, *op. cit.*, t. II, p. 16.

« Concha, inquit, est in similitudinem speluncæ quæ fuit in Bethleem, in qua natus est Christus, et in similitudinem speluncæ in qua sepultus est... Sacra mensa est ubi in sepultura sua positus est Christus, in qua superjacet verus et cælestis panis Christus, mystico et incruento sacrificio vivens hostia factus ut homo... Ciborium est pro Calvariæ monte, ubi crucifixus est Christus... Sanctuarium (Βῆμα) est concavus locus et thronus, in quo rex omnium Christus præsidet cum apostolis suis... Subostendit autem et secundum adventum, in quo veniet in sede majestatis sessurus [1] », etc.

Hanc de missa speculationem Ævo Moderno invenire est in quibusdam catechismis necnon in sacræ liturgiæ commentationibus ad eruditionem populi concinnatis, inter quas vulgatiores sunt : ' Η θεία λειτουργία Joannis Nathanaelis [2], Nicolai Bulgaris 'Η ἱερὰ κατήχησις, et Theophili Papaphili Ταμεῖον ὀρθοδοξίας. Apud Russos, *Catechismus Philareti* conceptum Byzantinorum diserte ac breviter exprimit in hunc modum :

« *Quæstio :* Quonam modo divinæ liturgiæ interesse debent qui simpliciter assistunt, quin communicent?

« *Responsio :* Possunt et debent missæ participes fieri per orationem, fidem ac potissimum per Domini nostri Jesu Christi persistentem recordationem; quippe qui in sui memoriam hoc facere præcepit. — Quidnam in memoriam revocare decet, quando fit processio ad Evangelium (= Parvus Introitus)? — Ad Jesum Christum Evangelii prædicationem ineuntem animus referendus est. Unde, dum legitur evangelium, ita attente ac devote nos habere decet quasi ipsum Christum videremus atque audiremus. — Ad quodnam animum attendere convenit, quando dona solemni processione ad altare deferuntur (= Magnus Introitus)? — Cogitatio referenda est in Jesum Christum ad suam commo-

1. Nilus Borgia, *op. cit.*, p. 10, 11, 13. Cf. S. Pétridès, *Traités liturgiques de saint Maxime et de saint Germain, traduits par Anastase le Bibliothécaire*, in *Revue de l'Orient chrétien*, t. x (1905), p. 289-313, 350-364.

2. 'Η θεία λειτουργία μετὰ ἐξηγήσεων διαφόφων διδασκάλων, Venetiis, 1574 : opus slavice versum et a patriarcha Mosquensi Nicone anno 1656 editum una cum aliis, sub, titulo *Scrigeal.*

ventem passionem ita procedentem tanquam victimam ad immolationem; recordandum insuper plus quam duodecim legiones angelorum hic adesse, ut illum velut suum tsarum custodiant ac defendant. *Imperator imperatorum et Dominus dominantium progreditur immolandus*, habet troparius quidam in missa Sabbati Sancti occurrens. — Quid mente revolvendum, eo momento quo mysterium completur, et quando ministri sacri ad altare communicant? — Cœna Christi mystica cum apostolis acta, ejusque passio, mors ac sepultura animo revocanda. — Quid posthæc figurant veli sanctuarii amotio, regalium portarum apertio et sanctorum donorum apparitio? — Ipsius Christi Jesu apparitionem post ejus resurrectionem. — Quid significat ultima sanctorum donorum ostensio ad populum, qua facta, ipsa reconduntur? — Ascensionem Jesu Christi in cælum. »

Ab hujusmodi liturgica notione ac dramatica explanatione sacræ liturgiæ communiter abstinent moderni compendiorum auctores, qui de sacrificio missæ pauca ac jejune tantum habent, ab enchiridiis latinis plerumque mutuata.

II. — Controversia de veritate sacrificii missæ contra Soterichum Panteugenum.

Anno 1155 finiente, vel ineunte anno 1156, diaconus quidam Constantinopolitanus, Soterichus Panteugenus nuncupatus, qui ad sedem patriarchalem Antiochenam nuper electus fuerat, quamdam de sacrificio crucis controversiam excitavit, contendens Verbum incarnatum hoc sacrificium non sibi ipsi, sed Patri et Spiritui Sancto tantum, vel etiam, ut postea dixit, soli Patri obtulisse. Si Verbum incarnatum, aiebat, sibi ipsi obtulit sacrificium, fuit simul offerens et accipiens. Hoc autem inducit dualismum hypostaticum, qui est ipsissimus error Nestorii; persona enim offerentis a persona accipientis diversa concipitur. Si autem dicas naturam humanam vices offerentis gessisse, naturam vero divinam vices accipientis, respondeo aliquam naturam haud facile concipi posse quin aliqua personalitate vestiatur. Unde si doceas Verbum sacrificium simul obtulisse et accepisse, ad nestorianismum sensim deflectere periclitaberis. Ita Soterichus in quodam brevi dialogo, quem Nicetas Acomi-

natus suo *Thesauro orthodoxiæ* inseruit [1]. Plerique theologi byzantini, paucis exceptis, inter quos recensentur Eustathius, Dyrrachii metropolita, Basilakis prædicator, Machael quidam e Thessalonica oriundus, huic doctrinæ reclamaverunt, docentes sacrificium crucis toti Trinitati fuisse oblatum; quod ut probarent, ad verba liturgiæ basilianæ provocabant : Σὺ εἶ ὁ προσφέρων καὶ προσφερόμενος καὶ προσδεχόμενος, et hoc pacto de sacrificio crucis ad sacrificium missæ controversia declinavit.

Soterichus ergo adversariorum argumento ita respondit : « In sacra liturgia, Christus est προσφέρων, quatenus Deo offert eos homines, quos ipse suis meritis redemit ac salvat; seipsum vero nunc non offert; hoc enim fecit semel in cruce, ut ait Apostolus. Est autem ὁ προσφερόμενος, quatenus in missa a sacerdotibus Ecclesiæ offertur; quam oblationem ipse ut Deus suscipit, et ita est ὁ προσδεχόμενος. » In hoc autem idem insistebat, scilicet quod in sacra liturgia Christus non *revera* immoletur, sed tantum modo *phantastice* seu potius *figurative* ac *symbolice*, quatenus ejus passio, quæ jam præterivit, tanquam præsens ritibus sacris describitur ac imaginatur, panegyricarum orationum more, quibus dicimus Christum nunc nasci vel baptizari [2].

Porro hæc prioribus graviora visa sunt, ita ut jam die 26 januarii anni 1156, nova Soterichi doctrina a synodo permanenti (σύνοδος ἐνδημοῦσα) Constantinopolitana in domo patriarchali congregata, et examinata fuerit, et tum antiquorum Patrum tum recentiorum theologorum [3] locis confutata ac in fine damnata. Lis vero non tam facile sedata fuit. Soterichus enim et quidam ejus discipuli auctoritates a synodo allatas subtilibus ratiunculis infirmare tentabant, quæstionemque, quasi adhuc intacta fuisset, agitare pergebant; atque eo usque devenerunt, ut sacrificium crucis Deo Patri soli, excluso non solum Verbo, sed etiam Spiritu

1. L. XXIII, *P. G.*, t. CXL, col. 140-148, et etiam apud Mai, *Spicilegium romanum*, Romæ, 1844, t. X, p. 3-15.

2. *P. G.*, t. cit., col. 148 AB : « Ὡς ἐνεστῶτα γὰρ τὰ πάλαι γεγενημένα καινίζει. ἢ μᾶλλον εἰπεῖν εἰκονικῶς, ἡ ἀνάμνησις, ἣν ποιεῖν ἡμᾶς ἐπέταξεν ὁ Σωτήρ. »

3. Inter hos theologos veniunt Photius, Leo Achridanus, Eustratius Nicænus.

Sancto, a Christo fuisse oblatum palam autumarent. Unde nova synodus, die 12 maii 1158, in Blakhernarum palatio adunata est; cui præfuit ipse imperator, Manuel Comnenus (1143-1180), theologiæ, ut Justinianus alter, studiosissimus, qui cum Sotericho confligere non dedignatus est. Post certamen, novator synodo morem gessit, huicque fidei formulæ propria manu subscripsit :

« Assentio sacræ sanctæque synodo in hoc quod sacrificium (tam illud quod nunc offertur quam quod olim oblatum fuit) tunc oblatum fuit et nunc offertur ab unigenito Verbo incarnato tanquam unum idemque sacrificium. Et qui minime ita censet, eum anathematizo; et si quid contrarium reperiatur scriptum, id pariter anathematizo [1]. »

His verbis Soterichus duo profitebatur, scilicet : 1° sacrificium altaris a Verbo incarnato offerri, sicut et olim ab eodem sacrificium crucis oblatum fuit; 2° sacrificium altaris idem esse substantialiter ac sacrificium crucis. Ex actis vero utriusque synodi supradictæ quædam aliæ contractæ sunt dogmaticæ propositiones, quæ sub anathematismorum forma *Synodico* Magnæ Ecclesiæ mox insertæ fuere, quas hic transcribere operæ pretium est :

« I. Dicentibus Dominum et Salvatorem nostrum, tempore salutaris suæ passionis, pretiosi sui corporis sanguinisque sacrificium tanquam pontificem in humana pro nobis assumpta natura (quia et sacrificator est et victima, ut magnus ait Gregorius Theologus) obtulisse quidem Deo Patri, non tamen ipsum Unigenitum illud excepisse qua Deum, itemque Spiritum Sanctum; ita ut hac affirmatione excludant ipsum Dei Verbum necnon consubstantialem et congloriosum Spiritum Paracletum a divini honoris æqualitate ac dignitate, anathema.

« II. Iis qui non admittunt peractum quotidie sacrificium ab iis qui a Christo acceperunt potestatem divina mysteria celebrandi, sanctæ Trinitati offerri, contradicentes sanctis divinisque Patribus Basilio et Chrysostomo, quibuscum et

1. *Ibid.*, col. 189 C : « Ὁμοφρονῶ τῇ ἱερᾷ καὶ ἁγίᾳ συνόδῳ ἐπὶ τῷ τὴν θυσίαν, καὶ τὴν νῦν προσαγομένην καὶ τότε προσαχθεῖσαν, παρὰ τοῦ μονογενοῦς καὶ ἀνθρωπήσαντος Λόγου καὶ τότε προσαχθεῖσαν (προσαχθῆναι) καὶ νῦν πάλιν προσάγεσθαι ὡς τὴν αὐτὴν οὖσαν καὶ μίαν. »

reliqui Patres deiferi in suis sermonibus scriptisque consentiunt, anathema.

« III. Iis qui, audito Salvatore de sacrificio divinorum mysteriorum a se tradito dicente : *Hoc facite in meam commemorationem*, haud recte intelligunt vocabulum *commemorationem*, sed asserere non dubitant sacrificium a sacerdotibus quotidie oblatum secundum Salvatoris et Domini universorum præceptum, *phantastice et figurative renovare sacrificium ejus corporis et sanguinis*, a Salvatore in pretiosa cruce ob communem humanæ naturæ redemptionem ac propitiationem oblatum, ideoque diversum esse hoc sacrificium astruunt ab illo quod Salvator noster olim perfecit, ad idemque nonnisi φανταστικῶς καὶ εἰκονικῶς referri; his, tanquam qui evacuant tremendi divinique sacrificii mysterium, per quod futuræ vitæ pignus accipimus, præsertim cum divus Pater et sapientissimus Joannes Chrysostomus perspicue docuerit nullam esse utriusque sacrificii differentiam, unumque et idem affirmaverit in multis dictorum magni Pauli interpretationibus, anathema [1]. »

His sane anathematismis Ecclesia byzantina diserte declarabat missam non esse nudam commemorationem vel mere figurativam renovationem sacrificii crucis, sed verum ac proprie dictum sacrificium, cum sacrificio crucis revera unum, in quo Christus per sacerdotum visibile ministerium seipsum rursus offert ac immolat; indolem vero hujus mysticæ immolationis non planam faciebat. Porro hoc ipsum, id est hujus immolationis modum ac naturam explicare paulo post aggressus est curiosi atque audacis ingenii theologus, Michael Glykas scilicet, qui et Michael Sikidites audit; cujus dicta et scripta novæ controversiæ ansam dederunt, Georgii II Xiphilini patriarchæ tempore (1191-1198).

1. *Ibid.*, col. 176-177. De hac controversia agunt etiam : Nicetas Acominatus, *De Manuele Comneno*, l. VII, 35, *P. G.*, t. CXXXIX, col. 560-564; Allatius, *De perpetua consensione*, etc., l. II, c. XII, 5, col. 690-692; ejusdem *In Roberti Creightoni apparatum*, etc., *exerc.* XXVI, p. 522-538; Cinnamus, *Hist.*, l. IV, c. XVI, *P. G.*, t. CXXXIII, col. 517-521; A. Demetracopulus, Νικολάου ἐπισκόπου Μεθώνης λόγοι δύο κατὰ τῆς αἱρέσεως τῶν λεγόντων τὴν σωτήριον ὑπὲρ ἡμῶν θυσίαν μὴ τῇ τρισυποστάτῳ θεότητι προσαθχῆναι, ἀλλὰ τῷ Πατρὶ μόνῳ, Lipsiæ, 1865; ejusdem Ἐκκλησιαστικὴ βιβλιοθήκη, Lipsiæ, 1866, p. 345 sq.

III. — Controversia de corruptibilitate corporis Christi intra missæ sacrificium.

Inter sua *Capita theologica in difficultates sacræ Scripturæ*, Glykas duo habet de quæstione utrum corpus Christi eucharisticum sit corruptibile, id est passibile ac mortale, an non. In primo capite, quod brevissimum est, nihilque aliud est quam epistola vulgo dicta Joannis Zonaræ [1], dicit quosdam hærere dubios de qualitate corporis Christi quod in communionem fidelibus distribuitur [2], jamque suam miram de proposita quæstione sententiam paucis adumbrat, quam fuse evolvit in c. LXXXIII ad Joannicium monachum misso [3]. Hæc autem sic breviter exprimi potest :

Sacra communio (seu ipse Christus quoad suam humanitatem in sacramento altaris realiter præsens) est simul corruptibilis et incorruptibilis : corruptibilis a consecratione donorum usque ad communionem; incorruptibilis vero statim post communionem, id est statim postquam sacra dona a communicante absorpta sunt. Antequam a sacerdote vel a fidelibus sumatur, corpus Christi est revera passibile et mortale, eodem prorsus modo quo passibile ac mortale erat, quando Eucharistia in ultima Cœna instituta est. In partes revera dividitur; ineffabili modo mortem subit; dentibus communicantium molitur ac laceratur, nec totum sub qualibet parte donorum recipitur, sed ex parte tantum, pro mensura ejus quod accipitur. Quemadmodum autem post mortem in cruce ac depositionem in sepulcro, incorrup-

1. S. Eustratiades, Μιχαὴλ τοῦ Γλυκᾶ εἰς τὰς ἀπορίας τῆς θείας γραφῆς κεφάλαια, Alexandriæ, 1912, t. II, c. LXI, cui titulus : « Ἔτι καὶ τοῦτο ἠπόρηται εἴτε φθαρτή ἐστιν ἡ ἁγία τοῦ Χριστοῦ μετάληψις εἴτε καὶ ἄφθαρτος », p. 133-135. Hoc caput revera est ipsa epistola Joanni Zonaræ falso tributa, quam invenies in *P. G.*, t. LXXVI, col. 1073, n. 5.

2. « Περὶ τῆς φύσεως τῶν ἀχράντων τοῦ Χριστοῦ μυστηρίων οὐ μικρῶς ἀμφιβάλλουσι, ποτὲ μὲν ἄφθαρτον αὐτὴν ἀποκαλοῦντες ὡς ἀθανάτου ζωῆς παρεκτικήν, ποτὲ δὲ φθαρτὴν εἶναι διϊσχυρίζονται, ἐπειδὴ δαπανᾶται τοῖς ὀδοῦσιν ἡμῶν καὶ βιβρώσκεται. » P. 133.

3. *Ibid.*, p. 348-379. Titulus : « Ἀπολογητικὸν ἐκ μέρους πρὸς τὸν μοναχὸν ἐκεῖνον τὸν ἀποκαλέσαντα κακοδόξους ἡμᾶς, ἐπειδὴ λέγομεν ὅτι ὁ τῆς προθέσεως ἄρτος τοιοῦτός ἐστι κατὰ φύσιν, ὁποία ἦν ἡ ἁγία τοῦ Χριστοῦ σὰρξ ἡ ἐπὶ τοῦ μυστικοῦ δείπνου τοῖς μαθηταῖς εἰς βρῶσιν δοθεῖσα. »

tibile, impassibile ac gloriosum mox resurrexit absolutamque corruptionem ((τὴν διαφθορὰν)) evasit, ita etiam intra sacram liturgiam, postquam in stomacho communicantium quasi in sepulcro conditum fuerit, ad vitam statim transit gloriosam, substantiæ animæ ineffabili modo se immiscet eique propriam incorruptibilitatem largitur, illam servans in vitam æternam [1].

Porro hujus stupendæ doctrinæ præsupposita ac fundamenta, ad quæ provocat theologus byzantinus, hæc sunt :

1° Ante omnia, conceptus realisticus transsubstantiationis, de quo supra locuti sumus : In Eucharistia, oculo fidei non perspiciuntur duo, corpus et sanguis Christi scilicet et accidentia panis et vini sine subjecto remanentia, sed unum tantum, Christus scilicet cum sua humanitate et divinitate. Quod videtur, quod tangitur, quod dividitur, quod manducatur et bibitur est ipsum corpus et ipse sanguis Christi *directe* et *immediate*, absque ullo velo vel specie media. Hic conceptus Byzantinis sæculi XII communis erat.

2° Conceptus sacrificii missæ in hoc articulo mox descriptus, secundum quem sacra liturgia apparet quasi repræsentatio mystica ac dramatica totius œconomiæ salutis, seu omnium mysteriorum Christi, ab ejus conceptione et nativitate usque ad mortem, sepulturam, resurrectionem et ascensionem [2].

1. « Ἡ τοῦ Κυρίου σάρξ, εἰ καὶ θανάτῳ περιέπεσεν, εἰ καὶ τάφῳ δοθῆναι ἔφθασεν, ἀλλ'οὐχὶ καὶ διαφθορὰν ὑπέστη κατὰ τὸν εἰπόντα προφήτην· Οὐ δώσεις τὸν ὅσιόν σου ἰδεῖν διαφθοράν· » τῇ γὰρ θεότητι διαφυλαχθεῖσα παντάπασι γέγονεν ἄφθαρτος· οὕτω καὶ ὁ τῆς προθέσεως ἄρτος μετὰ τὸ δαπανηθῆναι τοῖς ὀδοῦσι καὶ τῷ οἰσοφάγῳ καθάπερ τάφῳ παραδοθῆναι, πρὸς ἀφθαρσίαν αὐτίκα χωρεῖ, κατὰ τὸν Δαμασκηνὸν Ἰωάννην, τῇ τῆς ψυχῆς οὐσίᾳ κατατασσόμενος. » Cap. LIX, p. 134 — « Κατὰ τὸν Δαμασκηνὸν Ἰωάννην, ὑψοῦται διὰ τῶν χειρῶν τοῦ ἀρχιερέως ὡς ἐπὶ σταύρου, καὶ κλώμενος διαδίδοται καὶ ἐν ἡμῖν θάπτεται καὶ τελειοῦται κατ' ἐκεῖνον, ὡς εἰπεῖν, ἡ οἰκονομία, εἶθ' οὕτως ἀφθαρτίζεται, καὶ οὐκ ἀφθαρτίζεται μόνον. ἀλλὰ καὶ συναφθαρτίζει παραδόξως ἡμᾶς. » C. LXXXIII, p. 376-377.

2. Hic conceptus liturgicus diserte exprimitur in duobus scriptis apocryphis tempore controversiæ a Glyka commotæ compositis, in quibus excerpta quædam ex scriptis ipsius Glykæ occurrunt, scilicet : 1° *Epistola Petri Mansur ad Zachariam, Doaræ episcopum ;* 2° *Homilia* (mutila) *de immaculato corpore Christi*, a Petro Plantino, Antuerpiæ, anno 1601 primum edita. Hæc duo documenta inter opera sancti Joannis Damasceni a Lequien interpolata sunt. Cf. *P. G.*, t. XCV, col. 401-412.

3° Subtilitas, impalpabilitas ac invisibilitas corporis gloriosi : secundum Michaelem Glykam, cui alii Byzantini haud pauci consentiebant, corpus gloriosum suapte natura ex materia subtili, incorruptibi atque ætherea constat, carnem et ossa non habet, invisibile et impalpabile est [1]. Verum quidem est, aiebat Glykas, huic sententiæ Evangelium contradicere videri; contradictio vero specie tenus est; Christus gloriosus enim imbecillitati humanæ se accommodavit, dum discipulis suis visibilem ac palpabilem se præbuit, dum coram eis manducavit. Hoc totum factum est κατὰ συγκατάβασιν καὶ κατ'οἰκονομίαν [2].

Præterea ad argumenta positiva confugiebat novator. Idem omnino corpus Christi est, inquiebat, quod Christus in ultima Cœna discipulis tradidit, et quod sub specie panis τῆς προθέσεως nunc accipimus. Atqui corpus Christi in ultima Cœna passibile ac mortale erat. Ergo et talis est divinus panis altaris. Si Christus post suam resurrectionem Eucharistiam instituisset, aliquam pro se rationem haberent qui pani τῆς προθέσεως incorruptibilitatem tribuere nituntur. Cum autem hoc ante passionem factum fuerit, perspicue demonstratum est eos errare qui panem altaris omnino incorruptibilem esse contendunt, præsertim cum post resurrectionem ex mortuis nihil tale actum fuerit [3].

Nec pauca Patrum antiquorum testimonia tanquam pro se facientia laudabat, præsertim vero multos sancti Joannis Chrysostomi textus, quibus sanctus doctor de reali Christi immolatione ac mactatione intra missæ sacrificium loqui videtur. Quæ metaphorice vel mystice accipienda sunt, Glykas ad litteram sumebat; qui et in hoc insistebat quod verum sacrificium veram immolationem supponat, et quod

1. Hoc ex professo docet Glykas in c. XCII, t. II, p. 418-435, quod totum est de natura corporum ressuscitatorum; hoc et in c. LXXXIII passim repetit.

2. Eustratiades, *ibid.*, p. 350-353 : « Εἰ καὶ τῷ Θωμᾷ δέδωκε τὴν ἑαυτοῦ πλευρὰν εἰς ψηλάφησιν, ἀλλὰ συγκατάβασις ἦν τὸ γινόμενον, ὡς ὁ χρυσοῦς τὴν γλῶττάν φησι... Κατ'οἰκονομίαν γὰρ ταῦτα συνέβαινε πρὸς τὸ πιστώσασθαι, ὅτι τὸ πεπονθὸς ἀνέστη σῶμα. »

3. *Ibid.*, p. 358: « Εἰ μετὰ τὴν ἐκ νεκρῶν ἔγερσιν ἔλαβεν ἄρτον..... εἶχον ἄν τι λέγειν οἱ τῷ τῆς προθέσεως ἄρτῳ προσάπτειν ἐπιχειροῦντες διόλου τὸ ἄφθαρτον. Ἐπεὶ δὲ πρὸ τοῦ πάθους ταῦτα πάντα γεγόνασιν... δέδεικται προφανῶς, ὅτι κατ'ὀρθὸν οὔμενουν λόγον ἀποφαίνονται. »

in altari secundum Patres Christus vere immoletur. Paulus etiam docet per sacrificium altaris Domini mortem annuntiari. Hæc autem veræ mortis annuntiatio ac commemoratio fieri non potest nisi per carnem et sanguinem quæ corruptioni sint obnoxia. Igitur extra omnem dubitationem est nos carnem mactati manducare, sanguinem immolati bibere, quo et mortem ejus annuntiamus [1].

Huic doctrinæ major pars quidem theologorum contradixerunt; at vero non defuerunt qui ei aperte suffragati sunt, inter quos exstitit ipse Georgius Xiphilinus patriarcha; qui quamdiu vixit, quæstionem a Michaele Glyka motam libere agitari, discuti, propugnari permisit. Ejus vero successor Joannes X Camaterus (1198-1206) thesi novatoris adeo favit, ut incorruptibilitatis tenaces ab imperatore Alexio III, Angelo dicto, (1195-1203) petierint, ut synodum convocaret, ad liti finem imponendam. Constantinopoli revera habita est synodus, cujus acta periere. Dicunt præsentium majorem partem pro incorruptibilitate corporis Christi eucharistici suffragium tulisse; ad quorum sententiam ipse imperator magis propendere visus sit. Verum, cum Glykas ejusque discipuli auctoritatibus patristicis ab adversariis prolatis alios textus ex eodem fonte haustos opponerent, res tandem sub judice remansit. Hoc solum decrevit synodus, ne deinceps quæstio proposita moveretur; cui prohibitioni ne ipse quidem stetit Joannes Camaterus, qui mox in litteris ad gregem pro tempore Quadragesimæ datis de controversia ita locutus est, ut partium studio indulgere merito videretur [2].

Urbis expugnatio a Latinis, quæ anno 1204 accidit, contentioni, ut videtur, finem imposuit. Nec, progrediente

1. *Ibid.*, p. 375-376 : « Πάσης ἀντιλογίας ἐκτός, τὴν σάρκα τοῦ σφαγιασθέντος ἐσθίομεν, τὸ αἷμα τοῦ σφαγιασθέντος πίνομεν· ἐφ' ᾧ καὶ τὸν θάνατον αὐτοῦ καταγγέλλομεν. »

2. Hujus controversiæ historiam texit Nicetas Acominatus in libro XXVII *Thesauri orthodoxiæ*, quem nondum editum S. Eustratiades tomo I operum Glykæ, p. κ-μ', præmisit. Pauca alia documenta ad hanc pertinentia nondum lucem aspexerunt; inter quæ exstat brevis homilia in medio mutila et falso titulo inscripta Neophyti Reclusi in cod. *Par. 1189* fol. 199ª-200 ᵇ. Neophytus in fine propugnatoribus incorruptibilitatis suffragatur, quanquam quæ præcedunt thesi Michaelis Glykæ aperte favent.

tempore, Michaelis Glykæ sententia inter Byzantinos civitatem consequi potuit; quinimo ut vera hæresis postea habita est, præsertim postquam doctrina scholastica de accidentibus eucharisticis in Oriente vulgata est [1]. Cæterum hæc capharnaitica conceptio sacrificii missæ, quam propugnabat novator, non solum Patrum græcorum veræ doctrinæ adversabatur, sed etiam fidelium sensui repugnabat. Fatendum est tamen in antiqua traditione græca quædam inveniri quæ primo aspectu ei faveant [2]. Item ex hac controversia periculum erroris in conceptu realistico transsubstantiationis latens perspicue innotuit. Ægre enim convelluntur Glykæ argumenta, si in Eucharistia nihil aliud videas præter corpus Christi.

ARTICULUS IX

De essentia sacrificii missæ.

De essentia sacrificii missæ quædam apud Patres græcos invenire est, quæ cum sententia docentium hanc essentiam constitui per utriusque specii separatim consideratæ consecrationem satis bene congruunt. Communiter enim dicunt Patres illi sacrificium perfici, consummari, dum recitantur magnæ illæ preces, quæ in liturgiis orientalibus a præfatione

1. Quædam tamen erroris Glykæ vestigia inter Græcos etiam in epocha moderna deprehendere est, ut testatur Athanasius Pariensis, Ἐπιτομὴ τῶν θείων δογμάτων, p. 369-376.

2. Alludimus non solum ad quosdam loquendi modos in scriptis Patrum occurrentes (qui, si ad litteram sumantur, realismum capharnaiticum redoleant), sed etiam ad illas miraculosas apparitiones quibus Christus in Eucharistia præsens depingitur ut membratim dissectus et sub hac specie communicantibus a sacerdote distributus. Cf., v. g., narrationem de sancto Arsenio monachum incredulum convertente, *P. L.*, t. LXXIII, col. 978 sq.; narrationem de quodam Judæo sancto Basilio sacrum facienti assistente, quam refert ipse Glykas, *loc. cit.*, p. 376; item quæ Anastasius Sinaita habet in c. XXIII *Hodegi*, *P. G.*, t. LXXXIX, col. 291-298, ubi supponere videtur corpus Christi in Eucharistia esse corruptibile. Cf. etiam auctores *Perpetuitatis fidei de Eucharistia, ed. cit.*, t. I, col. 711-725; t. IV, col. 523-526; 565-593; 611-642; 677-696.

usque ad epiclesim Spiritus Sancti inclusive occurrunt [1]. Quidam, ut Gregorius Nazianzenus [2], de gladio verbi loquuntur quo corpus et sanguis Christi ab invicem incruenta sectione dividuntur; quæ ad verba consecrationis clare referuntur. Alii, ut Hesychius [3], pronuntiant mysticum sacrificium sanctificari eo momento quo panis et vinum in corpus et sanguinem Christi transmutantur.

Huic Patrum doctrinæ stant liturgiæ interpretes posteriores. In textu interpolato commentationis sub nomine sancti Germani vulgatæ, immolationi mere symbolicæ, quæ a sacerdote initio liturgiæ fit in altari τῆς προθέσεως, opponitur immolatio victimæ quasi cruenta, quæ fit in consecratione [4]. Nicolaus Cabasilas vero integrum caput dicat quæstioni de essentia sacrificii missæ. Hanc essentiam in ipsa transsubstantiatione panis in corpus Christi reponit. Sacrificium, inquit, neque antequam panis consecretur, neque postquam est consecratus, peragitur, sed eo ipso momento quo consecratur [5]. Quod ut demonstret, sic argumentatur :

Primum quidem, juxta ipsum, sacrificium in genere essentialiter consistit in ipsa mactatione seu immutatione victimae, qua de uno statu ad alium transit. Sacrificium ovis, v. g., consistit in hoc quod hæc de statu non occisionis in statum occisionis transfertur [6]. Cum autem sacra liturgia

1. Cf. Athanasium, *P. G.*, t. XXVI, col. 1325 A, et t. LXXXVI, col. 2401 AB; Cyrill. Hieros., *Catech. myst.*, IV, 7, *P. G.*, t. XXXIII, col. 1072 AB, et *Catech. myst.*, V, *ibid.*, col. 1113-1116; Basilium, *De Spiritu Sancto*, c. XXVII, 66, *P. G.*, t. XXXII, col. 188.

2. *Epist.* LXXV, *ad Amphil.*, *P. G.*, t. XXXVII, col. 280. Cf. Nestorium, apud Loofs, *Nestoriana*, p. 241 « : Σταυροῦται κατὰ τὸν τύπον ὁ Χριστὸς τῇ τῆς ἱερατικῆς εὐχῆς μαχαίρᾳ. »

3. *In Levit.*, l. VI, c. XXII, 14-16, *P. G.*, t. XCIII, col. 1071-1072.

4. *P. G.*, t. XCVIII, col. 449 D : « Quod autem sacerdos solum divinum panem percipiat absque sanguine, deinde divinum sanguinem sumat : οὐδὲν ἄλλο δηλοῖ εἰ μὴ αἱματώδη ἔτι εἶναι τὸν θεῖον ἀμνὸν ἀπὸ τῆς θείας καὶ ζωηφόρου σφαγῆς καὶ τοῦ νοητοῦ θύματος, ἣν ὁ ἱερεὺς ἐπεποιήκει μυστικῶς ἐν τῇ προθέσει. »

5. *Liturgiæ expositio*, c. XXXII, *P. G.*, t. CL, col. 440 B : « Ἡ θυσία οὔτε πρὸ τοῦ ἁγιασθῆναι τὸν ἄρτον, οὔτε μετὰ τὸ ἁγιασθῆναι, τελεῖται, ἀλλ' ἐν αὐτῷ τῷ ἁγιάζεσθαι. »

6. *Ibid.*, col. 440 C : « Τίς ἡ τοῦ προβάτου θυσία ; Ἡ ἀπὸ τοῦ μὴ ἐσφαγμένου πάντως εἰς τὸ ἐσφαγμένον μεταβολή. »

« non sit mera repræsentatio seu figura sacrificii, sed vera immolatio et verum sacrificium [1] », quærendum est quomodo hoc fiat. Primum quidem panis oblatus non est ipsa victima oblata; ante consecrationem enim non immolatur, cum revera nullam mutationem patiatur; post consecrationem vero, non amplius existit, sed evanuit. Remanet ergo ut ipsum corpus Christi, in quod mutatur panis, sit ipsa victima immolata ac mactata. Huic positioni obstat tamen aliqua difficultas : post resurrectionem enim, Christus non amplius moritur, non amplius immolari potest. Respondet Cabasilas : « Verum quidem est Christum in missa non rursus morti tradi nec cruente immolari. Missa tamen est verum sacrificium, quia in oblatione fit aliqua vera mutatio, et mutatio in victimam vere immolatam desinit. Primum enim offertur panis, qui revera non immolatur, sed tamen mutatur, quatenus evanescit et corpori Christi, quod vere in cruce immolatum fuit, locum cedit, seu potius in ipsum corpus olim mactatum transit ac convertitur [2]. »

Hac subtili ac ingeniosa consideratione Cabasilas ostendit non solum essentiam sacrificii missæ in consecratione donorum consistere, verum etiam missam unum quid esse cum sacrificio crucis, nec necessarium esse oblationes corporis Domini multiplicare (πολλὰς τὰς προσαγωγὰς τοῦ κυριακοῦ σώματος). Cum enim sacrificium missæ non per actualem Agni Dei immolationem sed per conversionem panis in Agnum jam immolatum peragatur, quoties missa celebratur, adest quidem aliqua mutatio, quæ ad omne sacrificium requiritur, et mutatio repetitur et multiplicatur; multiplex est item id quod mutatur, panis et vinum scilicet : terminus vero muta-

1. *Ibid.*, col. 440 A : « Οὐ τύπος θυσίας οὐδὲ αἵματος εἰκών, ἀλλὰ ἀληθῶς σφαγὴ καὶ θυσία. »

2. *Ibid.*, col. 440 CD : « Ὁ γὰρ ἄρτος, ἄθυτος ὤν, μεταβάλλει τότε εἰς τὸ τεθυμένον. Μεταβάλλει γὰρ ἀπὸ ἄρτου μὴ ἐσφαγμένου εἰς αὐτὸ τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου τὸ σφαγὲν ἀληθῶς. Ὅθεν καθάπερ ἐπὶ τοῦ προβάτου ἡ μεταβολὴ θυσίαν ἀληθῶς ἐργάζεται, οὕτω καὶ ἐνταῦθα διὰ τὴν μεταβολὴν θυσία τὸ τελούμενον ἀληθῶς· μεταβάλλει γὰρ οὐκ εἰς τύπον, ἀλλ' εἰς πρᾶγμα σφαγῆς, εἰς αὐτὸ τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου τὸ τεθυμένον... Ἡ σφαγὴ ἐκείνη οὐκ ἐν τῷ ἄρτῳ, ἀλλ' ὡς ἐν ὑποκειμένῳ θεωρουμένη τῷ σώματι τοῦ Χριστοῦ, οὐ τοῦ ἄρτου, ἀλλὰ τοῦ Ἀμνοῦ τοῦ Θεοῦ θυσία καὶ ἔστι καὶ λέγεται. »

tionis, id est corpus Christi jam immolatum, unus semper remanet. Et ita una est semper victima et una immolatio [1].

Ex hoc quod Cabasilas dicit oblationes corporis Christi non multiplicari, inferendum non est eum negare Christum, in qualibet missa, actum, quo seipsum Deo Patri in cruce obtulit, renovare. Expresse enim docet Christum, qui est sacræ liturgiæ principalis sacerdos, λειτουργεῖ τὴν λειτουργίαν ἡμῶν, [2], *actualiter* seipsum Patri offerre, quando sacra dona per consecrationem *fiunt ipse*, ὅταν αὐτὸς γένωνται [3]. Et « hic est, inquit, sensus verborum sacræ liturgiæ: Σὺ εἶ ὁ προσφέρων καὶ προσφερόμενος καὶ προσδεχόμενος. Christus offert et accipit ut Deus; offertur ut homo. Panem vero et vinum dum adhuc mera dona sunt, offert quidem sacerdos (visibilis), suscipit autem Dominus. Quonam vero actu dona suscipit? Ea consecrando et in corpus et sanguinem suum mutando. Hoc est enim suscipere, proprium et familiare efficere, ut dictum est. Hic est modus quo Christus hoc sacrificium celebrat. Hæc sunt quæ ei sacerdotium constituunt [4]. »

Inter byzantinos modernosque theologos, Cabasilas unus reperitur qui quæstionem de essentia sacrificii missæ scholastico modo perscrutarit solutionemque propriam tradiderit. Qui post illum fuere, repetunt quidem sacrificium esse perfectum post donorum consecrationem, vel ipsam conse-

1. *Ibid.*, col. 341 A: « Ἡ μὲν μεταβολὴ γίνεται, ἡ δὲ σφαγὴ οὐ γίνεται τότε, καὶ οὕτω τὸ μὲν μεταβαλλόμενον, πολλά, καὶ ἡ μεταβολὴ πολλάκις· τὸ δὲ εἰς ὃ μεταβάλλεται οὐδὲν κωλύει ἓν καὶ τὸ αὐτὸ εἶναι, καθάπερ σῶμα ἕν, καὶ οὕτως τοῦ σώματος σφαγὴν μίαν. »

2. *Ibid.*, c. XXVIII, col. 428 B.

3. *Ibid.*, c. XLIX, col. 477 BC : « Ὁ μὲν ἱερεὺς προσάγει, ὁ δὲ Κύριος ἐκδέχεται τὰ δῶρα· προσφέρει μὲν γὰρ καὶ ὁ Κύριος, ἀλλ'ἑαυτὸν τῷ Πατρὶ καὶ τὰ δῶρα ταῦτα, ὅταν αὐτὸς γένωνται, ὅταν εἰς τὸ αὐτοῦ σῶμα καὶ αἷμα μεταβληθῶσιν. Ὅτι γὰρ ἑαυτὸν προσφέρει, διὰ τοῦτο εἶναι λέγεται ὁ αὐτὸς καὶ προσφέρων, καὶ προσφερόμενος, καὶ προσδεχόμενος· προσφέρων μὲν γὰρ καὶ προσδεχόμενος, ὡς Θεός· προσφερόμενος δὲ ὡς ἄνθρωπος· ἄρτον δὲ καὶ οἶνον ἔτι ὄντα τὰ δῶρα προσφέρει μὲν ὁ ἱερεύς, προσδέχεται δὲ ὁ Κύριος. » Dicit Cabasilas Christum *sacrificium offerre ut Deum*, quatenus omnes actus sunt supposita seu personæ.

4. *Ibid.* : « Καὶ τί ποιῶν τὰ δῶρα προσδέχεται ; Ἁγιάζων αὐτά, εἰς τὸ αὐτοῦ σῶμα καὶ αἷμα μεταβάλλων... Οὗτος ὁ τρόπος καθ'ὃν ὁ Χριστὸς τὴν ἱερουργίαν ταύτην ἱερουργεῖ. »

crationem constituere sacrificii essentiam [1]; nullam vero pertentant theologicam explicationem.

ARTICULUS X

De effectibus seu fructibus sacrificii missæ.

Missam perfecte adimplere quatuor sacrificii fines, latreuticum videlicet, eucharisticum, propitiatorium et impetratorium, omniumque Veteris Legis sacrificiorum loco successisse et Patres et liturgiæ verba diserte prædicant. Patres græci in fine eucharistico necnon in fine propitiatorio tam pro vivis quam pro defunctis præsertim insistunt [2]. Finem vero latreuticum et potissimum finem impetratorium liturgiæ textus passim exprimit. Nec aliquid vere notabile tum apud theologos byzantinos, tum apud modernos auctores circa hujusmodi fines occurrit [3]. Tenent enim traditam de hoc capite doctrinam, eamque sæculis XVI et XVII tum in privatis scriptis, tum in publicis synodum decretis contra Protestantes, haud semel professi sunt. Ita Jeremias II, in *Responsis ad Tubingenses*, multa de sacrificio missæ ab *Expositione liturgiæ* Nicolai Cabasilæ mutuatur [4]. *Orthodoxa Confessio* Petri Moghilæ Eucharistiam esse sacrificium impetratorium

1. Cf. Simeonem Thessal., *De sacramentis*, 41; *De sacra liturgia*, 98; *De divino templo*, 86, *P. G.*, t. CLV, col. 181-184; 297 ; 732-733; Andrutsus, Δογματική, p. 373; Dyovuniotis, Τὰ μυστήρια, p. 120 : « Ἡ ἔννοια τῆς θυσίας ἐν τῇ θείᾳ εὐχαριστίᾳ ἔγκειται ἐν τῷ χωρισμῷ τοῦ ἄρτου καὶ οἴνου. » Malinovskii, *op. cit.*, t. II, p. 387. Eustratius Argentis, Κατὰ ἀζύμων, *ed. cit.*, p. 292-297, fractionem hostiæ habet ut partem essentialem sacrificii : « εἶνε μέρος οὐσιῶδες τοῦ μυστηρίου, ἧς ἀμεληθείσης, πίπτει ἡ παράστασις καὶ ἀνάμνησις τῆς σταυρώσεως καὶ τοῦ θανάτου τοῦ Χριστοῦ. »

2. Cf., v. g., Eusebium, *Demonst. evang.*, l. I, c. XX, *P. G.*, t. XXII, col. 92 B; Cyrill. Hieros., *Cat. myst.*, V, 5; t. XXXIII, col. 1113, 1116; Chrysost., *In Matth.*, hom. XXV, 13, t. LVII, col. 331; *In I Corinth.*, hom. XXIV, 1, 4, t. LXI, col. 199; *De sacerd.*, VI, 4, t. XLVIII col. 680; *In Phil.*, hom. III, 4, t. LXII, col. 203.

3. Nota tamen Nicolaum Cabasilam, *Expos. liturg.*, c. XLII, col. 457, optime notare differentiam inter Eucharistiæ sacramentum et sacrificium, et utriusque diversum operandi modum.

4. *I Resp.*, c. XIII, apud Gedeonem Cyprium, *op. cit.*, p. 64-65, 74.

et propitiatorium pro vivis ac defunctis expresse docet [1]; quod et repetit *Dosithei Confessio*, c. XVII [2].

Apud modernos compendiorum auctores in vanum quæres quæstiones de valore sacrificii missæ, de modo quo fructus suos operatur, de ejus applicatione necnon de fructibus speciali, generali, specialissimo. De quatuor sacrificii finibus in genere breviter disserere satis habent.

1. I p., q. CVII, Kimmel, *op. cit.*, t. I, p. 183-184.

2. Kimmel, *ibid.*, p. 461 : « Ἔτι εἶναι θυσίαν ἀληθῆ καὶ ἱλαστικήν, προσφερομένην ὑπὲρ πάντων τῶν εὐσεβῶν ζώντων καὶ τεθνεώτων καὶ ὑπὲρ ὠφελείας πάντων. »

CAPUT QUINTUM

DE SACRAMENTO PÆNITENTIÆ

Prænotamina.

Sæculo xvii ineunte, quando Cyrillus Lucaris Calvinistarum dogmata in Ecclesiam græco-russicam introducere tentavit, nulla notabatur differentia dogmatica catholicos inter et Græco-Russos, ad sacramentum pænitentiæ quod attinet; ita ut theologi catholici, in sua adversus confessionis sacramentalis oppugnatores contentione, ad consensionem Ecclesiæ græcæ non immerito provocare potuerint. Græci ipsi una cum Kioviensibus hanc consensionem disertis declarationibus mox patefecerunt; quod et Jeremias II, patriarcha Constantinopolis, jam egerat in suis ad theologos reformatos responsis tribus [1]. Hodie vero, si unum de compendiis theologiæ dogmaticæ in seminariis vel academiis ecclesiasticis Græco-Russorum tritis aperias; si eorumdem *Symbolicas* vel *Theologias polemicas* percurras, non pauca contra doctrinam catholicam de sacramentali satisfactione necnon de indulgentiis et Ecclesiæ thesauro in eis invenies. In *Symbolica*, Ch. Andrutsi, v. g., non minus quam 40 paginæ (ex 350) quæstionibus hujusmodi dicantur. Macarius Bulgakov, in sua *Theologia orthodoxa*, per 24 densas paginas doctrinam catholicam de iisdem convellere nititur. Recentior vero theologus russus, nomine Malinovskii, Ecclesiam romanam accusat quod « in doctrina de sacramento pænitentiæ errores tales admiserit, qui spiritum et indolem hujus sacramenti omnino adulterent [2]. » Cæterum, horum novorum polemistarum diatribas de indulgentiis et Ecclesiæ thesauro si leges, statim deprehendes eos doctrinam catholicam plerumque perperam intelligere ac referre, Luthe-

1. Cf. *I Responsum*, c. vii-viii, xi-xii; *II Resp.*, c. iv; *III Resp.*, c. iii.
2. *Op. cit.*, t. ii, p. 405.

ranorumque vel Calvinistarum dociles alumnos se prodere. De hujusmodi discrepantiis nuper detectis et apud veteres Byzantinos penitus inauditis, quæ nostris nonnisi recentissime innotuerunt, quædam utique nobis referenda sunt. Insuper, de aliis quæstionibus ad sacramenti pænitentiæ dogmaticam expositionem spectantibus illa subjiciemus, quæ mentione digna videbuntur, curiositatemque theologicam movere nata sunt. Unde sermo erit :

1° De existentia sacramenti pænitentiæ apud Græco-Russos;

2° De materia hujus sacramenti juxta doctrinam eorumdem;

3° De forma;

4° De significatione *epitimiorum* seu de pœna temporali peccatis per absolutionem sacramentalem remissis debita;

5° De ministro sacramenti pænitentiæ;

6° De indulgentiis pro vivis et pro defunctis in Ecclesia græco-russica.

ARTICULUS I

De existentia sacramenti pænitentiæ apud Græco-Russos.

Pænitentiæ sacramentum in Ecclesia byzantina ante schisma photianum frequentatum fuisse omnino certum est. De confessionis usu in periodo quæ Photii tempus immediate præcessit (ab anno 725 ad annum 847), P. Pargoire hæc habet :

« La pénitence est requise chaque fois que le chrétien a commis une faute, mais une faute grave. En effet, si dans le domaine des communications avec l'hérésie la moindre peccadille entraîne des conséquences rigoureuses, l'âme byzantine est moins facile à s'émouvoir sur d'autres terrains... Il en résulte que les Byzantins, somme toute, se confessent peu, du moins dans le monde, car pour les couvents, comme l'intérieur d'un religieux ne doit avoir aucun secret pour son hégoumène, la confession confondue avec le rendement de compte s'y pratique très régulièrement.

Est-ce confession, est-ce direction qu'il faut appeler les rapports de conscience entretenus par les simples fidèles avec leurs pères spirituels? Les deux pratiques existent simultanément et presque toujours, comme dans les monastères, elles se confondent. Pourtant les textes ne manquent pas où il n'est question que de l'aveu pur et simple des fautes commises... Toute faute grave entraîne l'obligation de rester privé de l'eucharistie durant un certain laps de temps, et ce temps d'excommunication est accompagné de pénitences que les canons ont fixées d'après la malice de chaque péché, mais que les directeurs mitigent d'après la force de chaque pécheur [1]. »

Hæc vera manent etiam pro periodo subsequenti necnon post schisma consummatum. Byzantini et Græco-Russi moderni confessionis frequentis usum ignorant. Pænitentia vero, quam Græci vocibus : μετάνοια, ἐξομολόγησις, ἐξαγόρευσις, Russi autem nomine *pokaianie* vel *ispoviedanie* designant, inter sacramenta seu μυστήρια ante sæculum XII non videtur expresse fuisse relata. Inter septem sacramenta primum numeratur in *Confessione Michaelis Palæologi*, nullo theologo dissidenti reclamante [2]. Verum quidem est Jobum monachum eam cum sacramento Euchelæi identificare; sed hoc exinde provenit quod monachus ille habitum monasticum seu professionem religiosam, τὸ ἀγγελικὸν σχῆμα, a sancto Theodoro Studita inter μυστήρια jampridem collocatum, ut sacrum ritum a Christo institutum omni conatu retinere velit. Michael Glykas, e contra, pœnitentiam idem esse ac habitum monasticum insinuat [3]; cui aliquatenus suffragatur Simeon Thessalonicensis his verbis :

1. Pargoire, *L'Église byzantine de 527 à 847*, p. 347-349.

2. « Sed et propter diversos errores a quibusdam ex ignorantia et ab aliis ex malitia introductos dicit, et prædicat eos qui post baptismum in peccata labuntur non baptizandos, sed per veram pœnitentiam suorum posse consequi veniam peccatorum... Aliud est sacramentum Confirmationis..., aliud est pœnitentiæ », etc. Cf. A. Theiner et F. Miklosich, *op. cit.*, p. 9, 10. Eadem professus est Joannes Veccus, patriarcha, una cum præsulibus unioni addictis, anno 1277, in *Confessione fidei speciali*, *ibid.*, p. 26, 27.

3. Cf. *Caput theologicum* XIX : *Si fides adhibenda dicentibus eum, qui monasticum et sanctum habitum induerit, plenam suorum peccatorum remissionem consecuturum esse, etiamsi in fine vitæ suæ hoc fecerit.*

« Pænitentia nos a lapsu rursum erigit. Et quoniam post baptismum nulla exstat ad pristinum statum gratuita et gratiosa revocatio sine luctis et laboribus, sed tantum per conversionem et lacrymas necnon per confessionem peccatorum et abstinentiam a malo, hoc magnum datum est donum, *in quo sane et comprehenditur monachorum habitus* utpote qui pænitentiæ est pignus [1]. »

Hoc pacto antiqua traditio byzantina de habitu angelico τοῖς μυστηρίοις, salva orthodoxia, incorporatur. Post sæculum vero XV, si Cyrillum Lucarim excipias, nullus theologus græco-russus cum Reformatis in hoc consentit, ut sacramentum pænitentiæ rejiciat. Metrophanes Critopulus ipse pænitentiam inter tria μυστήρια præcipua et necessaria recenset. Schola vero protestantizans Theophanis Procopovitch huic sacramento valedicere non audet, doctrinam catholicam de satisfactione impugnare satis habens.

ARTICULUS II

De materia hujus sacramenti.

Inde a sæculo XVI usque ad sæculum XIX, theologi græci et russi sententiæ inter Catholicos communiori de materia hujus sacramenti generatim adhærent. Docent nempe materiam remotam esse peccata post baptismum commissa; materiam vero proximam, tres pænitentis actus, contritionem scilicet, confessionem et satisfactionem, quæ voce græca ἱκανοποίησις designatur. Ita, v. g., Gabriel Severus [2],

Ed. Sophronii Eustratiadis, t. I, p. 225-239. Auctor habitum monasticum, quem ἱερὰν τελετὴν appellat, pænitentiæ passim assimilat : « Δεύτερον μὲν ἀληθῶς ἡ μετάνοια βάπτισμα καὶ ἀνακαινιστικὸν τοῦ πρώτου, ἀλλὰ δακρύων χρεία πολλῶν », p. 238.

1. *De sacramentis*, 39, *P. G.*, t. CLV, col. 180. Cf. c. LII, col. 197 : « Ἐν ταύτῃ δὴ τῇ μετανοίᾳ καὶ τὸ ἱερώτατον περιλαμβάνεται σχῆμα τῶν μοναχῶν, ὃ δὴ καὶ ἀγγελικόν ἐστι καὶ καλεῖται. » Simeon Novus Theologus item habitum monasticum altero baptismo comparat. *Oratio* II, *P. G.*, t. CXX, col. 329 C. Jeremias II, *I Resp. ad Tubingenses*, c. VII, primum locum Simeonis Thessalonicensis supra laudatum exscribit.

2. *Enchiridion de sacramentis* : « Ἡ μὲν ὕλη τῆς μετανοίας ἡ πορρωτάτη κατὰ τὴν τῶν πολλῶν ἔννοιαν ἐστὶ τὰ ἁμαρτήματα· ἡ δὲ πόρρω ἐστὶν ὁ μετανοῶν ἁμαρτωλός· ἡ δ' ἐγγὺς, ἥ τε ἐξομολόγησις καὶ ἡ σύντριψις τῆς καρδίας καὶ ἡ ἱκανοποίησις. » Ed. Ven., 1691, p. 109.

Laurentius Zizanii [1], Petrus Moghila [2], Gregorius Chiensis [3], Nicolaus Bulgaris [4], Antonius Moschopulus [5], Chrysanthus Hierosolymitanus [6], Sylvester Lebedinskii [7], etc.

Nostris diebus, theologi russi et quidam Græci de materia et forma sacramentorum, ut supra diximus, non amplius loquuntur, sed de eorum *parte visibili*. Tanquam partem visibilem sacramenti pœnitentiæ communiter assignant confessionem oralem et verba absolutionis. Ita Antonius [8], Macarius [9], Philaretus Gumilevskii [10], Malinovskii [11], Mesoloras [12]. Quidam negant satisfactionem seu ἐπιτίμιον ad essentiam vel integritatem sacramenti pertinere : quod deducunt ex praxi apud dissidentes recepta imponendi *epitimium* non omnibus confitentibus sed quibusdam tantum [13]. C. Dyovuniotis tria signa sensibilia pœnitentiæ enumerat : 1° confessionem ex contritione ortam; 2° manuum impositionem confessarii super caput pœnitentis; 3° orationem absolu-

1. *Magnus atecchismus*, Mosquæ, 1627, fol. 389-390. Cf. *Trudy Acad. Kioviensis*, 1898, t. II, p. 263-264.

2. *Trebnik*, Kioviæ, 1646, p. τλξ'. In *Confessione orthodoxa*, prout a Meletio Syrigo correcta est, termini scholastici ὕλη et εἶδος seu μορφή pro sacramento pœnitentiæ non occurrunt, quamquam ejusdem partes enumerantur, I p., q. CXIII.

3. Σύνοψις τῶν θείων καὶ ἱερῶν τῆς Ἐκκλησίας δογμάτων, Venetiis, 1635. Cf. D. E. Schelstrate, *Acta orientalis Ecclesiæ contra Lutheri hæresim*, Romæ, 1739, p. 381.

4. Ἱερὰ κατήχησις, Venetiis, 1681, p. 11. Hic auctor, nostrorum theologorum instar, distinguit inter contritionem et attritionem, τὴν συντριβὴν καὶ τὴν ἐπιτριβήν.

5. Ἐπιτομὴ τῆς δογματικῆς καὶ ἠθικῆς θεολογίας, Cephaloniæ, 1851, p. 462-465.

6. Chrysanthus in textu Jobi monachi *De sacramentis* a se edito hæc interpolavit : « Ἡ μετάνοια ἔχει τὴν ὕλην ἐν τοῖς ἁμαρτήμασι καὶ τῷ μετανοοῦντι ἁμαρτωλῷ καὶ τῇ ἐξομολογήσει καὶ καρδίας συντριβῇ καὶ ἱκανοποιήσει. » Συνταγμάτιον, p. ρκθ'

7. « Materia hujus sacramenti sunt externi pœnitentium actus, ut confessio peccatorum... Partes seu actus pœnitentiæ ex sententia orthodoxorum tres sunt : contritio cordis, confessio oris et satisfactio operis. » *Compendium theologiæ classicum*, p. 513, 514.

8. *Op. cit.*, ed. græca, p. 352.

9. *Op. cit.*, t. II, p. 437.

10. *Op. cit.*, t. II, p. 184.

11. *Op. cit.*, t. II, p. 396.

12. Συμβολική, t. II², p. 302.

13. Ita Mesoloras, *op. cit.*, p. 305; Andrutsus, Δογματική, p. 388.

tionis [1]. Bernardakis Catholicis crimini vertit quod unum sacramentum pænitentiæ in tres partes, contritionem scilicet, confessionem et satisfactionem diviserint, hujusmodi divisionem per longum tempus a theologis « orthodoxis » communiter receptam fuisse, et adhuc a quibusdam recipi non advertens [2].

Ad integritatem confessionis quod attinet, notandum est dissidentes de eo non multum curare, quanquam ἐξομολογητάρια optima apud eos existunt, in quibus diversa peccata cum suis circumstantiis per singula enumerantur, et epitimia congrua indicantur. Nec inauditæ sunt apud Græcos publicæ confessiones, præsertim in scholis, per lectionem a patre spirituali factam alicujus elenchi peccatorum; qua persoluta, impertitur absolutio communis super omnes alumnos, qui aliquo signo se peccasse declararunt. Sed hi sunt abusus ab auctoritate ecclesiastica damnati [3].

Necessitatem confessionis pro remissione peccatorum videtur negare Michael Glykas, dum sua facit verba sequentia, quæ Anastasio Sinaitæ adscribit : « Si hominem spiritualem inveneris qui tibi mederi possit, huic confitere peccata tua; si vero talis non adsit, confitere Deo privatim, condemnans teipsum et dicens : Deus, tu scis solus me peccatorem esse et omnis veniæ indignum; sed salva me propter solam misericordiam tuam [4]. » Et exempla quædam affert ad probandum peccata remitti posse per confessionem solo Deo factam [5].

1. Τὰ μυστήρια, p. 133. Notum est quosdam theologos catholicos Medii Ævi, v. g., Gulielmum Antisiodorensem et Alexandrum Halensem, putasse materiam proximam pænitentiæ esse impositionem manus a sacerdote factam dum pænitentem absolvit.

2. Ἱερὰ κατήχησις, p. 175. M. Iastrebov, *De sacramento pænitentiæ* in *Trudy Academiæ Kiov.*, 1908, t. I, p. 366, ad partem visibilem sacramenti refert *epitimium*.

3. Cf. C. Korolevskii, *L'administration du sacrement de pénitence dans le rite byzantin*, *Stoudion*, 1925, p. 36-45, 97-110, 129-136.

4. Cf. Anastas. Sinaitam, *Quæstio* VI, *P. G.*, t. LXXXIX, col. 372. In *P. G.*, sola occurrit prima propositio laudata; desunt quæ sequuntur, inde a verbis : *si vero talis non adsit*, etc.; quæ etiamsi authentica fuerint, ad sensum a Michaele Glyka intentum ægre detorqueri possunt. In hac enim quæstione, Anastasius totus est in adstruenda necessitate confessionis sacerdotibus facta.

5. *Cap. theologicum LXX*, *ed. cit.*, t. II, p. 235-237.

Distinctionem inter contritionem et attritionem quidam impugnant, nec admittere volunt peccata per contritionem perfectam cum voto sacramenti ante absolutionem sacerdotalem deleri, quia tunc, inquiunt, sacramentum evaderet superfluum et inutile, vel in simplicem *declarationem* Protestantium incideremus [1].

De confessionis usu apud Græcos hæc habet Goarius, quæ etiam praxi hodiernæ congruunt : « Paucis monendum arbitror Græcos raros πνευματικοὺς *(Patres spirituales)* e monasteriis maxime selectos (laicos enim sacerdotes, quamvis erronee, non ita confidenter conveniunt, prout subindicat Balsamonis *Responsum* 19, ad hoc onus admissos litterisque ἐνταλτηρίοις institutos exponere. Illi sedentes pænitentes pariter sedentes, pro antiquo Latinorum more, (apud Alcuinum, *De divinis officiis*, ubi de capite jejunii), pro exomologesi audiunt : si leves et venia dignas pænitentis culpas deprehenderint, nullam adhibent absolutionem, sed de pio devotoque quodam opere exercendo monitum amice remittunt; si lethifera, θανατήσιμα quæ dicunt, crimina detegunt, illa in nomocanone juxta se posito examinant, censurarumque districtioni, prout legunt, cuncta subjiciunt, et tandem pænitenti benigne precantur his atque aliis orationibus, aut in remedium præteriti delicti vel ini cautelam futuri compositis. Peccata tandem cuncta κανονίζουσι, id est, ad canonum rigorem examinata pœnis in eis perlectis castigant et emendant, propterea que pœnitentiam impositam ut canonibus præscriptam solent ipsi κανόνα vocitare. Ea est ξηροφαγία (= ab obsonio quocumque olei, piscium, et carnium et a vino abstinentia); γονυκλισίαι seu μετάνοιαι στρωταί, absque numero, his verbis adjunctis : *Domine, Jesu Christe et Verbum Dei veri et viventis, per Dei genitricem miserere mei peccatoris;* τεσσαραντολειτούργημα (= missa per 40 dies celebranda); divitibus Εὐχέλαιον velut extreme et spiritualiter infirmis (ex ignorantiæ abusu); preces, psalteria litteris edoctis indicuntur. Publica vero pœnitentia, nulli licet amplius imponatur (relaxato minirum apud eos antiquo canonum rigore a Nectarii et deinceps Joannis Jejunatoris mitissimi in delinquentes animi tempore, et levioribus pœnis

1. Ita Malinovskii, *op. cit.*, p. 405; Andrutsus, *op. cit.*, p. 387.

compensato) aliquos tamen confessione expiatos a sacra communione per annum vel plures quandoque arcent. Hi non ita plene reconciliati privationem Eucharistiæ panis eulogici, communionis vices agentis, vere tunc ἀντιδώρου, sumptione solantur, et sanguinis dominici sumendi loco, aquam in Theophaniis benedictam, diacono eam μετὰ λαβίδος porrigente, communionis diebus, Paschatis scilicet, apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis et Christi natalitiorum, summa cum religione hauriunt; et tandem, oratione ἐπὶ τῶν ἐπιτιμίων λυομένων (= pro pænitentia imposita relaxanda) super eis recitata, ex integro Ecclesiæ reconciliantur [1]. »

ARTICULUS III

De forma sacramenti pænitentiæ apud Græco-Russos.

In veteribus euchologiis tum græcis tum slavicis, non una occurrit forma absolutionis peccatorum; hujusmodi vero formæ omnes sunt deprecativæ, sicut et fuerunt formulæ in Ecclesia latina usitatæ ante sæculum XI. Goarius, in editione *Euchologii Græcorum*, plures affert orationes absolutorias ex variis codicibus excerptas, quarum unaquaeque ex se sufficeret ad validam peccatorum remissionem, supposita debita intentione ministri. Non enim amplius dubitatur inter Catholicos de validitate formarum deprecativarum, dummodo ab Ecclesia practice saltem probentur. In Ecclesia latina longo usu jam recepta est sola forma indicativa; quæ, ut videtur, necessario adhibenda est a sacerdotibus latini ritus. Sed non ita in Ecclesiis orientalibus quum dissidentibus tum unitis. Unde, anno 1865,

1. *Rituale Græcorum*, ed. Venet., p. 504-541. De usu confessionis necnon de *Patre spirituali apud veteres Russos*, vide articulum S. Smirnovi in *Bogoslovskii Viestnik*, 1898, t. I, p. 163-194, et præsertim ejusdem longum opus : *De Patre spirituali apud Russos veteres, adjectis documentis ad historiam disciplinæ pænitentialis Russiæ antiquæ pertinentibus.* Mosquæ, 1914, p. VI-290-568. De practica methodo confessionis apud Græcos consuli possunt : 1° Nicephorus Paschaleus, Ἐγχειρίδιον μεθοδικὸν... περὶ τοῦ μυστηρίου τῆς μετανοίας καὶ ἐξετάσεως τῆς συνειδήσεως, Venetiis, 1622 (cf. Legrand, *Bibl. XVII^e s.*, t. I, p. 156); 2° Nicodemus, Ἐξομολογητάριον, Venetiis, 1794; 3° Callinicus, Νέον ἐξομολογητάριον, Constantinopoli, 1839.

die 6 septembris S. C. S. Officii hoc edidit decretum : « Sacerdotes confessarii orientales, in excipiendis sacramentalibus confessionibus fidelium latini ritus, uti debent forma et lingua proprii adprobati ritus, nisi aliter ab Apostolica Sede indultum vel decretum fuerit. » Revera Ecclesiæ orientales unitæ, etiam illæ quæ ritum byzantinum sequuntur, non eadem utuntur formula absolutionis; quæ modo est indicativa, modo deprecativa, quanquam hodie ubique fere invaluit usus formæ indicativæ [1]. Neque apud Græco-Russos uniformitas in hoc reperitur. Qui enim lingua utuntur slavica [2] et qui rumenica, formam adhibent a Petro Moghila Trebniko Kioviensium anno 1646 insertam, quæ sic se habet : *Dominus et Deus noster Jesus Christus, gratia et benignitate sui erga homines amoris, remittat tibi, fili mi N., omnia delicta tua; et ego, sacerdos indignus, potestate ab eo mihi data, condono et absolvo te ab omnibus peccatis tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.* Patet hanc formam esse indicativam et a forma latina vix differre, quanquam absolutio a censuris in ea desideratur; nec dubium est Petrum Moghilam sub influxu theologiæ latinæ eam concinnasse.

Græci vero hodierni, si recentioribus eorum theologis fides adhibenda [3], hac utuntur oratione : « Fili spiritualis, qui meæ humilitati peccata confiteris, humilis ego et peccator super terram peccata remittere non valeo, sed Deus est qui illa condonat; propter illam autem divinitus prolatam vocem ad apostolos post resurrectionem Domini nostri Jesu Christi sic dicentem : *Quorum remiseritis peccata*, etc., propter illam, inquam, et nos confisi, dicimus : *Quæcumque tenuissimæ meæ humilitati enarrasti, et quæcumque non dixisti ex ignorantia vel oblivione, qualecumque sit, condonet tibi Deus in præsenti sæculo et in futuro* [4]. In ἀκολουθία *confi-*

1. Cf. C. Korolevskii, *art. cit.*

2. Bulgari modo forma Petri Moghilae, modo forma Graecorum absolvunt.

3. Anthrutsus *op. cit.*, p. 383; Dyovuniotis, *op. cit.*, p. 138-139; Mesoloras, *op. cit.*, p. 304, qui tenet formam sacramenti esse ipsa verba Salvatoris : *Quorum remiseritis peccata*, etc.

4. Goar, *op. cit.*, p. 542. Hæc oratio prima venit in euchologio a S. C. de propaganda fide anno 1873 edito, p. 206-207.

tentium, rubrica quædam sequentem orationem adjungere præscribit, qua olim usi sunt et adhuc etiam utuntur (sed non exclusive) quidam Uniti : « Deus, qui Davidi propria peccata confitenti per Nathan pepercit; qui Petrum negationem lugentem et meretricem ad pedes flentem, et publicanum et prodigum suscepit; *ipse Deus per me peccatorem in præsenti et in futuro sæculo tibi parcat; et indemnatum te in tremendo suo tribunali sistere faciat.* De revelatis autem in confessione hac tuis criminibus nulla sit tibi sollicitudo. Vade in pace [1]. »

Petrus Arcudius, qui multum insudat in adstruenda validitate formæ deprecativæ, et longam de hac quæstione texit dissertationem, ad hanc tandem devenit conclusionem, scilicet quod forma Græcorum non sit neque indicativa, neque imperativa, non deprecatoria neque mixta, sed omnino enunciativa, et, ut ita dicam, auctoritativa ac judicialis. Hæc autem his constat verbis : Ἔχω σε συγκεχωρημένον, ad verbum : *Habeo te venia donatum*, hoc est : Συγχωρῶ σοι τὰ ἁμαρτήματα, *Remitto tibi peccata tua.* Objicienti autem hujusmodi formam in euchologio non reperiri respondet : « Est tamen hæc forma frequens, et in ore multorum confessariorum quotidie versatur, licet major pars Græcorum ex ignorantia quod nesciant totam vim latere in his paucis verbis, ea non utantur; qui autem utuntur ex usu quodam quotidiano vocem quodammodo corruperunt locoque συγκεχωρημένον, vulgari et corrupto vocabulo dicunt συγχωρημένον [2]. » De hujusmodi formula non amplius sermo est inter Græcos; et revera nullo pacto necessaria est ad validitatem absolutionis. Fatendum est tamen dictum Arcudii testimonio Gabrielis Severi aliquatenus confirmari; qui in suo *Enchiridio de sacramentis* pro forma sacramenti hæc verba tradit : « Ἡ χάρις τοῦ παναγίου Πνεύματος διὰ τῆς ἐμῆς ταπεινότητος ἔχει σε συγκεχωρημένον καὶ λελυμένον : *Gratia sanctissimi Spiritus*

1. Goar., *ibid.* De hac Goarius hæc habet : « Hæc penultima indubitatam tenet sacramenti pœnitentiæ formam his verbis contentam : *Per me tibi condonet Deus;* quamvis enim deprecativa prima fonte appareat, absoluta nihilominus his dictionibus : *per me*, redditur, auctoritatemque a Deo acceptam, quam prius minister memorabat, reo pœnitenti applicat. »

2. *De concordia*, etc., p. 430.

per meam humilitatem habet te condonatum et solutum. » Hæc forma utique est enunciativa seu declarativa; illam autem in euchologiis nequicquam inquires. Numquid Gabriel proprio marte eam concinnarit [1]?

In laudem formæ deprecatoriæ hæc habet Andrutsus : « Hæc, inquit, congruit tum indoli sacramenti, tum historico ejus usui, tum demum spiritui Ecclesiæ orthodoxæ in genere. Congruit indoli sacramenti, quia principalis minister sacramenti pænitentiæ, sicut et aliorum sacramentorum, est, ut diximus, Dominus ipse, sacramentorum institutor; sacerdos vero ministerium in eo exercet tanquam vicarius simul et instrumentum Christi. Est etiam et historice probata et Ecclesiæ spiritui consona, quia usque ad sæculum XIII in Ecclesia vigebat; ab illo vero tempore, in ejus locum introducta est alia, quæ est indicativa et apud Occidentales invaluit. Quod autem generatim remissionis peccatorum petitio in confessionis sacramento spiritui consonat Ecclesiæ orthodoxæ, clerum super populum non extollentis, sed eum abscondentis, ut ita dicam, sub sacramentis, quorum gratia in forma passiva communicatur, aut ab invocatione pendet : hoc iterum repetere supervacuum [2]. »

Tempore quo schola Theophanis Procopovitch in theologiam Russorum dominatum exercebat, lutheranismi vestigia, ad significationem absolutionis sacerdotalis quod spectat, quibusdam compendiis irrepserant. In *Doctrina orthodoxa* Platonis Levkhin, hæc leguntur : « Sacerdos peccatori pænitenti *annuntiat* remissionem peccatorum in nomine Christi [3]. » Theophylactus Gorskii inter actus pænitentis requisitos ponit veram fidem in Christum : « Vera fides, inquit, ideo ab auctore tanquam pars pænitentiæ notatur, quia juxta ipsius doctrinam, reconciliatio cum Deo et justificatio peccatoris fiunt per fidem in Christum, *qua appropriamus merita Christi* [4]. » Sylvester Lebedinskii notat

1. Gabriel, ut videtur, hæc verba sumit ex oratione supra citata : *Deus, qui Davidi*, etc., sed formam deprecativam in declarativam mutat, et hoc forsan propter metum S. Inquisitionis.

2. *Op. cit.*, p. 383-384.

3. II pars, § 36.

4. *Orientalis Ecclesiæ orthodoxa dogmata*, ed. Mosquensis, 1831, p. 202.

« usum clavium sive absolutionem non esse jurisdictionem αὐτοκρατωρικὴν vel δικαστικὴν, id est, vel *principalem* et *judicariam* (Is., XLIII, 25), sed διακονικὴν vel ὀργανικὴν, seu *ministerialem* et *subordinatam* sive *organicam* (Matth., XVI, 19) [1]. » Hodie vero Græco-Russi absolutionem sacramentalem esse actum judicialem non negant, immo quidam ex ipsis hanc notam diserte illustrant [2].

ARTICULUS IV

De natura satisfactionis sacramentalis necnon de pœna temporali peccato per absolutionem remisso debita.

Ut initio hujus capitis diximus, theologi græco-russi nostri ævi doctrinam catholicam de sacramentali satisfactione vehementer impugnant. Cum autem ex ipsis haud pauci hanc doctrinam perperam exponant, ea, quæ concilium Tridentinum de hac quæstione dilucide docuit, ob oculos lectoris ponere necessarium ducimus, diversas dissidentium sententias et variationes postea relaturi.

I. — Doctrina catholica.

Declarat ergo Tridentinum (sess. XIV, c. 8 et 9) « falsum omnino esse et a verbo Dei alienum culpam a Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur. Perspicua enim et illustria in sacris litteris exempla reperiuntur, quibus præter divinam traditionem hic error quam manifestissime revincitur. Sane et divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero, qui semel a peccati et dæmonis servitute liberati, et accepto Spiritus Sancti dono, scientes *templum Dei violare* (I Corinth., III, 17) et *Spiritum Sanctum contristare* (Eph., IV, 30) non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut, occasione

1. *Op. cit.*, p. 513.
2. Ita Andrutsus, *op. cit.*, p. 382-383.

accepta, peccata leviora putantes, velut injurii et *contumeliosi Spiritui Sancto* (Hebr., x, 29), in graviora labamur, *thesaurizantes nobis iram in die iræ* (Rom., II, 5; Jac., v, 13). Procul dubio enim magnopere a peccato revocant, et quasi freno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque et vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque vero securior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendum imminentem a Domino pœnam, quam ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc quod, dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, *ex quo* omnis *nostra sufficientia est* (II Cor., III, 5), conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes quod si compatimur, et conglorificabimur (Rom., VIII, 17). Neque vero ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per *Christum Jesum;* nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, *eo* cooperante *qui nos confortat,* omnia possumus (Phil., IV, 1, 4). Ita non habet homo, unde glorietur; sed omnis *gloriatio* nostra in Christo est, *in quo vivimus, in quo movemur* (Act., XVII, 28), in quo satisfacimus, *facientes fructus dignos pœnitentiæ* (Luc., III, 8), qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre.

« Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere, ne, si forte peccatis conniveant et indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut *satisfactio quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem :* nam claves sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed et ad ligandum concessas etiam antiqui Patres et credunt et docent. Nec propterea existimarunt sacramentum pœnitentiæ esse forum iræ vel pœnarum, sicut nemo unquam catholicus sensit, *ex hujusmodi nostris satisfactionibus vim meriti et satisfactionis Domini*

nostri Jesu Christi vel obscurari vel aliqua ex parte imminui [1]; quod dum Novatores intelligere volunt, ita pœnitentiam novam vitam esse docent, ut omnem satisfactionis vim et usum tollant.

« Docet præterea tantam esse divinæ munificentiæ largitatem, ut non solum pœnis sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis, aut sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam (quod maximum amoris argumentum est) temporalibus flagellis a Deo inflictis et a nobis patienter toleratis apud Deum Patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus. »

Sequuntur tres isti canones, quibus profligantur errores doctrinæ concilii oppositi :

« Can. 12 : Si quis dixerit totam pœnam simul cum culpa remitti *semper* a Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, anathema sit.

« Can. 13 : Si quis dixerit pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis et patienter toleratis vel a sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam, anathema sit.

« Can. 15 : Si quis dixerit claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, et propterea sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium et contra institutionem Christi; et fictionem esse quod, virtute clavium sublata pœna æterna, *pœna temporalis, plerumque exsolvenda remaneat*, anathema sit. »

Ergo juxta catholicam fidem :

1° Præter pœnam æternam peccato mortali debitam, quæ pœnitenti contrito absolutione sacerdotali *semper* remittitur, eidem *plerumque* luenda remanet aliqua pœna temporalis [2]; *plerumque*, sed non *semper*, quia fieri potest, ut Deus totam pœnam, æternam videlicet et temporalem, peccatori confesso

1. Verba subnotamus quæ doctrinæ Græco-Russorum hodiernorum directe opponuntur.

2. Etiam peccatum veniale aliquam pœnam temporalem secum trahit.

condonet propter vehementiam et perfectionem contritionis. Unde falsum est quod asserunt quidam polemistæ dissidentes, scilicet quod secundum Catholicos, aliqua pœna temporalis post absolutionem sacerdotis pœnitenti subeunda *semper* maneat [1];

2° Ad hanc pœnam temporalem tollendam vel minuendam confert satisfactio sacramentalis seu pœnitentia a confessore imposita, ita ut hæc pœnitentia, quam Græci ἐπιτίμιον vel κανόνα appellant, non sit tantum *medicinalis*, sed etiam *vindicativa* et *satisfactoria* pro peccatis. Non negat quidem Ecclesia catholica *epitimia* habere vim medicamenti spiritualis et ad emendationem ac in bono confortationem pœnitentis ordinari; sed docet etiam ea imponi *ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem*. Hæc autem nostra satisfactio totam suam efficaciam ex Christi meritis sumit, et ab eo omnino pendet. Theologi autem græco-russi nostri temporis, vestigiis Reformatorum inhærentes, doctrinam catholicam ita referunt quasi hæc satisfactionem pœnitentis a satisfactione Christi seorsum ponat, et in ejus injuriam ac detrimentum cedat; immo quidam ex ipsis Ecclesiæ catholicæ imputant quod doceat Christum non satisfecisse pro pœna temporali [2] ;

3° Ad solvendum pœnæ temporalis debitum, juvant etiam præsentis vitæ mala a christianis pœnitentibus patienter tolerata.

II. — Græco-Russorum recentiorum doctrina.

Jam vero huic doctrinæ directe adversantur major pars theologorum græco-russorum nostri ævi; qui docent totam pœnam peccato debitam per absolutionem sacerdotalem semper remitti; et ideo epitimia a confessore imposita omni vi satisfactoria destitui et ad solam emendationem, paternam correctionem et in virtute profectum pœnitentis ordinari.

1. Ita, v. g., Grigorevskii, in *Lectione christiana*, 1906, t. II, p. 566.

2. Ita Bieliaev, in sua dissertatione inscripta : *Doctrina romano-catholica de prætensa satisfactione*, in *Pravoslavnyi Sobieciednik*, 1876, t. I, p. 381 sq. Hæc dissertatio invenitur in eodem commentario : 1874, t. II, 327-328; 1875, t. I, 255 sq.; t. II, 68 sq.; t. III, 137 sq.; 1876, t. I, 381-443; t. II, 3-50. E. Uspenskii, *Theologia polemica*, p. 118, eamdem calumniam repetit.

« Christus, inquiunt, pro peccatis nostris plenissime satisfecit, nosque ab omni pœna tum æterna tum temporali per absolutionem sacerdotis liberat. Doctrina catholica aut satisfactionem Christi imperfectionis et insufficientiæ arguit, aut asserit fidem et bona opera non sufficere ex parte hominis, ut merita Christi sibi appropriet et applicet : quod est subvertere dogma christianum de redemptione et justificatione. Fructus enim pœnitentiæ, quæ a peccatore exiguntur, ad hoc unice tendunt, ut sinceritatem ejus pœnitentiæ manifestent, non autem ut pœnam quamdam temporalem luant ac expient, quæ pro peccatis jam remissis divinæ justitiae deberetur. Insuper eadem doctrina justitiæ Dei adversatur, quandoquidem supponit Deum punire bis in idem, duplicem pro eodem peccato satisfactionem expetendo, satisfactionem Christi scilicet et nostram. Adversatur etiam Dei erga filios adoptivos charitati, dum vindictæ sensum ei tribuit. »

His argumentis ex ratione theologica petitis adjiciunt testimonia sacræ Scripturæ et Patrum. Provocant præsertim ad absolutionem paralytici et peccatricis ab ipso Christo, ad parabolam prodigi, ad plenam veniam latroni in cruce concessam. Ad testimonia autem Patrum quod attinet, fatentur quidem Patres quosdam, præsertim inter Latinos, antiquam exomologesim seu pœnitentiam publicam voce *satisfactionis* nuncupasse; sed, inquiunt, vox ista in operibus Patrum non eum sensum præ se fert, quem Catholici ei tribuunt; significat enim vel satisfactionem erga Ecclesiam, vel satisfactionem pro peccatis sensu omnino improprio et latissimo. Seligunt autem, inter textus patristicos, quos inveniunt rationem medicinalem epitimiorum vel hujus vitæ pœnalitatum ac malorum diserte exserentes — et hi quidem non desunt; — ubi autem Patres simpliciter affirmant — verum est enim epitimia habere rationem medicinæ et paternæ castigationis — illi propositiones ponunt exclusivas, quemadmodum et faciunt, quando de processione Spiritus Sancti agitur : *Procedit a Patre; ergo procedit a* SOLO *Patre — Epitimia sunt medicinalia; ergo sunt* TANTUMMODO *medicinalia et nullo modo pro peccatis satisfactoria* [1].

1. De doctrina satisfactionis apud Russos, A. Bukowski optimam edidit dissertationem, cui titulus : *Die Genugtuung für die Sünde nach*

Hujusmodi doctrina, quam Græco-Russi a Protestantibus mutuati sunt, jam inde a secundo dimidio sæculi XVIII inter Russos communis evasit, sub influxu scholæ procopovitsianæ. Theophanis editor ac continuator, Samuel Mislavskii, in tomo III *Christianæ orthodoxæ theologiæ* a se concinnato, Lipsiae, 1784, p. 700, expresse docet : « post remissam culpam nullam τιμωρίαν sive pœnam proprie dictam peccatoribus conversis et justificatis imminere; manere tamen interdum παιδείαν sive paternam castigationem et afflictionem medicinalem. »

Gabriel Petrov, Novogrodii et Petropolis metropolita, in *Explicatione liturgiæ*, eamdem tradit explicationem : « Sacerdos, inquit, pœnitenti confesso *quandoque* imponit epitimium; quod non est revera satisfactio — hanc enim in Salvatore solo, qui peccatum mundi sustulit, invenimus — sed tanquam medium ad vitæ emendationem statuitur [1]. »

Theophylactus Gorskii se idem sentire declarat, dum scribit :

« Canonem pœnitentialem et *piaculare supplicium* pœnitenti definit et imponit confessarius. Hoc autem nomine vocantur fructus pœnitentia digni post confessionem et absolutionem ex proposito suo faciendi perpetuo. Mulcta hæc sive *epitimia* indicat emendationem vitæ et studium quo homines christiani in pravis cupiditalibus reprimendis ac coercendis, ne iterum propullulent et in actum erumpant, utuntur [2]. »

Sylvester Lebedinskii *satisfactionem* quidem tanquam partem integralem pœnitentiæ retinet, at verbo potius quam re. Hæc enim in suo *Compendio classico* leguntur :

« Remissionem culpæ sive peccatorum obtinemus gratis

der Auffassung der russischen Orthodoxie, Paderborn, 1911 (*Forschungen zur christlichen Literatur und Dogmengeschichte*, t. XI, f. 1). De eodem argumento quædam diximus in *Échos d'Orient*, t. IX (1906), p. 321-330 : *La peine temporelle due au péché d'après les théologiens orthodoxes*. Cf. etian B. Suciu : *De natura medicinali et vindicativa epitimiorum in Ecclesia graeca, in Actis II conventus Velehradensis*, 1910, p. 95-103.

1. Hujus operis versionem græcam ab Eugenio Bulgari factam præ manibus habuimus : Τελετουργία ἱερά, Petropoli, 1799, p. 229, § 271 : « ὅπερ οὖν οὐκ ἔστι τῷ ὄντι ἱκανοποίησις· ταύτην γὰρ ἐν μόνῳ τῷ Σωτῆρι, τῷ τὴν ἁμαρτίαν ἄραντι τοῦ κόσμου, εὑρίσκομεν. »

2. *Op. cit.*, p. 254.

ex meritis Christi infinitis : *satisfactio* enim Deo pro peccatis commissis per opera est ἀσύστατος (= pugnat) cum gratuita remissione peccatorum. Hinc fit, ut *satisfactio* hic accipiatur nonnisi in sensu improprio et significatu latissimo. Unde merito a nonnullis satisfactio operis rejicitur [1]. »

Si ad sæculum XIX transeamus, theologi russi fere omnes, ad nostra usque tempora, in rejicienda satisfactione pro pœna temporali conveniunt, doctrinamque mox expositam plus minusve explicatam in eorum compendiis et dissertationibus invenies. Præcipui inter satisfactionis adversarios eminent Macarius Bulgakov, quem alii sæpe ad verbum transcribunt [2], Innocentius Novogorodov [3], Malinovskii [4], N. Ia. Bieliaev [5]. Quæstio de satisfactione et pœna temporali una erat ex iis, quæ in compendiis theologiæ polemicæ adversus Confessiones occidentales tractabantur [6]. Verum vero quis credat inter tot tantosque theologos Philaretum Drozdov dissonam vocem emittere, et hoc in illo *Catechismo longiori*, quem librum symbolicum Ecclesiæ russicæ, immo totius *Orthodoxiæ*, vulgo jactant? En hujusmodi *Catechismi* verba :

« *Quæstio :* Nonne sancta Ecclesia speciale medium adhuc adhibet ad *purificationem* et pacationem conscientiæ peccatoris pœnitentis? »

« *Responsio :* Tale medium est *epitimium.*

« *Quæstio :* Quid est *epitimium?* — *Resp :* Hujusmodi vox significat : « interdictum seu prohibitio » (cf. II Corinth., II, 6). Sub hac denominatione, pro opportunitate et

1. *Op. cit.*, p. 516. Plato Levkhin de satisfactione omnino silet in suo catechismo.

2. *Op. cit.*, p. 442-456.

3. *Bogoslovie oblitchitelnoe*, t. II, Kazanii, 1859, p. 288-304.

4. *Op. cit.*, p. 401-404.

5. *Dissertatio citata.* Cf. supra, p. 345, n. 2.

6. Cf. Truskovskii, p. 72-85; Perov, p. 91-104; Uspenskii, p. 119. Doctrinam protestanticam adhuc invenies in sequentibus operibus : 1° Sylvester Malevanskii, *op. cit.*, t. V, p. 41-49; 2° *Examen statutorum ecclesiasticorum de sacramento pœnitentiæ*, auctore anonymo, in *Prav. Sobiesiednik*, 1859, t. I, p. 385; 3° Iastrebov, *art. cit.*, p. 367-368; 4° P. Smirnov, *Expositio christianæ fidei orthodoxæ*, Petropoli, 1906, p. 114; 5° *De epitimiis et indulgentiis*, auctore anonymo, in *Lectione christiana*, 1852, t. I, p. 406-441.

necessitate, pœnitenti præscribuntur quædam piæ exercitationes, quædam abstinentiæ ad *reparationem (k zaglagdeniu) iniquitatis peccati*, necnon ad exstirpationem peccaminosæ consuetudinis, ut, v. g., jejunium ab illo distinctum quod est pro omnibus obligatorium et, pro gravibus peccatis, privatio sanctæ communionis ad certum tempus [1]. »

Ergo, juxta Philaretum, epitimium non solum habet rationem medicinæ, sed etiam rationem reparationis et satisfactionis pro iniquitate peccati : quod cum doctrina concilii Tridentini omnino congruit.

Antonius Amphiteatrov item docet *epitimium* esse « pœnam spiritualem et *retributionem* seu *compensationem pro peccatis (voznagragdeniia)*, quæ quandoque imponitur a patre spirituali *secundum gravitatem peccatorum* et dispositionem conscientiæ pœnitentium [2]. » Recenter vero A. Maltzev doctrinam catechismi Philareti suam fecit [3]; cui etiam, anno 1910, P. Svietlov tandem suffragatus est, postquam de hac quæstione quædam secum pugnantia primum scripserat [4].

In jejunis compendiis theologiæ dogmaticæ a Serbis vel Rumenis editis, doctrina anticatholica occurrit [5].

Inter Græcos vero, primus qui existentiam pœnæ temporalis peccato per absolutionem remisso debitam negaverit, saltem pro vivis [6], videtur fuisse Meletius Pigas. Hic enim in suo opere inscripto Ὀρθόδοξος διδασκαλία, Vilnæ, 1596, discipulo partes Latinorum sustinenti et dicenti : « Etiamsi peccatores pœnituerint, et remissionem peccatorum per pœnitentiam consecuti fuerint, at pro peccatis castigatio

1. *In x articulum symboli.*
2. *Op. cit.*, ed. Mosquensis anni 1852, p. 243.
3. *Die Sakramente der orthodoxen Kirche*, p. CXXXVII.
4. Cf. Bukowski, *op. cit.*, p. 107-111. In secunda editione sui operis : *Doctrina fidei christianæ*, Kioviæ, 1910, p. 192 sq., Svietlov ad *Catechismum* Philareti provocat, ut ostendat nullam veram discrepantiam existere inter Catholicos et Græco-Russos quoad satisfationem sacramentalem.
5. Cf. Firmilian, *Theologia dogmatica*, Carlovitsii, 1900, t. II, p. 121-122; Milasch, *Jus ecclesiasticum*, ed. græca, p. 804-805; Michalcescu, *op. cit.*, p. 236; Olariu, *op. cit.*, p. 309; S. Calinescu, *op. cit.*, p. 237-244.
6. Fuerunt enim ante Meletium qui existentiam alicujus pœnæ temporalis post mortem luendæ negaverunt.

(κόλασις) manet, sicut videmus super Maria sorore Moisis et Aaron, et adhuc clarius super David propheta », hunc in modum respondet :

« Dictum cum justitia et bonitate Dei non congruit. Quanquam enim propter peccatum juste punit Deus, *at vero ubi per pænitentiam deleta fuerint peccata, transit omnino et evanescit punitio. Non enim correctio* (ἡ παιδεία) *est punitio* (κόλασις). Deus punit ad sumendam vindictam de inimicis; castigat vero filios ad monitionem; *Si enim*, inquit, *correctionem sustinetis, cujus participes facti sunt omnes sancti, tanquam filiis vobis se offert Deus* (Hebr., XII, 7-8). Punitio est iræ vindicta; correctio vero est paternæ benevolentiæ admonitio [1]. »

Et pergit auctor asserendo hujus vitæ tentationes, flagella, afflictiones in justis non esse ad castigationem et vindictam peccati, sed ad probationem virtutis, meriti augmentum vel ad cautionem contra peccatum.

Meletius inter suos gentiles non videtur habuisse discipulos; nam, ut mox dicemus, theologi græci qui post eum fuerunt, doctrinæ catholicæ communiter adhæserunt usque ad secundum dimidium sæculi XIX. Inde vero ab hoc tempore, sub manifesto influxu Russorum, plerique ex ipsis sententiam Reformatorum amplexi sunt. Hæc occurrit apud theologos : Mesolaram [2], Andrutsum [3], Dyovuniotam [4], N. Amvrazim [5]; apud canonistas : Apostolum Christodulu [6], C. Rhallim [7]; apud polemistam Joannem Cassianum [8]; apud liturgistam

1. Ὀρθόδοξος διδασκαλία, ed. Iasiensis, 1769, p. 310 sq. : « Ὅπου διὰ τῆς μετανοίας ἐξαλειφθῶσιν αἱ ἁμαρτίαι, οἴχεται πάντως καὶ συναφανίζεται τὰ τῆς κολάσεως... Οὐ κόλασις ἡ παιδεία. »

2. *Op. cit.*, p. 306-313.

3. Andrutsus fuse tractat de satisfactione et pœna temporali tum in sua *Theologia dogmatica*, p. 384 sq., tum præsertim in *Symbolica*, p. 307-337.

4. Τὰ μυστηρία, p. 144-147.

5. Ἡ ὀρθόδοξος Ἐκκλησία ἐν σχέσει πρὸς τὰς ἄλλας χριστιανικὰς Ἐκκλησίας ἐξεταξομένη, Athenis, 1906, p. 208.

6. Δοκίμιον ἐκκλη. δικαίου, Constantinopoli, 1896, p. 411-412.

7. Περὶ τῶν μυστηρίων τῆς μετανοίας καὶ τοῦ Εὐχελαίου, Athenis, 1905, p. 50-51, 65-66.

8. Ἀπόκρισις πρὸς τὴν ἐγκυκλικὴν ἐπιστολὴν Πίου τοῦ ἐνάτου, Corcyræ, 1848, p. 56.

Nicolaum Persidem [1]; apud Bernardakim [2] et plures alios catechismorum auctores [3].

Unanimitas tamen in errore etiam apud Græcos hodiernos nequaquam existit, quemadmodum et inter Russos illam deesse vidimus. Recentissime enim notus de rebus theologicis polygraphus, Nectarius Kephalas, diserte affirmavit existentiam pœnæ temporalis, docuitque aliquam pœnam pœnitenti a confessario imponi tum ad emendationem delinquentis, tum *ut per voluntariam afflictionem mitiorem experiatur Dei temporalem castigationem* [4]. Juxta eumdem theologum, pœnitens debet divinæ justitiæ *satisfacere*, Deum *placare* [5]. « Qui hanc satisfactionem rejiciunt, inquit, quasi hæc satisfactionem Christi evacuet, obliviscuntur quæstionem esse de christianis peccatoribus, non vero de infidelibus. Reconciliatio nostra jam facta est per Jesum Christum; peccando autem iram ipsius Salvatoris excitavimus, et per pœnitentiam confessionemque eum placare quærimus, per bona opera nos voluntatem nostram cum voluntate Christi unam facere ostendentes. Hæc vocamus ἱκανοποίησιν divinæ justitiæ, cujus jura per iniquitatem attentavimus [6]. Satisfactio ejus qui non est baptizatus nequaquam valet ad satisfaciendum divinæ justitiæ. Satisfactio christiani vero, quæ fit per pœnitentiam et bona opera, est potius actio eo spectans ut propter peccata propria Deum propitium reddat [7]. » Notandum insuper inter Græcos nostri ævi circumferri opera theologica, in quibus disertam affirmationem doctrinæ catholicæ de satisfactione et pœna temporali invenire est. Sufficiat hic memorare ver-

1. Ἑρμηνεία τῶν ἱερῶν τελετῶν τῆς ἀνατολικῆς ὀρθοδόξου Ἐκκλησίας, Athenis, 1903, p. 115.

2. Ἱερὰ κατήχησις, p. 175.

3. Cf. Catechismos Damasceni Christoduli, p. 61, G. Gegle, p. 79, Nicolai Metaxæ, p. 23, Constantini Baphidis, p. 104, Minæ D. Khamudopuli, p. 85.

4. « Καὶ ἵνα διὰ τῆς ἑκουσίου καὶ προαιρετικῆς θλίψεως μετριωτέρας πειραθῶσι τῆς τοῦ Θεοῦ προσκαίρου ῥάβδου. » Nectarius Kephalas, Μελέται περὶ τῶν θείων μυστηρίων, Athenis, 1915, p. 85.

5. « Νὰ ζητήσῃ νὰ ἱκανοποιήσει τὴν θείαν δικαιοσύνην καὶ ἐξιλεώσῃ τὸ θεῖον. » *Ibid.*, p. 86.

6. *Ibid.*, p. 72, n. 1.

7. *Ibid.*, p. 94, n. 1.

sionem *Catechismi longioris* Philareti [1], versionem *Theologiæ* Antonii Amphiteatrov; Ἐξομολογητάριον Nicodemi Haghioritæ (prima ed., Venetiis, 1794; quarta, ibidem, 1835), quod integrum caput habet de satisfactione et pœna temporali [2]; *Petram scandali* Eliæ Meniatæ, cujus testimonium infra referemus; *Confessionem fidei* Dosithei, etc.

Exposito jam quæstionis statu de satisfactione apud theologos dissidentes nostri ævi, restat ut de eodem argumento interrogemus antiquos Byzantinos aliosque theologos, qui post ipsos usque ad secundum dimidium sæculi XVIII fuerunt; ex quo doctrinam Reformatorum apud Græco-Russos recentis esse invectionis, nullasque radices in veteri traditione Ecclesiæ orientalis habere liquido apparebit.

III. — Antiquorum theologorum doctrina.

Apud Byzantinos antiquiores, certas definitiones et distinctiones Scholæ circa reatum culpæ et reatum pœnæ æternæ vel temporalis incassum quæres; verumtamen apud illos invenies præcise notatam differentiam inter sacramentum baptismi et sacramentum pœnitentiæ. Secundum eorum doctrinam, baptisma plenam et gratuitam peccatorum absolutionem secum affert; pœnitentia vero est quidem secundum baptisma, sed baptisma laboriosum, quo ad statum baptismalem revocamur non sine magnis fletibus et operibus laboriosis, quæ in sacra Scriptura pœnitentiæ fructus nuncupantur. Ita sentit Simeon Novus Theologus, qui dicit pœnitentiam « non remittere peccata nisi per labores, sudores, gemitus et lacrymas. Qui per ignorantiam baptismi gratiam neglexit, gravibus pœnis et animadversionibus peccata admissa compensare debet, et lacrymas ad baptismi fontem exæquandum fundere, ac insuper Deum orare, ut usque ad finem curationis vitam degere sibi concedatur, ne ante sanationem abreptus et damnatus, in gehenna pro

1. Hæc versio ab A. Coromila edita est. Tertia ed., Athenis, 1848.

2. P. 282-288 editionis anni 1835. Nicodemus a Gabriele Severo plura mutuatur. « Præter κανόνα sacerdotis, inquit, pœnitens alia opera laboriosa sibi imponere debet : διὰ νὰ ἐξιλεώσῃ μὲ τὸν αὐτὸν πρόσκαιρον κανόνα τὴν θείαν δικαιοσύνην περισσότερον. P. 287.

eo quod meruit, torreatur [1]. » Michael Glykas item declarat solum baptisma esse, secundum sanctos Patres, quod peccatorum remissionem celerem et laboris expertem concedat. Et hoc merito, inquit, quia venia digna sunt, quæ ante baptisma committuntur peccata, utpote quæ ex ignorantia processere; quæ vero post *illuminationem* perpetrantur, multis lacrymis indigent, quia scienter peccamus. Huic doctrinæ non adversatur exemplum boni latronis in paradisum statim recepti [2].

Confessio fidei Michaelis Palæologi existentiam alicujus pœnæ temporalis peccato per pœnitentiam remisso debitæ, et sive in hac vita sive post mortem tolerandæ diserte docet [3]. Huic doctrinæ non reclamaverunt Græci, sed ei potius suffragati sunt, etiam in concilio Florentino, saltem quod attinet ad pœnam temporalem pro hac vita. Verum quidem est Marcum Ephesium, in sua secunda de purgatorio oratione Ferrariæ habita, diserte negasse distinctionem Latinorum inter culpam et pœnam, et docuisse Deum simul remittere et culpam et totam pœnam : « Si Dei offensa pœnam promeretur, sublata causa et facta reconciliatione, effectus ipse, id est pœna, simul necessario tollatur oportet. Sic publicanus, animo contrito ubi oravit, non a peccatis modo solutus est, verum etiam *justificatus descendit;* quod idem est ac si diceretur nulli amplius pœnæ obnoxius, etc. [4] » At vero Marcus non sibi semper constitit. In prima enim de purgatorio oratione, existentiam alicujus pœnæ temporalis

1. *Oratio I*, *P. G.*, t. CXX, col. 326, 328-329.

2. *Cap. theolog.* XIX, *op. cit.*, t. I, p. 227, 235, 238. Exemplum Davidis in medium affert, p. 228-229 : « Οὐδὲ ἀμόχθως αὐτῷ συγγνωμὴ τῶν ἐπταισμένων ἐδίδοτο. »

3. « Quod si vere pœnitentes in charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint et omissis (πρὸ τοῦ τὸ ἱκανὸν ποιῆσαι), eorum animas pœnis purgatoriis, hoc est catharterii (ποιναῖς πουργατορίου ἤτοι καθαρτηρίου), quemadmodum frater Joannes nobis notificavit, post mortem purgari, et ad pœnas hujusmodi relevandas prodesse eis fidelium vivorum suffragia. » Theiner-Miklosich, *op. cit.*, p. 9, 17, 26-27.

4. « Τοῦ αἰτίου λυθέντος καὶ τῆς καταλλαγῆς γενομένης, καὶ τὸ αἰτιατόν, ὅπερ ἐστὶν ἡ κόλασις, ἐξ ἀνάγκης συνδιαλέλυται. » L. Petit, *Documents relatifs au concile de Florence. I. La question du purgatoire à Ferrare*, in *Patrologia orientali*, t. XV, p. 130-131.

peccato gravi per pœnitentiam remisso debitæ quoad sensum affirmaverat his verbis :

« Si animæ in fide et caritate ex hac vita decesserint, maculis tamen nonnullis fœdatæ, sive levioribus, quarum eas omnino non pœnituerit, *sive etiam gravioribus, de quibus pœnitentiam quidem egerint, fructus vero pœnitentiæ ante mortem non ostenderint :* eas pro ratione talium culparum plane purgari credimus non per ignem aliquem purgatorium ac determinata certo in loco supplicia (nam id, uti diximus, nusquam traditum existit), sed alias quidem in ipso exitu e corpore per ipsum solum metum, sicuti etiam sanctus Gregorius Dialogus diserte pronuntiat, alias vero etiam post exitum, sive in ista regione terris citima commorentur..., sive etiam in inferno detineantur et ipsæ, non certe ut in igne ac supplicio, sed ut in custodia et carcere constrictæ, cum graviores fuerint culpæ ac tempore longiore expiandæ [1]. »

In sua tertia de eodem argumento oratione, idem de epitimiis in sacramentali confessione a confessore impositis hæc habet :

« Remissionem peccatorum neutiquam tribuimus nisi cum ejusmodi epitimiis. Sic autem agimus multis ex causis. Prima quidem est, *ut peccator per molestiam his in terris ultro susceptam, illic invitam castigationem effugiat;* neque enim ullus omnino cultus Deo perinde gratus est, ut afflictio, ait Gregorius Theologus, et lacrymis benignitas ab eo reperditur. » Altera est, ut carnis sensus ad voluptatem pronus... hac laboriosa methodo adhibita auferatur; nam contraria, ut aiunt, per contraria curantur, et necesse est ut voluptas per dolorem evellatur. Tertia est, ut vinculi ac fræni instar animæ sit pœna irrogata, ne eadem in posterum committantur delicta. Quarta est, cum virtus natura sua laboriosa res sit, ille laboribus assuescat oportet, qui ad ejusdem habitum pervenire voluerit... Quinta, ut pœnitens, datum epitimium acceptando, argumenta nobis præbeat prorsusne peccatum odio prosequatur [2]. »

1. « Ἵνα διὰ τῆς ἐνταῦθα κακοπαθείας, ἣν ἔχων ὁ ἡμαρτηκὼς καταδέχεται, τῆς ἀκουσίου τιμωρίας ἐκεῖσε ἀπαλλαγῇ. » *Ibid.*, p. 167. Hunc locum suo *I Responso ad Reformatos* inseruit Jeremias II, c. XII.

2. « Ἴνα διὰ τῆς ἐνταῦθα κακοπαθείας, ἣν ἔχων ὁ ἡμαρτηκὼς καταδέχεται, τῆς ἀκουσίου τιμωρίας ἐκεῖσε ἀπαλλαγῇ. » *Ibid.*, p. 167. Hunc locum suo *I Responso ad Reformatos* inseruit Jeremias II, c. XII.

Cæterum quidquid sit de sententia ipsius Marci, videmus Græcos unionis amicos decreto Florentino, in quo verba *Confessionis Michaelis Palæologi* de animarum statu post mortem repetuntur, subscripsisse; adversarios vero doctrinam de sacramentali satisfactione non impugnasse, etsi purgatorium — plerumque verbo potius quam re — impetiverint.

Jam ante concilium Florentinum, Simeon Thessalonicensis existentiam pœnæ temporalis tum pro vivis tum pro defunctis non semel perspicue affirmaverat. Hæc doctrina in ipsa sacramenti pœnitentiæ definitione, quam tradit ille, implicite includitur : « Pœnitentia, inquit, salutis fidelium post baptismum summa est, et aliud purgatorium alterque baptismus per confessionem et humilitatem *in lacrymis et laboribus secundum vires susceptis* feliciter institutus [1]. » In *Responso IV ad Gabrielem Pentapolitanum*, essentiam dogmatis purgatorii his tradit verbis : « Si qui moderate peccaverint et cum *pœnitentia sola* ex hac vita excesserint, per sacrosanctum sacrificium et bona opera possunt libertatem consequi ante judicis adventum. Et hoc probans Ecclesia, pro defunctis preces et sacrificia peragit [2]. » Alio in loco, de precibus et bonis operibus pro defunctis hæc habet : « Per has preces et orationes et sacra sacrificia et erga pauperes beneficia non solum qui deliquerunt et cum pœnitentia egressi sunt a corpore remissio et relaxatio conceditur, *et punitionis liberatio*, καὶ τῆς τιμωρίας ἀπαλλαγή, sed et illis qui juste vixerunt, et fine bono et Deo complacito vitam terminarunt, major purgatio et sublimatio tribuitur [3]. »

Gabrieli vero interroganti num remissionem consequatur quisquis confitetur, idque in tribus horis, ut ait Chrysostomus, ita respondet : « Per veram pœnitentiam omnis homo mundatur, sua sigillatim confitendo peccata, declinando a malo et se ad bonum convertendo Deoque vere promittendo se non amplius peccaturum; statimque veniam obtinet, et non in tribus horis, ut dicis... *Veniam quidem suscipit*

1. *De pœnitentia*, *P. G.*, t. CIV, col. 469.
2. *Responsa ad Gab. Pent. Ibid.*, col. 846.
3. *De ordine sepulturæ*, c. 372. *Ibid.*, col. 693.

homo vere pœnitens, non vero honorem et ascensionem; sed condemnatus ad mortem, ab illa eximitur, id est a supplicio (τουτέστι μὴ κολασθῆναι [in gehenna]), *nondum tamen dignus habetur mercede et corona. Quare contendunt dum vivunt homines et pro seipsis et pro parentibus mortuis.* Contingit autem, ut alacri et impigro pœnitentiæ zelo aliquis Dei benovolentia non solum venia, sed et præmio donetur, ut factum est pro latrone et pro ipsa meretrice [1]. »

Georgius Scholarius sanæ doctrinæ luculentius adhuc suffragatur in suo opusculo inscripto : *Doctrina de mortalibus et venialibus peccatis.* De venialibus sermonem faciens sequentia profert :

« Hæc omnia condonantur, etiamsi non præbeatur pro ipsis satisfactio, ex Dei bonitate [2]. Providit, Deo concedente, pro ipsis Ecclesia, dum vivunt quidem qui his detinentur peccatis, per Euchelæi sacramentum; postquam autem e vita cesserint, per suffragia pro omnibus defunctis de more oblata. Efficacissimum porro contra mortalia peccata est pœnitentia, si vera sit et firma, in cordis contritione et in confessione et in satisfactione consistens, ἂν ἀληθὴς ᾖ καὶ βεβαία, ἐν συντριβῇ καρδίας καὶ ἐξαγορεύσει καὶ ἱκανοποιήσει συνισταμένη. Ubi vero mors superveniens vel alia quæcumque necessitas confessionem et satisfactionem impediverit, sufficit cordis contritio, modo sincera sit. Quemadmodum enim sacramento baptismatis originale ac naturale deletur peccatum, ita sacramento pœnitentiæ actualia peccata. His vero condonatis, recuperantur omnia bona per peccatum prius amissa ac subducta. Cum enim per actum peccati homo Deo inimicus constituatur — fieri namque impossibile est aliquem peccati simul atque Dei esse amicum; maculam vero et dedecus peccato congruum sibi adsciscit peccator — postquam peccare cessaverit, inimicitia quidem per pœnitentiam statim dissolvitur; et quemadmodum per affectum ad peccatum inimicus Dei constitutus est, ita peccati

1. *Resp. ad Gabrielem*, col. 921.

2. Notandum est doctrinam Scholarii de venialibus peccatis (τὰ συγγνωστὰ ἢ ἀφέσιμα ἁμαρτήματα) cum doctrina theologorum catholicorum de iisdem non omnino convenire. Theologus enim byzantinus inter venialia recenset peccata *mere interna* contra quintum, sextum, nonum et decimum præceptum Decalogi.

detestatione ad dilectionem ipsius Dei revertitur; et ad conversum sine mora Dominus se convertit. *Macula autem peccati, quæ remanet, satisfactione deletur* [1]. Et peccatorum multitudo nulla vel gravitas, quæ per veram pœnitentiam non condonetur, inimicitia quidem per aversionem ab ipsis sublata, *macula vero satisfactione purgata sive in hac vita ab ipso peccatore, sive posteaper Ecclesiæ remedia. Qui vero in ipso actu peccati quod est ad mortem, cedit e vita, necesse omnino* est illum abire non solum cum macula peccati, verum etiam cum inimicitia ipsa et mortificatione, et propterea in perpetuum atque inevitabiliter vita æterna excidisse. Unde, beatissimi quidem sunt illi, qui nunquam ad mortem peccarunt, utpote mortem nunquam experti. Qui vero de peccatis mortalibus pœnitentiam egerunt in hac vita, et ipsi etiam beati, qui proprio studio et Dei misericordia revixerunt. Qui autem impœnitentes in mortalibus culpis mortui sunt, miserrimi sunt, utpote qui hic mortui sunt, et illuc ob propriam insipientiam pervenerunt [2]. »

1. « Ὁ δὲ ῥύπος μένων τῆς ἁμαρτίας τῇ ἱκανοποιήσει ἀπαλείφεται. » Hic ῥύπος τῆς ἁμαρτίας, remanens post ipsius peccati absolutionem ac deletionem, idem est ac *reatus pœnæ temporalis* theologorum nostrorum.

2. « Τῆς μὲν ἔχθρας τῇ ἀποστροφῇ αὐτῶν εὐθὺς λυομένης, τοῦ δὲ ῥύπου ἱκανοποιήσει καθαιρομένου ἢ ἐν τῇ ζωῇ ταύτῃ ὑπ'αὐτοῦ, ἢ ὕστερον διὰ τῶν τῆς Ἐκκλησίας φαρμάκων. Τὸν δὲ ἐν τῇ ἐνεργείᾳ τῆς πρὸς θάνατον ἁμαρτίας ἀποχωροῦντα τοῦ ζῆν, ἀνάγκη πᾶσα μὴ μόνον τὸν ῥύπον τῆς ἁμαρτίας ἀλλὰ καὶ τὴν ἔχθραν ἐπιφερόμενον ἀπιέναι καὶ τὴν νέκρωσιν, καὶ διηνεκῶς ἐκπεπτωκέναι καὶ ἀπαραιτήτως διὰ τοῦτο τῆς αἰωνίου ζωῆς. » Gennadius Scholarius, Διδασκαλία περὶ τῶν θανασίμων καὶ συγγνωστῶν ἁμαρτημάτων : opusculum a Sergio Macræo una cum alio ejusdem opere, inscripto , « Νόμος εὐαγγελικός », Constantinopoli, anno 1806 editum, p. 74-75. Eamdem doctrinam non minus diserte tradit Scholarius in tribus dissertationibus de sorte animarum post mortem, speciatim in tertia, quæ ex professo tractat de animabus mediis seu Purgatorii. Cf. *Œuvres complètes de Georges Scholarios*, Parisiis, 1928, t. I, p. 505-539. Vide p. 511-513, 523-526, 533. In hoc ultimo loco, hæc verba occurrunt : « Ἡ τῶν Ὀρθοδόξων Ἐκκλησία δοξάζει τὰ αὐτὰ μὲν σχεδὸν τῇ ῥωμαϊκῇ, ὅσον πρὸς τὸ μὴ εἰσέρχεσθαι εἰς τὴν αἰώνιον ζωὴν τοὺς ἐνοχῇ τῶν ἀφεσίμων τυγχάνοντας αὐτίκα, ἀλλὰ... ἀντὶ τῆς ἐντεῦθεν ὀφειλομένης ποινῆς, ἣν οὐκ ἔφθασαν ἀποτίσαι καλῶς καὶ ἱκανοποιῆσαι, τὴν ἀναβολὴν ὑπέχειν τῆς ἀποκειμένης ἀμοιβῆς καὶ τῆς τοῦ Θεοῦ δόξης τὴν πρόσκαιρον στέρησιν.., ὧν δὴ ψυχῶν πρὸς ταχυτέραν ἀπαλλαγὴν τοῦ περὶ τὴν γῆν τοῦδε τόπου

Apud Russos veteres, teste C. Smirnov in sua dissertatione : *De patre spirituali in Russia antiqua*, epitimium a confessore pænitenti præscriptum non solum ut medicina, sed etiam ut punitio pro peccatis habebatur [1]. Et hoc non mirum, cum suam fidem Russi a Byzantinis acceperint.

Sæculo XVI et sæculo XVII, doctrina de pœna temporali peccato debita omnino communis est tum apud Græcos tum apud Kiovienses et Moscovitas. Si Meletium Pigam excipias, qui in hac quæstione, ut vidimus, Reformatorum placitis assensit, alii theologi catholicæ doctrinæ adhærent. Ita Gabriel Severus in *Enchiridio de sacramentis*, qui de satisfactione sacramentali hæc habet :

« Tertia pænitentiæ pars est satisfactio, ἡ ἱκανοποίησις, quæ est adimpletio practica canonis, quem pater spiritualis habens potestatem, peccanti imposuit pro peccatis, secundum sanctæ Ecclesiæ traditionem et sacrorum canonum pœnam spiritualem. Hanc non modo docuerunt catholicæ Ecclesiæ præcones, sed etiam divina Scriptura clarissime prædicat... Ideo sanctæ synodi et a Deo inspirati Patres... satisfactionem peccatoribus particulatim imposuerunt, et accurate definierunt secundum peccatorum quantitatem et qualitatem; quibus qui non acquieverit ad illa tribunalia mittatur necesse est quæ illic sunt, et scelerum, quæ perpetravit, rationem reddet, utpote qui sanctæ Ecclesiæ leges despexit et abrogavit... Satisfactio fit per os, per corpus et per opera... Satisfactio fit per corpus, cum quis per beneficentiam et eleemosynam divinum numen sibi propitiatur, τὸ θεῖον ἐξιλεοῦται et sua ipsius peccata purgat [2]. »

Idem, in *Tractatu de quinque differentiis*, diserte affirmat

συμβάλλεται τὸ τῆς Ἐκκλησίας ἔθος : Orthodoxorum Ecclesia eadem fere tenet quæ Romana de iis qui cum reatu venialium peccatorum decedunt, quatenus illi non statim in vitam æternam ingrediantur, sed... *loco pœnæ hujusmodi peccatis debitæ, pro qua plenam satisfactionem nondum præstiterunt ac solverunt*, dilationem promissæ retributionis temporalemque gloriæ Dei privationem sustineant... quorum animabus, ut ex hoc loco, qui terram circumdat, citius liberentur, opem ferunt consueta Ecclesiæ suffragia. » Cf. etiam ea quæ de doctrina Scholarii in tractatu de novissimis dicuntur.

1. *Bogoslovskii Viestnik*, 1898, t. I, p. 187, nota 2.

2. *De pœnitentia*, c. IV et X. Cf. Schelstrate, *op. cit.*, p. 325-326; Chrysanthus, *op. cit.*, p. ριγ' sq.; ed. Ven., 1691, p. 104-105.

existentiam pœnæ temporalis post mortem pro quibusdam defunctis, pro iis christianis scilicet qui spem habent liberationis : « Placet mihi, inquit, hæc sententia quorumdam doctorum Ecclesiæ occidentalis, qui dicunt ignem æternum esse illum, ad quem pergunt animæ, et *puniuntur ad tempus*, καὶ τιμωροῦνται πρὸς καιρόν. Hic vero ignis, ad naturam suam quod attinet, est æternus, ita a Deo creatus; dicitur autem et temporalis, non quoad naturam suam, sed propter illas animas, quæ exhinc liberantur [1]. »

In *I Responso ad Tubingenses*, Jeremias II sua facit verba Marci Ephesii supra relata de quinque rationibus propter quas epitimia imponuntur [2]. Quando vero de defunctis loquitur, non sibi plane constat, ut in tractatu de novissimis dicetur.

Laurentius Zizanii, in *Magno Catechismo*, catholice omnino sentit de satisfactione sacramentali, necnon de pœna temporali post mortem luenda iis, quibus tempus defuit dignos paenitentiæ fructus faciendi [3].

Petrus Moghila, in Trebniko, ad verbum fere transcribit monitionem concilii Tridentini ad confessores circa satisfactiones paenitentibus imponendas : « Caveat sacerdos, inquit, ne epitimium leve pro gravibus peccatis imponat.., quia satisfactio *non est tantum ad novæ vitæ custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum castigationem* [4]. » Quod si in *Confessione orthodoxa* a Moghila primum composita diserte negatur existentiam alicujus castigationis temporalis post mortem [5], hoc correctori hujus documenti, Meletio Syrigo scilicet, tribuendum est. Quod autem spectat ad pœnam temporalem vivis incumbentem, hæc in tertia parte hujus *Confessionis* insinuatur, ubi dicitur jejunium *Deum placare, multum valere ad eum propitiandum* [6].

1. *De quarta differentia*, ed. Const., 1627, p. 51.
2. *I Responsum*, c. XII.
3. *Magnus catechismus*, Mosquæ, 1627, fol. 389 sq. Cf. *Trudy Kiov.*, 1898, t. II, p. 263-264, t. III, p. 281.
4. *Trebnik*, Kioviae, 1646, p. τμδ'.
5. I p., q. XLVI.
6. « III p., q. VII : « Ἡ νηστεία αὕτη, ὅταν γίνεται κατὰ τοὺς προσήκοντας τρόπους, κάνει μεγάλον ἱλασμὸν εἰς τὸν Θεὸν διὰ τὰς ἁμαρτίας μας. »

Catholice omnino sonat *Confessio Dosithei*, c. XVIII : « Qui peccatis mortalibus corrupti sunt, non tamen in desperatione e vita migrarunt, sed in corpore adhuc superstites pœnituerunt quidem, nullum autem pœnitentiæ fructum fecerunt : lacrymas videlicet effundendo, flexis genibus in orationibus vigilando, semetipsos afflictando, pauperes recreando, suam denique quum in Deum tum in proximum caritatem operibus demonstrando — quæ omnia *satisfactionem*, ἱκανοποίησιν, catholica Ecclesia ab initio recte appellavit — ipsorum animas credimus ad inferos abire ibique pro iis quæ commisere peccatis *sustinere pœnam*, ποινὴν ὑπομένειν, conscias vero esse suæ exhinc futuræ liberationis [1]. »

Metrophanes Critopulus ipse ejusdem sententiæ est in sua *Confessione fidei*. In capite X, ubi de sacramento pœnitentiæ agit, hæc de epitimio habet :

« Deinde etiam pœna quædam infertur pœnitentibus ab iis qui illorum peccata audiverunt, tum ad emendationem, ne amplius inordinate vivant, tum ut per afflictionem voluntariam ac sponte electam *Dei virgam temporalem* mitiorem experiantur [2]. »

Item in cap. VI, de necessitate bonorum operum disserens : « Necessaria sunt, inquit, electis bona opera, primo ut fides eorum non mortua sed viva et fructifera esse videatur... Deinde etiam ut per ea *temporalem pœnam effugiant, cui subjacent*, postquam officio deerint [3]. » Nec minus diserte docet pœnam temporalem quibusdam defunctis incumbentem :

« Morbi oriri solent etiam ex peccatis, tanquam pœna electis a recto aberrantibus divinitus superveniens, in correctionem et castigationem reliquæ vitæ, necnon allevationem atque aversionem *pœnæ, quæ est post mortem; quam*

1. Dositheus sententiam mutavit circa pœnam temporalem post mortem. In suo enim Ἐγχειριδίῳ κατὰ τῆς καλβινικῆς φρενοβλαβείας, Bucarestii, 1690, p. 82-84, sententiæ Meletii Syrigi et quibusdam dictis Marci Ephesii adhæsit, medium statum animarum negans liberationemque aliquorum damnatorum docens per Ecclesiæ preces. Cf. *Tractatum de novissimis.*

2. « Μετριωτέρας πειραθῶσι τῆς τοῦ Θεοῦ προσκαίρου ῥάβδου. »

3. « Ἵνα δι'αὐτῶν φύγωσι τὴν πρόσκαιρον ποινὴν, ἣ ὑπόκεινται, ἐπὰν τοῦ δέοντος ἁμάρτωσι. ».

anima sola absque corpore sustinet, temporaliter quidem et cum bona spe ut illam in die Domini effugiat; ægre caeteroquin et valde difficulter perferendam [1]. »

Alii theologi sæculi XVII, ut Nicolaus Kursulas [2], Georgius Coressius [3], ejusque discipulus Gregorius Chiensis [4], cum præcedentibus omnino conveniunt. Idem affirmandum est de plerisque theologis sæculi XVIII, præter illos Russos, quos supra ostendimus errore protestantico imbutos. Nomina quædam clariora memorare satis sit :

Stephanus Iavorskii, in septimo tractatu *Petræ fidei*, qui de *suffragiis pro defunctis* inscribitur, ad instar loquitur nostrorum scholasticorum, inter reatum culpæ et reatum pœnæ, et iterum inter pœnam æternam et pœnam temporalem optime distinguens. Culpa mortalis et pœna æterna ei debita per sacramentum pœnitentiæ in terra remittuntur paenitentibus; pœna vero temporalis, quæ vitæ præsentis tempore soluta non fuerit, per vivorum suffragia post mortem condonari potest [5].

Græcus Elias Meniates, in *Petra scandali*, non minus orthodoxe loquitur de illa tertia classe defunctorum, « qui morte præventi (postquam de suis peccatis pœnituerunt), *canonem* suum (seu satisfactionem sacramentalem) non perfecerunt; et ideo, quoniam hic divinæ justitiæ non satisfecerunt, illic ei satisfacere debent. Κανονίζονται ergo illic, puniuntur (κολάζονται), donec debitum exsolverint. » Solvunt

1. C. XIII.

2. Kursulas, in t. II τῆς Συνόψεως τῆς ἱερᾶς θεολογίας, p. 315-426, de sacramento pœnitentiæ fuse tractat catholica mente et scholastica ratione : « Μετὰ τὴν τοῦ πταίσματος ἄφεσιν, ὑπομένει πολλάκις ὀφειλή τις προσκαίρου ποινῆς. » P. 411.

3. *Tractatus de purgatorio* nondum edito, ab Allatio et a Valentino Loch, *Das Dogma der griechischen Kirche vom Purgatorium*, Regensburg, 1842, p. 133-134, laudato. Coressius loquitur de medio statu eorum defunctorum qui, postquam de peccatis mortalibus a se commissis pœnituerint et ab eis absoluti fuerint, morte correpti sunt, antequam pro peccatis plenam satisfactionem obtulerint. Talibus luendæ sunt *in inferno temporales pœnæ ad purificationem*, συνείρουσιν ἄρ' ᾅδου τοῖς τοιούτοις ἔγχρονοι πρὸς καθαρισμὸν ποιναί.

4. *Op. cit.*, Cf. Schelstrate, *op. cit.*, p. 381 sq.

5. *Kamen viery*, ed. 1743, t. II, p. 399.

autem hoc debitum divinæ justitiæ per τιμωρίαν, quam patiuntur; cujus natura solo Deo nota est [1].

Chrysanthus item Hierosolymitanus tum in *Confessione fidei*, ubi doctrinam de indulgentiis probat [2], tum in editione tractatus Jobi de sacramentis, cui, ut vidimus, τὴν ἱκανοποίησιν proprio marte inseruit, a recto tramite prædecessorum non recedit.

Antonius Moschopulus demum, cujus Ἐπιτομὴ τῆς δογματικῆς καὶ ἠθικῆς θεολογίας tardius lucem aspexit, de satisfactione sacramentali disserit sicut unus e nostris [3].

Luce clarius ergo constat plerosque theologos græco-russos nostri ævi, qui existentiam pœnæ temporalis peccatis per absolutionem sacramentalem remissis plerumque debitæ negant solamque rationem spiritualis medicinæ epitimiis tribuunt, a via recedere antiquæ traditionis suæ Ecclesiæ vestigiisque inhærere Reformatorum sæculi XVI.

ARTICULUS V

De ministro sacramenti pœnitentiæ.

Græco-Russi, sicut et Catholici, docent solum sacerdotem (episcopum vel presbyterum) esse legitimum sacramenti pœnitentiæ ministrum. Theologi russi hanc doctrinam apologetice et polemice tuentur contra rascolnikos *bezpopovtsos*, qui, sacerdotio privati et antiquum errorem Montanistarum, Valdensium et Wicleffitarum renovantes, pium laicum confessiones audire valideque a peccatis absolvere posse contendunt [4]. Hi pro sua thesi quædam exempla antiquitatis quosdamque textus veterum scriptorum ecclesiasticorum

1. Πέτρα σκανδάλου, ed. Ath., 1840, p. 132-133 : « καὶ μὲ τὴν τιμωρίαν ἐκείνην πληρώνουσι τὸ χρέος, ὅπου ἔχουσι μὲ τὴν θείαν δικαιοσύνην. »

2. Cf. Mansi-Petit, *Coll. concil.*, t. XXXVII, col. 903.

3. *Op. cit.*, p. 462-465 : « Ἡ ἱκανοποίησίς ἐστιν ἡ μὲν τιμωρητικὴ πρὸς τὸ τιμωρεῖν τὸν ἁμαρτωλόν, ἡ δὲ θεραπευτικὴ πρὸς τὸ βοηθεῖν καὶ ἐνδυναμοῦν τὸν ἀσθενῆ, ἵνα μὴ αὖθις ἐμπεσεῖται. » P. 464. Unus ex effectibus satisfactionis sacramentalis est : ἡ μείωσις τῆς χρονικῆς ποινῆς, p. 467.

4. Cf. K. Plotnikov, *Manuale confutationis russici schismatis*, 4ª ed., Petropoli, 1897, p. 227-233.

afferunt, ex quibus apparet in Ecclesia byzantina quondam viguisse abusum confitendi peccata simplicibus monachis, qui sacerdotio insigniti non erant. Ejusmodi abusum etiam ante Ecclesiarum separationem exstitisse, ægre in dubium vocari potest; de quo P. Pargoire hæc habet :

« Un fait grave à signaler, c'est que parfois l'on attribue à la sainteté, non au sacerdoce, le pouvoir de remettre les péchés, et que ceux-là distribuent des absolutions qui ne devraient donner que des conseils. La sainteté, où qu'elle brille, inspire confiance aux âmes repentantes : Étienne le Jeune, près de Chalcédoine, reçoit la visite et les confidences des hauts dignitaires palatins dont Constantin V a fait les victimes de sa luxure; Eustrate des Agaures, aux portes de Brousse, voit arriver à ses pieds deux personnes coupables d'inceste et un assassin; Syméon de Lesbos, sur la Corne d'Or, devient le confesseur couru de toute la société byzantine; Joannice le Grand sur l'Olympe ouvre l'oreille à des aveux. Et rien de plus naturel ni de plus salutaire que cette attraction de la sainteté; mais encore faudrait-il que le saint qui absout ait reçu le sacerdoce. Eustrate et Syméon sont prêtres; Étienne et Joannice le sont-ils? Rien ne le dit. Tous ces moines sont-ils prêtres qui s'improvisent pères spirituels? On peut en douter [1]. »

Fideles consuevisse peccata confiteri monachis sanctitatis fama claris, quin de eorum sacerdotali ordinatione inquirerent, exemplo firmatur illius Theodori protospatharii, qui in actione nona synodi œcumenicæ octavæ coram Patribus declaravit se perjurium, quod contra sanctum Ignatium commiserat, eximio cuidam monacho stylitæ confessum esse, et ab eo epitimium pro peccato accepisse. Interrogantibus vero legatis patriarcharum num homo sacerdos esset, Theodorus respondit : « Nescio; abbas erat, et habebam fidem in hominem, et nuntiavi ei [2]. » Continuator *Historiæ* Constantini Porphyrogennetis narrat Romanum Lecapenum imperatorem, cum se perjurii scelere obstrictum sentiret, accitis undique trecentis monachis, peccata sua omnia ex charta cunctis illis audientibus recitasse, omnibusque mona-

1. *Op. cit.*, p. 348.
2. Hardouin, *Collect. concil.*, t. v, col. 889; cf. col. 1095.

chis remissionem dantibus, mox communionem obtinuisse [1]. Porro ex his trecentis monachis, nullum sacerdotio ornatum fuisse veri simile non est : iterum vero omnes fuisse sacerdotes omnino improbabile est.

Cæterum hujus abusus limites in Ecclesia byzantina ultra modum producendi non sunt. Ex textibus enim a quibusdam auctoribus ad probandam ejus existentiam laudatis, hoc tantum *certo* colligitur patres spirituales seu confessores apud Byzantinos inter monachos-presbyteros ab episcopis plerumque fuisse selectos, tum quod sacerdotes sæculares ignorantia laborarent, tum quod conjugati fidelium existimationem et confidentiam minus sibi conciliarent [2]. Videmus etiam quosdam ἱερομονάχους (seu monachos-presbyteros) ministerio confessionis se dedisse sine licentia episcoporum; et hoc est quod damnant quidam theologi et canonistæ byzantini [3]. Negari tamen non potest inter monachos quamdam exstitisse factionem, quæ potestatem remittendi

1. Cf. Lequien, *In Epistolam de confessione admonitio*, *P. G.*, t. xcv, col. 279.

2. Citantur, v. g., verba Joannis IV Oxitæ, patriarchæ Antiocheni, in *Oratione de disciplina monastica et de monasteriis laicis non tradendis*, *P. G.*, t. cxxxii, col. 1128 : « Ab eo tempore [scilicet Iconomachorum] ad hunc usque diem, elapsis jam quadringentis annis, adeo a cunctis fidelibus cultus honoratusque fuit monachorum ordo, ut confessiones et enuntiationes peccatorum et eis congruæ pænitentiæ et absolutiones ad monachos translatæ sint, quemadmodum et in præsentiarum quoque fieri videmus. » Atqui exhinc inferre non licet patris spiritualis munus monachis sacerdotio non initiatis traditum fuisse; quin verisimilius supponitur Joannem, qui patriarcha erat, et in traditione Ecclesiæ versatus, hoc in loco loqui non de monachis qualibuscumque, sed de solis ἱερομονάχοις.

3. Ita Balsamon in expositione canonis 6 Carthaginensis : « Sacrati monachi, οἱ ἱερωμένοι μοναχοὶ, male faciunt confessiones excipiendo sine permissione episcopi; a fortiori vero ii qui sacerdotes non sunt, πολλῷ δὲ μᾶλλον οἱ ἀνίερoι. » *P. G.*, t. cxxxviii, col. 42. Idem, in *Responso 19 ad Marcum Alexandrinum*, qui quæsierat *num sacerdos sæcularis* (λαϊκὸς ἱερεύς) *confessiones aliquorum hominum cum permissu episcopi rite suscipere possit*, hæc dicit : « Divini canones, qui confessionem reconciliationis sacerdotibus cum episcopali venia tribuunt, multo antiquiores sunt sancto Pakhomio, qui dignus habitus est, ut per visionem angelorum monachorum habitum videret. Quamobrem monachorum nusquam meminerunt, sed presbyterorum simpliciter. Episcopali ergo judicio confessionis potestas concedetur, et per eam reconciliatio pænitentium. » *Ibid.*, col. 972.

peccata inter charismata spiritualia recenseret, independenter a potestate ordinis vel jurisdictionis. Hujus sententiæ patronus illustrior fuit Symeon Novus Theologus, illius *Epistolæ de confessione* auctor quæ in quibusdam codicibus sub nomine sancti Joannis Damasceni venit [1]. Thesis a Symeone propugnata his paucis enuntiari potest :

« Potestatem remittendi peccata a Salvatore acceperunt apostoli; quam suis successoribus, id est episcopis, et iis solis, transmiserunt. Progrediente vero tempore, cum præsules diversis vitiis se dedissent et in varias hæreses delapsi essent, « divina gratia eos dereliquit, hæcque potestas a talibus ablata est », et donum Spiritus ad monachos transivit; non autem ad omnes, sed ad eos solum, qui sanctitate vitæ præfulgent, quosque signat fidelibusque manifestat miraculorum donum, ad dignitatem apostolicam eos evehens. « Hujusmodi viris, inquit ille, potestatem ligandi et solvendi concedi intelligo a Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo per Spiritum sanctum, iis qui facti sunt filii ejus et servi in sanctitate. Talis ego ipse Patris discipulus fui, *qui quidem ordinationem ab hominibus non acceperat;* me autem Dei manu, id est Spiritu Sancto in discipulatum admisit; et eam ordinationem, quam homines conferunt, præcepit mihi juste suscipere secundum formam congruam, magno ad hoc desiderio a Spiritu Sancto olim permotus [2]. »

Huic hæreticali doctrinæ etiam quosdam episcopos suffragatos esse testantur Balduinus, Latinorum imperator Constantinopolitanus, Nicephorus Chartophilax et Symeon Thessalonicensis. Balduinus, in epistola *Ad omnes in toto orbe christianos*, de Græcis dissidentibus dicit : « Hæc est gens, quæ omnes Latinos non hominum nomine dignatur, sed canum, quorum sanguinem effundere pene inter merita reputatur, nec ulla satisfactione satisfaciunt *laici monachi*,

1. Habetur in *P. G.*, t. xcv, col. 283-304. De hac Simeonis doctrina vide opus K. Holl, *Enthusiasmus und Bussgewalt beim griechischen Mönchtum*, Lipsiæ, 1898. Hic auctor caute legendus est; plus æquo enim abusum, de quo loquimur, amplificat, ejusque originem arbitrario tribuit illi primitivo enthusiasmo nascentis Ecclesiæ, de quo Protestantes liberales tam mira comminiscuntur. De hoc opere vide iudicium Suvorovi, in *Vizantiiskii Vremennik*, t. vi (1899), p. 475-524.

2. *Loc. cit.*, col. 304.

penes quos, sacerdotibus submotis, tota ligandi atque solvendi consistit auctoritas [1]. »

Nicephorus Chartophylax, XIII sæc., idem forsan qui sub nomine Nicephori II patriarcha Constantinopolis fuit (1260-1261), in suis epistolis ad monachum Theodosium, Corinthi inclusum, de administratione sacramenti pænitentiæ non semel loquitur. In prima epistola a Leunclavio edita [2], hæc habet : « *Monachi qui sacerdotes non sunt et tamen aliquorum confessiones suscipiunt, ligantes et solventes, sciant se id contra canones facere.* Sancti enim Patres nec sacerdotes volunt sine jussu antistitis regionis conciliare pænitentibus gratiam, ut 6 et 42 canones synodi Carthaginensis declarant; nunc vero nescio quomodo ea spernitur constitutio. » In quodam fragmento alius epistolæ ad eumdem, de ligandi et solvendi potestate tractans : « Ligandi solvendique potestas, inquit, pontificibus ipsis a clementissimo Deo nostro demandata est. Siquidem omnes oportebat ad ipsos pontifices accedere, suaque illis occulta prodere; et sic vel renuntiationem vel repudium ferre. Ignoro autem qui factum sit, ut hæc minus observentur; quamvis existimem pontifices, negotii tædio frequentique multitudinis importunitate defatigatos, id operæ ad monachos transmisisse, ad eos scilicet qui vere probati sint aliisque valeant esse utiles [3]. »

Simeon Thessalonicentis Gabrieli Pentapolitano interroganti : *num probandum sit quod episcopi facultatem dent confessiones peccatorum audiendi monachis qui sacerdotes non sint, et promiscue benedicant ac remittant peccata*, ita respondet : « *Ego quoque audivi pontifices simplicibus monachis concessisse confessiones* (λογισμούς) *excipere.* Quid autem sentiam ego, et antea jam dixi [4], et nunc dico, et confido me cum Patribus consentire : Hoc totum opus est sacerdotii proprium; quod a pontificibus aut sacerdotibus exerceri oportet, nullo modo autem a laicis (παρ'ἰδιωτῶν), nisi aliqua necessitas, sacerdote

1. Citatur a Lequien, *loc. cit.*, col. 279.

2. *Jus græco-romanum*, p. 541. In *P. G.*, t. c, col. 1061.

3. *P. G.*, *ibid.*, col. 1065-1067. Nota Nicephorum hic loqui de monachis in genere, et non distinguere inter monachos laicos et ἱερομονάχους.

4. In *Responso* scilicet XIII *ad Gabrielem*, ubi ex professo tractat de valore objectivo sacramentorum independenter a sanctitate ministri. *P. G.*, t. CLV, col. 864.

deficiente, cogat monachum prudentem et legum Dei (sanctos dico canones) probe gnarum cum licentia episcopi hoc operari. Huic autem satis sit confessiones excipere, ut postea de eis episcopo referat, vel quædam profutura interroganti discrete statuere, minime vero audeat condonare et absolvere. Sin aliter, ille sacerdotis munus exercebit cum sacerdotalis potestatis sit expers, baptizans, benedicens et cætera agens : quod est usibus Ecclesiæ omnino extraneum [1]. »

Teste C. Smirnov [2], patres spirituales qui simplices monachi essent sacerdotali ordinatione non sacrati nusquam novit Russia orthodoxa ; neque tales inter Græcos amplius occurrunt. Præter sacerdotium vero, ad valide absolvendum etiam necessariam esse simplici presbytero vel hieromonacho jurisdictionem seu licentiam ab episcopo concessam, quum veteres tum recentes theologi docent. Pro veteribus hoc patet ex pluribus textibus supra allatis. Litteræ episcopales, quibus hæc jurisdictio delegatur, ἐνταλτήρια γράμματα dicuntur. Nec casus reservatos ignorant Græco-Russi [3].

De excommunicatione ejusque effectu mira quædam habet Michael Glykas in *Cap.* LIX *theol.* Docet siquidem eum qui ab aliquo episcopo excommunicatus fuerit, ab alio episcopo, quicumque sit, nunquam absolvi posse. Etiamsi qui ligavit mortuus fuerit, nullus vivens excommunicatum absolvere valet. Excommunicatio enim suos effectus sortitur etiam post mortem tum in animam tum in corpus, et usque ad cælos pervenit : quæcumque enim pontifex deorsum fecerit, hæc Deus desursum confirmat [4]. Nec Glykas solus est qui

1. *Ibid.*, col. 884-885.

2. *Art. cit.*

3. Cf. *Respons.* XIII Simeonis Thessalonicensis, *P. G.*, *ibid.*, col. 864 : « Οὔδε ἄδεια πρεσβυτέροις εἰς πάντα διακρίνειν. Ἐξαιρέτως δὲ τὰ τῆς ἀρνήσεως οὐκ ἰσχύουσιν οὗτοι λύειν, εἰ μὴ ἐπίσκοποι, οὐδὲ τὰ τοῦ φόνου, κτλ. » F. Kattenbusch, *Lehrbuch der vergleichendem Confessionskunde*, t. I, p. 432, n. 3, falso asserit Ecclesiam orientalem casuum reservationem ignorare.

4. *Op. cit.*, t. II, p. 139-155 : « Ὁ τοῦ ἀρχιερέως δεσμὸς καὶ αὐτῆς ἅπτεται τῆς ψυχῆς, καὶ εἰς οὐρανοὺς διαβαίνει. » Ut suam sententiam probet, Glykas narrat quemdam martyrem, qui ab episcopo suo sententia excommunicationis innodatus fuerat, non potuisse in cælum recipi, antequam ab ipso episcopo qui sententiam tulerat et inter vivos adhuc degebat, absolveretur!

talia sentiat. Josephus Bryennius eadem fere docet [1]. Simeon Thessalonicensis autem de absolutione excommunicationis consultiorem sententiam profert :

« Omnis, inquit, qui excommunicatus fuerit sive inconsiderate, ut ipsi videtur, sive legitime, non contemnat omnino neque sui ipsius judex fiat; sed neque alius eum decipiat, dicens sententiam illum non ferire. Adeat vero sponte et mente humili et dolore contrita eum, qui sententiam tulit; quod si ab illo non recipiatur, postquam pluries accesserit, etiam per interventum piorum quorumdam, *superiorem pontificem adeat, quærens absolutionem*, non in confusionem ejus qui excommunicavit, sed humiliter et cum discretione, ut absolutio rationabiliter concedatur [2]. »

Circa obligationem sigilli sacramentalis Græco-Russi nobiscum conveniunt. Petrus Moghila in Trebniko et canonistæ hujus obligationis gravitatem declarant. Notanda est vero gravis derogatio, quam Petrus Magnus in Ecclesiam russicam sua auctoritate introduxit. Imperiali enim decreto, die 17 maii anni 1722 dato, aliquod *Supplementum ad Regulamentum ecclesiasticum* promulgavit, in quo cuilibet sacerdoti sub pœna mortis præscribitur revelare secreta ex confessione cognita in duplici casu : 1° in casu conjurationis vel consilii privati sive adversus vitam tsari alicujusve membri familiæ imperialis, sive adversus patriam vel ordinem publicum moliti; 2° in casu præmeditati consilii scandalum publicum in Ecclesia suscitandi, narrando, verbi gratia, novum miraculum ex toto commentum. Revelationi locus datur, quando reus qui malum propositum confitetur nullum præbet pœnitentiæ signum, immo ad hoc declarat suum consilium, ut silentio vel consensu confessoris in eo persequendo confirmetur. Hunc confessarius sine mora publicis auctoritatibus indicare tenetur, et omnia per singula narrare, quæ de crimine molito ex confessione cognoverit. Ad hanc revelationem faciendam quilibet sacerdos, suæ ordinationis die, juramento speciali se obligat. Violationem sigilli sacramentalis in duplici casu memorato legitimam esse lex imperialis his rationibus probare tentat : 1° Confessio

1. *Opera*, t. III, p. 143.
2. *Resp.* XXI *ad Gabrielem*, col. 882.

hujusmodi non est confessio veri nominis, cum peccatorem non pæniteat omnium iniquitatum suarum; 2° In hoc casu, confessor non revelat veram confessionem, canones non transgreditur, sed potius adimplet quod Deus nos docuit his verbis : *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Quod si non audierit, dic Ecclesiæ* (Matth., XVIII, 15, 16, 17) [1].

ARTICULUS VI

De indulgentiis pro vivis et pro defunctis in Ecclesia græco-russica.

Indulgentia cum sacramento pœnitentiæ in genere et cum satisfactione sacramentali in specie intime connectitur. Fundatur enim, sicut et ipsum sacramentum, in plenissima potestate ligandi atque solvendi, quam Ecclesia a Christo accepit. Vi hujus potestatis, Ecclesia omnia vincula atque impedimenta solvere ac removere valet, quæ homines ab adeptione æternæ beatitudinis vel præpediunt vel retardant. Ergo solvere potest non solum reatum culpæ et reatum pœnæ æternæ, sed etiam reatum pœnæ temporalis peccato, etiam postquam absolutione sacerdotali remissum est, plerumque debitæ. Hæc triplex remissio (culpæ, pœnæ æternæ et pœnæ temporalis) semper fit per applicationem

1. *Supplementum ad Regulamentum ecclesiasticum*, § 11; *Collectio completa legum*, VI, n. 4012, ed. anni 1722 ; *Codex legum*, ed. 1857, t. XV. Cf. Tondini, *Le pape de Rome et les papes de l'Église orthodoxe d'Orient*, Parisiis, 176, p. 166-170. De violatione sigilli apud Russos etiam extra casus memoratos, vide Gagarin, *La réforme du clergé russe*, p. 132, in nota. Quæstionem non tangimus de validitate absolutionis a sacerdotibus dissidentibus datæ extra periculum mortis; de qua vide R. Souarn, *Praxis missionarii in Oriente servata*, Parisiis, 1911, p. 120-124. Multo probabilius est Summum Pontificem, pro salute christianorum bona fide errantium, jurisdictionem requisitam episcopis et presbyteris græco-russis tacite concedere, ut valide absolvere possint. Hæc præsupposita jurisdictio tacite concessa æquiparanda non est neque jurisdictioni *ordinariæ*, quam dissidentes nullo pacto habere possunt, neque *jurisdictioni delegatæ proprie dictæ*, quæ solis sacerdotibus catholicis confertur.

meritorum et satisfactionum Christi; quæ, utpote personæ Verbi incarnati propria, infiniti sunt valoris, et ideo jure dicuntur superabundantia, semperque inexhausta manent. Hæc Christi merita et satisfactiones verum thesaurum constituunt, qui Ecclesiæ præpositis et imprimis Petri successoribus commissus est, non quidem ut arbitrario et indiscrete, sed prudenter eo utantur ad salutem animarum et ædificationem corporis Christi mystici. Indulgentia autem directe et unice refertur ad condonationem pœnæ temporalis divinæ justitiæ debitæ, non autem ad remissionem culpæ vel pœnæ æternæ. Unde qui existentiam hujusmodi pœnæ negant, indulgentias veri nominis rejiciant necesse est. Cum autem ex traditione Ecclesiæ et vi dogmatis communionis sanctorum, unum Ecclesiæ membrum alterius loco pro pœna temporali Deo satisfacere possit (mereri vero de condigno vel pro pœna æterna satisfacere pro aliis membris nemo potest præter caput, quod est Christus); quando de remissione pœnæ temporalis simpliciter agitur, thesauro Ecclesiæ, de quo supra, addi possunt illæ satisfactiones, quas sancti, dum in terris degerent, Deo obtulerunt ultra propria debita, vel etiam cum expressa intentione propriis satisfactionibus sese expoliandi in commodum aliorum, sicut faciebat Paulus : *Adimpleo*, inquit, *ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia* (Col., I, 24). Hujusmodi satisfactiones supererogatoriæ, de quarum existentia nulla adest probabilis ratio dubitandi, non sunt utique a satisfactione Christi independentes et separatæ, sed ex ea totam vim suam habent, et oculis Dei unum quid cum illa constituunt. Recte ergo Ecclesia, cum indulgentias concedit ad pœnas temporales condonandas, haurire dicitur ex illo thesauro qui constat tum superabundantibus meritis et satisfactionibus Christi, tum ex satisfactionibus supererogatoriis sanctorum [1].

De fide est ex concilio Tridentino Ecclesiam potestatem

1. Minus proprie satisfactiones sanctorum dicuntur quandoque *merita*. Merita enim proprie dicta cuique sunt propria, et abalienari non possunt. Unde, ubi de *meritis*, *operibus* supererogatoriis vel superabundantibus sanctorum sermo est, intellige vocem *meritum* vel opus ibi improprie sumi pro satisfactione proprie dicta.

habere concedendi indulgentias, easque populo christiano esse utiles, id est valere non solum in foro externo Ecclesiæ, sed etiam coram Deo; quod eodem recidit ac affirmare Ecclesiam habere potestatem vere solvendi debitum pœnæ temporalis peccato meritæ. Hac potestate sponsa Christi semper usa est, sed diverse pro temporum varietate. Ad hos diversos modos impertiendi indulgentias non satis attendunt qui eas impugnant. Primum quidem Ecclesia statuit satisfactionem rigorosam pro quibusdam peccatis gravioribus, quæ *pœnitentia publica* sive *exomologesis* dicta est; quæ erat pars integrans sacramenti pœnitentiæ, prout tunc administrabatur respondebatque pœnitentiæ (seu *epitimio*), hodie a confessore impositæ. Hæc satisfactio, secundum Ecclesiæ æstimationem, sufficere debebat tum ad pœnæ temporalis solutionem, tum ad emendationem et curationem spiritualem pœnitentis. Hac persoluta, pœnitens Ecclesiæ solemniter reconciliabatur, et si quid forte de pœna temporali ei luendum coram Deo remansisset, hoc illi condonabat Ecclesia, sua plenissima potestate solvendi utens, ita ut hæc reconciliatio, quam probabiliter præcesserat absolutio a culpa et a pœna æterna [1], veræ indulgentiæ plenariæ responderet atque æquivaleret.

Ratio indulgentiæ adhuc manifestius apparebat in casu reconciliationis moribundorum, quibus Ecclesia eam partem pœnitentiæ publicæ remittebat, quam adimplere non potuerant. Concedebatur etiam quandoque vera *indulgentia partialis* propter intercessionem martyrum, quorum passiones admittebantur loco satisfactionis ab ipsis peccatoribus præstandæ; unde *aliquid de pœnitentia canonica pœnitentibus remittebatur*, atque tempus reconciliationis celerabatur Cæterum prima concilia episcopis mox commendarunt indulgentias partiales ejusmodi concedere pro animarum bono et attentis dispositionibus ac statu pœnitentium; die vero reconciliationis, plena omnium peccatorum et pœnarum eis debitarum remissio concedebatur, ita ut pœnitens rite dispositus et nullum ad qualecumque peccatum affectum

1. Disputatur inter historicos utrum absolutio a culpa regulariter concessa fuerit ante satisfactionis adimpletionem, an usque ad reconciliationem fuerit dilata.

retinens [1], coram Deo tanquam novus baptizatus appareret, eique sacramentum pœnitentiæ novi baptismi (sed *baptismi laboriosi)* loco revera esset.

Progrediente tempore, indulgentia sub nova forma, sed semper *intra sacramentum*, concessa est, quatenus scilicet antiquæ satisfactiones canonicæ, quæ nimis rigorosæ erant, in alia opera pia mitiora *commutatæ sunt*, v. g., in visitationes ecclesiarum, pias peregrinationes etc.; quæ opera antiquis pœnitentiis censebantur æquivalentia, quamvis in *ratione satisfactionis laboriosæ* æquivalentia revera non essent; sed Ecclesia ex suo thesauro supplebat. Hujusmodi commutationes regulariter decernebat confessor respectu suorum pœnitentium, secundum indicationes relatas in libros *pœnitentiales* dictos et attentis dispositionibus indoleque cujusque confitentis. Anno 1095, in concilio Claromontano, Urbanus papa II aliquam commutationem generalem sua summa auctoritate fecit pro iis fidelibus, qui arma contra infideles susciperent ad Terram sanctam recuperandam : Papa fidelibus crucigeris pœnitentias sacramentales pro delictis injunctas relaxabat; quarum locum, *in ratione satisfactionis*, expeditio in Terram sanctam suppletura erat. Hæc indulgentia Urbani II adhuc *intrasacramentalis* erat, quandoquidem cum satisfactione sacramentali intime connectebatur; hoc autem singulare habebat, quod non uni privato concedebatur, sed pluribus indiscriminatim offerebatur.

Intrasacramentales etiam fuere illæ *litteræ confessionales* (seu *confessionalia)*, quas inde a sæculo XIV Summus Pontifex tribuere incepit, quibus pœnitenti jus concedebatur eligendi proprium confessarium et ab eo recipiendi plenam absolutionem *omnium peccatorum et omnium pœnarum.* In hac absolutione includebatur vera indulgentia plenaria, quæ loco satisfactionis sacramentalis concedebatur, eamque de facto supprimebat. Anno 1334, Joannes XXII absolutionem hujusmodi moribundis impertiendi facultatem confessoribus contulit. Hæc indulgentia non erat amplius pœnitentiæ sacramentalis *commutatio*, sed

1. Dicere supervacuum est talem dispositionem fuisse semper necessariam ad lucrandram indulgentiam plenariam; non enim remitti potest pœna temporalis, nisi prius deleatur culpæ reatus.

vera ejus *successio* seu *substitutio* a papa pro sua suprema potestate facta.

Hæc forma substitutionis nonnisi in quibusdam casibus particularibus et extraordinariis usurpari poterat, quia de facto pœnitentiam sacramentalem supprimebat et in detrimentum pœnitentis, qui non est tantum debitor divinæ justitiæ, sed etiam æger curandus, facile cessisset. Unde Summi pontifices novam et ultimam indulgentiæ formam, eam scilicet quæ nunc in usu est, mox invexerunt. Hæc autem est *extrasacramentalis*, et unum quid ex se constituit a sacramento pœnitentiæ separatum et omnibus fidelibus oblatum. Satisfactionem sacramentalem a confessore pœnitenti imponendam *non relaxat, non commutat, non supprimit;* sed ex se sola constituit aliquam novam speciem satisfactionis seu *epitimii;* quæ, si cum debitis dispositionibus adimpleatur, ex parte vel plene debitum pœnæ temporalis exstinguit. Dicimus hanc novam indulgentiam esse quoddam *epitimium*, quia ad illam lucrandam semper præscribitur aliquod opus pium (unum vel plura), cui Summus Pontifex adnectit pretium seu valorem satisfactorium ex thesauro Ecclesiæ depromptum. Indulgentia hodierna ergo non est *nuda absolutio* a pœna temporali, sed est etiam *solutio* alicujus pretii cum voluntaria cooperatione ejus, qui eam lucratur.

Ex hoc ipso quod hæc nova indulgentia *extrasacramentalis est*, facile intelligitur solum summum pastorem totius Ecclesiæ, cui commissa est suprema administratio thesauri satisfactionum, posse eam concedere; subordinatos vero præsules potestatem non habere indulgentias *sub hac forma extraordinaria* dare nisi secundum facultatem a papa acceptam. Possunt quidem episcopi intra forum sacramentale indulgentiam concedere sub antiquis formis *relaxationis* et *commutationis* secundum diversos usus Ecclesiarum particularium; sed concessio extrasacramentalis summo pastori soli competit. Cum autem summus pastor non sit dominus sed administrator vicarius thesauri Ecclesiæ, non potest de eo disponere pro suo arbitrio sed secundum Dei voluntatem. Ergo *ad indulgentiam concedendam requiritur justa causa*, ita ut, hac deficiente, indulgentia invalida sit. « Omnes doctores tam theologi quam canonistæ consentiunt piam

causam esse necessariam ad valorem indulgentiæ (Suarez, Disp., LIV, sect. II, n. 3). Intelligitur ali quapia causa externa; nam finis internus liberandi fideles a miseria pœnæ semper adest; quia autem aliqua causa externa requiritur, hinc est quod indulgentiæ defunctis non conceduntur nisi per mediationem vivorum [1]. »

Hæ concessiones indulgentiarum in favorem defunctorum sæculo XV primum factæ sunt. Applicantur autem indulgentiæ defunctis *non per modum directæ absolutionis*, quia Ecclesia jurisdictionem non habet in mortuos, sed per *modum suffragii*, id est *per modum alicujus auxilii satisfactorii a fidelibus nomine Ecclesiæ Deo suppliciter oblati* pro defunctis. Num vero indulgentia pro mortuis oblata effectum infallibilem habeat, non convenit inter theologos. Multi inter maximos affirmant; alii negant, qui dicunt indulgentias defunctis prodesse secundum misericordem Dei acceptationem [2].

Hæc brevis expositio doctrinæ catholicæ de indulgentiis necessaria nobis visa est tum ad faciliorem intellectum formarum indulgentiæ in Ecclesia græco-russica usitatarum, tum ad retundendos impetus theologorum dissidentium contra indulgentias in Ecclesia catholica concessas necnon contra Ecclesiæ thesaurum. Hujusmodi impetus incepisse non videntur ante sæculum XVIII. Primum quidem theologi græci non contra ipsas indulgentias, sed contra illarum profusiones et abusus in Ecclesia latina, et contra potestatem exclusivam Romano pontifici agnitam illas concedendi invecti sunt. Hæc enim legimus in *Confessione fidei* a synodo Constantinopolitana anno 1727, mense februario, edita, cui subscripsere patriarchæ Constantinopolis, Antiochiæ et Jerosolymorum et metropolitæ non pauci :

1. Ch. Pesch, *Prælectiones dogmaticæ*, t. VII, ed. tertia, Friburgi Brisgoviæ, 1909, p. 232-233.

2. Diversas opiniones theologorum catholicorum circa modum quo indulgentiæ defunctis applicantur expositas invenies in dissertatione V. Repa, *De thesauro meritorum disputatio dogmatica complectens quæstiones de indulgentiis, de reparatione pro peccatis, de operibus supererogatoriis*, in *Actibus Acad. Velehradensis*, t. X (1914-1919), p. 197 sq.

« Tertio decimo, potestatem in remittenda peccata, quæ scripto fidelibus data ab orientali Christi Ecclesia vocatur *Charta condonativa* (συγχωροχάρτια), a Latinis vero indulgentia, a Christo sanctæ Ecclesiæ concessam esse profitendum est, chartarumque ejus modi usum fidelibus esse refugium (καταφυγήν) maxime salutare; concedi sane istas chartas condonativas in tota catholica Ecclesia et a quatuor sanctissimis patriarchis Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno et Hierosolymitano, parce tamen et cum spirituali prudentia, et quibus et quando oportet, quemadmodum in hisce negotiis ab orientali Ecclesia accurate observatur, dum e contra Latini hac in re insana licentia ac intemperanter progrediuntur, ex quo quot quantaque mala occidentali Ecclesiæ consecuta fuerint, neminem omnino latet. Asserere autem potestatem illa concedendi ad solum Romanum papam unice pertinere, mendacium est manifestum insolensque Latinorum innovatio [1]. »

Contra ipsas indulgentias intendi jam videtur — quanquam auctor obscurius loquitur — hæc vehemens increpatio theologi laici Alexandri Sturdzæ, qui anno 1816 scribebat :

« Sans égard aux nombreuses circonstances qui doivent accompagner l'acte de la pénitence et de la régénération, le Siège de Rome a institué la pratique des indulgences accordées indistinctement à de certaines occasions; sans parler de l'abus scandaleux qu'on en fit en Allemagne au XVI^e^ siècle, et qui provoqua le développement du luthéranisme, les mêmes profusions de la grâce se renouvellent à l'époque de tous les jubilés. On a été jusqu'à en faire un trafic pécuniaire, fondé sur le pouvoir magique de la papauté, et sur des promesses qui ne sont point celles du Seigneur. Cette profanation des mérites du médiateur suprême est aussi condamnable que la base sur laquelle elle repose. Elle a pour but de constituer les pasteurs, usufruitiers absolus du

1. Mansi-Petit, *op. cit.*, t. XXXVII, col. 904. Jam sæculo XVI, Gabriel Severus, Περὶ τῆς δ'διαφορᾶς, Constantinopoli, 1627, p. 47-49, Latinis exprobrabat quod docerent papam pro suo libitu infernum aperire posse, concedendo indulgentiam jubilaei. De efficacia vero indulgentiarum pro mortuis nihil decernere audet, quamvis hæc innovatio « neque necessaria neque Ecclesiæ utilis » illi videatur.

patrimoine de la grâce, tandis qu'ils n'en sont que les organes passifs. Un semblable scandale n'a jamais été donné dans l'Église orthodoxe, ce dont nous devons rendre grâce à notre divin Maître, qui a voulu qu'on reconnût l'arbre à ses fruits[1]. »

De indulgentiis Ecclesiam catholicam item criminantur theologi græci sequentes : 1° Gregorius VI, patriarcha Constantinopolis, in *Epistola encyclica* anno 1836 edita[2]; 2° Anthimus VII, patriarcha Constantinopolis, in *Epistola patriarchali et synodali*, anno 1895 data, qui *thesaurum superabundantium meritorum sanctorum* speciatim impugnat eorumque distributionem a papa factam; 3° theologi græci recentes qui existentiam pœnæ temporalis peccato debitæ negant, ut Andrutsus, Mesoloras, Dyovuniotis. Andrutsus distinctionem nostrorum theologorum inter opera meritoria et opera satisfactoria rejicit tanquam doctrinam fidei et morum religionis christianæ e fundamentis evertentem; negat sanctos aliquid supererogatorium perficere posse quod ipsorum muneris et officii fines excedat; consilia enim evangelica, inquit, quemcumque obligant qui ad ea exsequenda a Deo vocari se intelligit; nec plus meriti coram Deo exinde acquiritur, quanquam consilia acquisitionem perfectionis faciliorem reddunt[3]. Mesoloras de sanctorum operibus necnon de thesauro Ecclesiæ, in quo non videt nisi sanctorum merita, idem fere docet; indulgentias vero orientalium patriarcharum, quas συγχωροχάρτια vocant, de sola remissione pœnarum ecclesiasticarum temporalium seu epitimiorum interpretatur (ἄφεσις τῶν προσκαίρων ἐκκλησιαστικῶν ποινῶν), dum catholicos accusat quod indulgentias tribuant pro peccatis *non confessis*, pro peccatis *temporalibus, et etiam æternis* (πρὸς ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν, τῶν προσκαίρων ἢ καὶ τῶν αἰωνίων!)[4]. Juxta Dyovuniotam, thesaurum satisfactionum Christi et sanctorum somniavit imaginatio occidentalis; cum autem indulgentiæ pretio venundentur, hoc pacto papa divitibus ad salutem planiorem facit viam[5].

1. Alexandre Stourdza, *Considérations sur la doctrine et l'esprit de l'Église orthodoxe*, Weimar, 1816, p. 58.
2. Mansi-Petit, *op. cit.*, t. XL, col. 272.
3. Δογματική, p. 249; Συμβολική, p. 235-236, 309-313.
4. *Op. cit.*, t. II², p. 314-315, 319.
5. *Op. cit.*, p. 146-147.

Plerosque theologos russos nostri ævi indulgentiis et thesauro Ecclesiæ adversari mirum non est, quandoquidem isti, ut supra vidimus, necessitatem cujuscumque satisfactionis erga divinam justitiam pro peccatis absolutione sacramentali remissis omnino rejiciunt. Cæterum omnes fere calumnias contra doctrinam catholicam a Protestantibus excogitatas apud illos reperies. Juxta quosdam, indulgentiæ aliquando datæ sunt et adhuc dantur ad remittenda peccata non solum præterita, sed etiam futura, et hoc independenter a dispositionibus subjecti [1]. Juxta alios, pretio emuntur [2]. Macarium eas ideo perniciosas habet, quia putat Ecclesiam catholicam loco epitimiorum medicinalium illa concedere, quasi confessor apud nos nullam satisfactionem pœnitenti intra sacramentum imponat [3]. Idem, inter rationem meriti et rationem satisfactionis in operibus justorum non distinguens, translationem meriti unius membri Ecclesiæ in alterum impossibilem ducit : quod alii non pauci post eum repetunt [4]. Iidem theologi de operibus supererogatoriis justorum necnon de thesauro Ecclesiæ eodem fere modo disserunt ac theologi græci supra memorati. Omnes autem tum Russi tum Græci a Lutheranis et Calvinistis sua argumenta mutuantur; quæ statim diluuntur præ lucida doctrinæ catholicæ expositione [5].

Quidquid theologi isti recentiores contra indulgentias proferant, certum omnino est earum usum in Ecclesia græco-russica olim non fuisse inauditum, et nostris etiam diebus existere. Verum quidem est satisfactionis adversarios significationem indulgentiarum ejus modi pervertere; sed non desunt adhuc inter dissidentes qui sanæ doctrinæ adhæreant veterumque theologorum vestigia premant.

1. Cf. Philaretum Gumilevskii, *op. cit.*, t. II, p. 188; Sylv. Malevanskii, *op. cit.*, t. V, p. 41 sq.; Malinovskii, *op. cit.*, t. II, p. 410.

2. G. Titov, *Explicatio majoris catechismi Philareti*, Mosquæ, 1904, p. 92; Vinogradov, *Principia religionis christianæ*, Mosquæ, 1908, p. 285.

3. *Op. cit.*, t. II, p. 456-457.

4. Cf. Innokentii, *op. cit.*, t. II, p. 306 sq., et compendia theologiæ polemicæ.

5. Argumenta Russorum contra indulgentias et thesaurum Ecclesiæ, necnon *miras* quasdam definitiones indulgentiarum ab eis traditas, invenies in dissertatione supra citata A. Bukowskii, p. 115-142.

Primum quidem Græco-Russi indulgentias semper concesserunt et adhuc concedunt sub forma relaxationis vel commutationis pœnarum in antiquis canonibus vel libris pœnitentialibus pro peccatorum varietate injunctarum. Jamdudum enim veterum canonum rigorem mitigarunt, epitimiaque primitivis leviora decreverunt [1]. Moribundis etiam, quibus epitimium quodcumque peragere impossibile est, indulgentia plenaria seu remissio omnium pœnarum regulariter conceditur, sicut olim fiebat [2].

Inde vero a sæculo XV, patriarchæ orientales proprio motu indulgentias tum *intrasacramentales* tum *extrasacramentales* concedere incipiunt. Chartæ enim condonativæ (seu συγχωροχάρτια, seu ἀφέσιμα γράμματα), quas fidelibus instanter petentibus distribuunt, duplicis sunt generis. Prima species συγχωροχαρτίων *litteris confessionalibus* Latinorum, de quibus supra locuti sumus, fere respondet. Qui συγχωροχάρτιον ab uno ex quatuor patriarchis obtinuit, patrem suum spiritualem adit, sua peccata corde contrito ei confitetur; et postquam peccatorum absolutionem juxta formam consuetam accepit, συγχωροχάρτιον confessori tradit, ut illud legat super caput ejus in sublationem et remissionem gravis satisfactionis (seu epitimii), quæ secundum Patrum canones imponenda esset. Hoc συγχωροχάρτιον, ait Kursulas, qui de pœna temporali ut vidimus omnino catholice sentit, non tollit quidem reatum

1. In Euchologio Græcorum, Goar, *op. cit.*, p. 531, occurrit specialis oratio pro remissione epitimiorum : Εὐχὴ ἐπὶ τῶν ἐξ ἐπιτιμίων λυομένων, in qua hæc verba leguntur : « Tu, Domine, servum tuum N. impositi ei vinculi nexu tua bonitate libera. »

2. De hac indulgentia plenaria moribundis concessa hæc habet Marcus Ephesius, *III Oratio de purgatorio*, *loc. cit.*, col. 166-168 : « Omnia hæc epitimia prætermittimus, si qui urgente fato prope fuerint ut corpore solvantur, duo illa satis esse arbitrantes ad peccatorum remissionem, conversionem nimirum pœnitentis et sincerum virtutis colendæ propositum. Quamobrem illa tum remittimus pro facultate nobis concessa, tum credimus a Deo condonari et quoad culpam ipsam et quoad pœnam eorum culpa luendam : *quæcumque enim*, inquit *solveritis super terram, erunt soluta et in cælis* (Matth., XXIII, 18). » Verba Marci sua fecit Jeremias II in *Resp. I ad Tubingenses*, cap. XII. Idem docet Dositheus in *Enchiridio contra Calvinum et Lutherum*, p. 83-84. De litteratura theologica Russorum circa indulgentias Catholicorum quasdam indicationes bibliographicas tradit A. Palmieri, *Theologia dogmatica orthodoxa*, t. II, p. 134, n. 2.

culpæ (τῶν ἁμαρτιῶν τὸ πταῖσμα), sed debitum pœnæ delet, quod patres spirituales pœnitentibus imponunt; ita ut qui indulgentiam hujusmodi acceperit, ab omni epitimio adimplendo liberatus sit. Subjicit tamen idem theologus plane congruere ut pœnitens epitimium perficiat in cautelam peccatorum [1].

Altera species συγχωροχαρτίων — et hæc recentiori saltem tempore frequentior est — veram indulgentiam plenariam extrasacramentalem constituit. Datur siquidem sub forma plenissimæ absolutionis omnium censurarum et peccatorum iis qui *peccata sua patri spirituali confessi et ab eo absoluti epitimium conveniens acceperunt illudque, diligenter perfecerunt, vel perficere inceperunt* [2]. Vi hujus absolutionis, ab omni vinculo liberantur quod ab ingressu in cælum illos impedire posset. Hæc indulgentiæ species omnino similis est illæ indulgentiæ plenariæ, quæ apud nos, diebus festis solemnioribus, ex privilegio conceditur religiosis unius communitatis vel sodalibus alicujus piæ confraternitatis [3]. Differt

1. Kursulas, *op. cit.*, t. II, p. 425-426 : « οὓς (id est, χάρτας) μετὰ τὴν προσήκουσαν τῶν ἁμαρτημάτων ἐξομολόγησιν καὶ συγχώρησιν οἱ μετανοοῦντες παρέχουσι τοῖς πνευματικοῖς ὑπὲρ κεφαλῆς αὐτῶν μετ'εὐλαβείας ἀναγινώσκειν. » De historia hujusmodi συγχωροχαρτίων quædam dicimus in adnotatione : *De historia indulgentiarum apud Græcos*, infra, p. 380.

2. In quibusdam συγχωροχαρτίοις, de epitimio mentio non fit.

3. Ita, v. g., in Ordine sancti Augustini, in vigiliis quorumdam festorum, religiosis in capitulum adunatis Prior conventus absolutionem generalem cum plenaria indulgentia tribuit sub hac forma : « Dominus noster Jesus Christus per merita suæ sacratissimæ passionis vos absolvat, et gratiam suam vobis infundat. Et ego auctoritate ipsius et beatorum apostolorum Petri et Pauli et Summorum Pontificum Ordini nostro ac vobis concessa, et mihi in hac parte commissa, *absolvo vos ab omni vinculo excommunicationis, majoris vel minoris, suspensionis et interdicti*, si quod forte incurristis, et restituo vos unioni et participationi fidelium, necnon sacrosanctis Ecclesiæ sacramentis. Item eadem auctoritate absolvo vos ab omni transgressione votorum et regulæ, constitutionum, ordinationum et admonitionum majorum nostrorum, ab omnibus pœnitentiis oblitis seu etiam neglectis, *concedens vobis remissionem omnium peccatorum, quibus contra Deum et proximum fragilitate humana, ignorantia vel malitia deliquistis, ac de quibus jam confessi estis.* In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Iterum eadem auctoritate vobis concessa et mihi commissa *absolvo vos ab omnibus peccatis vestris cum plenaria indul-*

autem ab indulgentiis in catholica Ecclesia communiter hodie concessis : 1° in hoc quod non offertur omnibus fidelibus indiscriminatim, sed conceditur tantum cuidam personæ in particulari vel alicujus familiæ communitatisve membris; 2° in hoc quod impertitur per modum simplicis absolutionis, quin aliquod opus pium a subjecto exercendum requiratur præter sacramenti pœnitentiæ susceptionem.

Defunctis etiam — et quidem sub eadem forma qua vivis, id est *per modum veræ absolutionis* — indulgentiam plenariam concedunt tum Græci, tum Russi, quasi Ecclesia militans veram jurisdictionem in mortuos habeat [1]. In explicandis formulis indulgentiarum hujusmodi haud parum insudant hodierni pœnæ temporalis adversarii [2].

ADNOTATIO AD CAPUT QUINTUM

De historia indulgentiarum apud Græcos. Συγχωροχαρτίων seu chartarum condonativarum specimina.

De ultima forma indulgentiarum apud Græcos seu de *synchorochartiis* quædam dictis supra, p. 377, adjicere operæ pretium ducimus. Quantum conjicere possumus, origo chartarum condonativarum a *litteris confessionalibus* Lati-

gentia et remissione omnium peccatorum vestrorum. In nomine Patris, etc. » Confer hanc formulam cum textu τῶν συγχωροχαρτίων infra descripto, p. 384 sq.

1. Quædam specimina indulgentiarum hujusmodi pro defunctis referimus infra, p. 386 sq.

2. Juxta Seredinskii, *De indulgentiis* (russice), Rigæ, 1869, p. 15, plenaria absolutio quæ defunctis impertitur, significat tantum defunctos ab Ecclesia, dum viverent, ab omnibus suis peccatis fuisse solutos. N. Bieliaev, *dissert. cit.*, in *Pravoslanyi Sobiesiednik*, 1876, t. II, p. 26, eamdem tradit explicationem. Sed hæc cum textu indulgentiæ ægre congruit; formula enim adhibita veram intentionem absolvendi innuit. Præterea notum est Byzantinos et Græcos sententiæ excommunicationis tribuere effectus, tum in animam tum in corpus defunctorum donec ab Ecclesia legitime absolvantur. De hujusmodi formulis indulgentiæ et absolutionis pro mortuis hæc sentit Goarius : « Simplex est defuncti memoria, qua velut qualibet alia Ecclesiæ prece, pœnæ relaxatio possit impetrari. » *Op. cit.*, p. 544. De alia explicatione hujus absolutionis a quibusdam theologis russis proposita sermo est in *Tractatu de novissimis.*

norum repetenda est. Patriarchæ siquidem orientales, Romanum pontificem quibusdam fidelibus *confessionalia* concedere videntes, ejusdem modi litteras et ipsi tribuere voluerunt, ne in hoc papæ inferiores viderentur. Prima συγχωροχάρτια a patriarchis orientalibus concessa non videntur esse sæculo xv antiquiora. Anno 1463 vel 1464, Joachimus patriarcha Hierosolymitanus, dum in Russiam, eleemosynæ quæritandæ causa, iter ageret, litteras absolutionis (γράμματα ἀφέσιμα seu συγχωροχάρτια seu μετριότητες) pro principe Vasilio Vasilievitch paravit; quas non quidem ipse obtulit, quia ante morte correptus est quam Mosquam perveniret, sed per suum protosyncellum nomine Josephum, Cæsareæ Palestinæ metropolitam electum transmisit; cui etiam potestatem delegavit absolvendi a peccatis et συγχωροχάρτια petentibus concedendi : optimum sane consilium ad stipem copiosiorem colligendam [1]! Habetur etiam diploma ἀφέσιμον a patriarcha Hierosolymitano Sophronio anno 1585 ad imperatricem Irenen, Feodori Ivanovitch uxorem, missum, quo patriarcha imperatricem a peccatis absolvit ex potestate a Christo accepta ligandi atque solvendi [2].

Sæculo xvii, Athanasius III Patellarus, patriarcha Constantinopolis (anno 1634), permulta συγχωροχάρτια concessit. Russiam enim peregre profectus mendicandi causa, ad tsarum Alexium Mikhailovitch supplicationem direxit in qua hæc inter alia legebantur : « Mihi peregrino tuo, o imperator, jubere faveas, ut 500 συγχωροχάρτια pro tuis aulicis queam typis mandare. Cum enim Mosquam primum venissem, per Kosakos transdanaprinos transiens, Circassiani multi confitendi causa ad me venerunt, litterasque absolutorias petierunt; quibus ut præsto essem, Kioviam misi ad certum hujusmodi litterarum numerum prelo dandum. Et ecce nunc a me, Mosquam reduce, συγχωροχάρτια vicissim petunt Kosaki Zaporogi. Ergo, tsare, faveas [3]! »

1. Kodeko, *Litteræ absolutoriæ patriarcharum Hierosolymitanorum*, in commentario : *Journal du Ministère de l'Instruction publique*, Petropoli, 1896, fascic. mensis junii, p. 271, 274.

2. *Ibid.*, p. 278. Cf. Muraviev, *Relationes inter Russiam et Orientem in negotiis ecclesiasticis*, t. I, p. 161 (russice).

3. Cf. A. P. Lebedev, *Historia Ecclesiæ græco-orientalis sub dominatione Turcarum*, 2ª ed., Petropoli, 1904, p. 715.

Macarius item patriarcha Antiochenus, qui secundo dimidio sæculi XVII Mosquam bis invisit, συγχωροχάρτια profuse distribuebat, ut patet ex narratione ejus diaconi, Pauli Alepensis [1]. Per Valachiam enim transiens, preces absolutorias legebat super caput quorumdam, quos in confessione nunquam audierat; imo, « *Dominica Cæci* (τοῦ τυφλοῦ), liturgia finita, petente principe, has preces recitavit non solum super præsentes magnates et plebeios, sed etiam super *absentes* incolas totius regionis Valachiæ [2]. » Eumdem ritum non semel renovavit tum in Valachia, tum in Malorussia, tum etiam apud Moscovitas, fidelibus συγχωροχάρτια liberaliter distribuens, adeo ut quædam mulieres, quarum mariti vinolentiæ dediti erant vel parum devoti, chartas acceperint non tantum pro se, verum etiam pro maritis. Porro συγχωροχάρτια Antiochena majoris a fidelibus æstimabantur quam chartæ aliorum patriarcharum, utpote quæ concederentur a successore Petri, cui potestas a Christo *principaliter* concessa est ligandi atque solvendi. Dum Macarius Mosquæ degeret, tsarus unum e synchorochartiis Kioviæ russice editis pro se petivit, aliaque suis aulicis et *boiaris* largiri jussit; Macarius vero decem chartas litteris aureis impressa, nomina Tsari membrorumque ejus familiæ referentes, per Paulum obtulit [3].

Alia συγχωροχάρτια pro vivis concessere : 1° Jeremias II, patriarcha Constantinopolis [4] ; 2° Michael VII, patriarcha Antiochenus, cujus unum diploma edidit M. Crusius [5];

1. *Peregrinatio Macarii patriarchæ Antiocheni in Russiam, mediante sæculo XVII*, opus arabice conscriptum et russice translatum et editum a G. Murkos, Mosquæ, 1896-1900. Cf. W. Palmer, *The Patriarch and the Tsar*, t. II, Londini, 1872, qui multa ex opere Macarii anglice reddidit.

2. Cf. A. P. Lebedev, *op. cit.*, p. 716.

3. *Ibid.*, p. 717. Lebedev addit : « Dicere supervacuum ejusmodi chartas pro patriarchis quæstus uberem fontem exstitisse. »

4. Ex epistola Jeremiæ II ad Theodosium Zygomalam anno 1576 data (Martinus Crusius, *Turco-Græcia*, lib. IV, Basileæ, 1584, et Schelstrate, *op. cit.*, p. 792-793), constat hunc patriarcham 62 συγχωρητικὰ γράμματα misisse in insulam Chium, ubi Theodosius, titulo exarchæ decoratus, stipem colligebat.

5. *Turco-Græcia*, Basileæ, 1584, p. 104. Idem diploma exscripsit Arcudius in suo opere : *De concordia Ecclesiæ occid. et orient. in septem sacramentorum administratione*, Parisiis, 1672, p. 431-432.

3° Chrysanthus Notaras, patriarcha Hierosolymitanus [1]
4° Parthenius, patriarcha Hierosolymitanus[2]. Quanquam autem in *Confessione fidei* synodi Constantinopolitanæ anni 1723, supra, p. 374, laudata, potestas concedendi chartas condonativas solis quatuor patriarchis orientalibus reservatur [3], attamen jam ante sæculum xv, quidam episcopi eamdem facultatem sibi arrogarunt; inter quos fuit ille Germanus Amathuntis episcopus et civitatis Nemesi Cureorumque præfectus, *cujus orationem condonatoriam* (seu diploma ἀφέσιμον) edidit Goarius in *Euchologio*, ed. Venet., 1730, p. 542 [4].

Ad chartas condonativas pro mortuis quod attinet, quasdam formulas invenies apud eumdem Goarium, p. 543-547; ex quibus aliquae rationem indulgentiæ plenariæ habent cum absolutione generali omnium peccatorum et vinculorum; aliæ vero sunt absolutiones ab omni maledicto et excommunicatione. Συγχωροχάρτια pro mortuis adhuc concedunt patriarchæ orientales. Unum a patriarcha Constantinopolis Callinico II anno 1698 datum edidit Papadopulus Kerameus in tomo XIII collectionis Hurmuzaki : *Teste greçesti privitoare la istoria românescà*, Bucarestii, 1909, p. 389-392. Aliud invenies in *Revue Augustienne*, t. x (1907), p. 312-313, a Constantio I, patriarcha Constantinopolitano anno 1833 concessum pro quibusdam defunctis eparchiæ Cæsareæ in Cappadocia. Tertium ab Anthimo VI Constan-

1. Unum diploma Chrysanthi anno 1710 datum edidit Henricus Benzelius : *Dissertatio theologica gradualis de sectis Ecclesiæ orientalis nostri temporis*, Londini Gothorum, 1733, p. 74-75. Cf. E. Legrand, *Bibliographie hellénique du XVII^e siècle*, t. IV, p. 171. Aliud συγχωροχάρτιον ab eodem Chrysantho accepit peregrinus russus Barskii, anno 1725. Lebedev, *op. cit.*, p. 717.

2. Tria hujus Parthenii συγχωροχάρτια edita sunt. Primum, rumenice scriptum, anno 1740 publicatum est; secundum græco idiomate anno 1764 in Valachia impressum; tertium, quod est pro mortuis, edidit Abrahamius Hierosolymitanus, anno 1782. Hoc etiam invenies in *tertia epistola* J. Pitzipii, *Le chrétien oriental*, Maltæ, 1852. Cf. etiam ejusdem auctoris : *L'Église orientale*, Romæ, 1855, I^a pars, p. 66 et 79, et *Biserica ortodoxa romana*, t. XXVIII (1904), p. 902.

3. Kursulas, *op. cit.*, t. II, p. 425, potestatem concedendi συγχωροχάρτια tribuit « τοῖς τὴν ὅλην τῆς Ἐκκλησίας ἐμπιστευθεῖσι ἐπιστασίαν. »

4. Hic Germanus, Pessimandrus vocatus, sub Innocentio papa IV, totius insulæ Cypri metropolita renuntiatus est pro fidelibus græci ritus. Cf. quæ de eodem infra dicimus, p. 384, n. 1.

tinopolitano anno 1846 tributum exhibet M. Malatakis in suo opusculo : *Réponse à la lettre patriarcale et synodale de l'Église de Constantinople*, Constantinopoli, 1896, p. 64. In Ecclesia russica autem, ubi patriarcha non erat qui συγχωροχάρτια pro defunctis concederet, mos invaluit formulam συγχωροχαρτίου, quod Russi *razrêchitelnaia molitva* appellant, super mortuum recitandi. Ipse textus hujus absolutionis typis impressus in manus cujusque defuncti traditur.

Quædam autem συγχωροχάρτια sunt simul et provivis et pro defunctis. Ex istis unum publicavit L. Petit in t. XXXIX collectionis Mansianæ, col. 973-977, a Neophyto VII, patriarcha Constantinopolitano, anno 1792 concessum monachis cœnobii Xeniæ et metochiorum ejus in diœcesi Zetunii sitorum. Idem diploma jam ediderat N. J. Giannopulus in diario Δελτίον τῆς ἱστορικῆς καὶ ἐθνολογικῆς ἑταιρίας τῆς Ἑλλάδος, t. IV (Athenis, 1892), p. 666-670.

Ut lector de hujusmodi chartis condonativis necnon de earum ad indulgentias latinas ratione sententiam sibi fingere possit, quædam harum specimina ob ejus oculos exhibere necessarium est.

I. — Συγχωροχαρτίων PRO VIVIS SPECIMINA

A. *Indulgentia a Germano Amathuntis episcopo concessa* [1] (*circa annum 1260*). Ex Goario, *op. cit.*, p. 542.

« Humilitas nostra per gratiam et donum et potestatem sanctissimi et vivifici Spiritus a Salvatore nostro Jesu Christo divinis et sacris suis discipulis ad liganda et solvenda hominum peccata concessam, dicente ipsis : *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis*, etc., (ab ipsis vero ad nos

1. De hoc Germano Amathuntis in Cypro insula episcopo nihil scimus; sed suspicamur illum eumdem esse ac Germanum I Pessimandrum, qui Cypri archiepiscopus ritus byzantini ultimus fuit, postquam Latini insulam occuparunt. Vi enim constitutionis Alexandri papæ IV (1254-1261), Germanus successorem in sua archiepiscopali dignitate non habuit. Cf. *Constit. Cypriam Alexandri IV*, in *P. G.*, t. CXL, col. 1533 sq. Si hæc indulgentiæ formula ad Germanum Pessimandrum revera pertinet, prima videtur esse quæ inter Græcos data fuerit. Hoc autem fecerit Germanus, qui unioni cum Ecclesia romana utcumque adhæsit, ut usum Latinorum indulgentias concedendi imitaretur.

usque successive sancta illa gratia dilapsa est), tenet condonatam filiam suam in spiritu quantum ad omnia, quibus ut homo peccavit, et in Deum verbo, opere, cogitatione et omnibus suis sensibus deliquit. Si vero maledicto vel pontificis excommunicationi, aut patris, aut matris subjecta est, aut certe propria exsecratione implexa est, aut jusjurandum est transgressa, vel quibusve aliis peccatis ut homo circumventa est, *illaque patribus spiritualibus est confessa, et ab eis pœnitentiam accepit : ab illorum omnium reatu et vinculo liberam habemus* (ἐκ τούτων πάντων τῆς ἐνοχῆς καὶ δεσμεύσεως ἐλευθέραν ἔχομεν αὐτήν) et condonatam ((καὶ συγχεχωρημένην) omnipotenti virtute divini et adorandi Spiritus. Quæcumque vero ex oblivione aut *pudore* tacita prætermisit, ei remittat Deus, qui est benedictus in sæcula. Amen. »

B. Ἀφεσίμου *forma brevior*. Ex Goario, *ibidem*, p. 543.

« Miserationum pater et misericordiæ Deus, qui non vult mortem peccatoris, quin potius ut convertatur et vivat, qui omnia pro salute postulata concedit, ipse quoque tuam ex fide petitionem suscipiat, fili, et despectis infirmitatis humanæ delictis, *omnia tibi per nos a prima ætate ad præsentem usque statum in opere, verbo et cogitatione, scienter aut ignoranter peccata perpetrata condonet : quæ videlicet patribus spiritualibus denunciasti et confessus es, et ab iis pro viribus abstinere studuisti*. Confide itaque quia nullo tibi impedimento erunt priora delicta : quin potius beatorum consortio efficieris dignus per Dei misericordiam, intercessionibus Deiparæ. Amen. »

C. Συγχωροχάρτιον *Theodosio Zygomalæ a Michaele VII patriarcha Antiocheno ante 1584 concessum*. Ex M. Crusio, *Turco-Græcia*, p. 104.

« Michael miseratione Dei patriarcha magnæ Dei urbis Antiochiæ totiusque Orientis.

« Gratia, dono ac potestate sancti et auctoris vitæ Spiritus, etc... » Textus omnino idem est, si tres vel quatuor lectiones excipias, ac exemplar diplomatis Germani Amathuntis mox descripti. Desunt tamen verba in fine posita : « Quæcumque vero ex oblivione aut pudore tacita prætermisit, ei remittat Deus, qui est benedictus in sæcula. » Item loco : « καὶ τὸν παρ'αὐτοῖς κανόνα ὑπεδέξατο », legitur : « καὶ τὸν παρ'αὐτῶν (id est : τῶν πνευματικῶν πατέρων) κανόνα ἀκριβῶς ἐποιή-

σατο . » Diploma vero sic inscribitur : *Absolutoria deprecatio patriarchæ Antiocheni Michaelis, quam recitat supra caput ejus, qui ipsi confitetur, gestans pontificiam stolam et deprecans salutaria, monens item declinare a malo et facere bonum.*

II. — Specimina συγχωροχαρτίων pro defunctis

Ut supra diximus, Græco-Russi defunctos ab omnibus censuris, peccatis et pœnis plene absolvunt eodem prorsus modo quo vivos, ut ex sequentibus formulis patebit.

Oratio absolutoria super defunctum recitata in Ecclesia russica.

« Per gratiam et donum et potestatem, quam sanctis suis discipulis et apostolis contulit, ligandi scilicet et solvendi hominum peccata, quando illis dixit : *Accipite Spiritum Sanctum*, etc.; quæ potestas ad nos usque successive devenit : Dominus noster Jesus Christus per me, peccatorem indignum, huic filio spirituali N... condonet quidquid in Deum, verbo, opere, cogitatione et omnibus suis sensibus voluntarie vel involuntarie, scienter aut ignoranter deliquit. Si vero maledicto et excommunicationi pontificis vel sacerdotis, aut patris aut matris subjectus est, aut certe propria exsecratione implexus est, aut jusjurandum est transgressus, vel quibusve aliis peccatis circumventus est, *de illisque corde contrito pœnitentiam egit, ab illorum omnium reatu et vinculo sit solutus.* Quidquid autem ex humanæ naturæ infirmitate oblivione tacuit, hoc Dominus noster pro suo erga homines amore ei condonet per intercessionem nostræ sanctissimæ et benedictæ mediatricis, Deiparæ Mariæ semper virginis, sanctorum et gloriosorum Apostolorum et omnium sanctorum. Amen. »

Hujus absolutionis versionem germanicam dedit Maltzev, *Begrabnis-Ritus... der orthodox-katholischen Kirche des Morgenlandes*, Berolini, 1898, p. 132. Versionem gallicam invenies in *Revue Augustinienne*, t. x, p. 432-433. Eamdem germanice retulerat Johan King, *Die Gebraüche der griechischen Kirche* in Russland, Rigæ, 1773, p. 337. Textum cum *indulgentia* Germani Amathuntis ad verbum fere convenire lector animadvertat.

III. — Συγχωροχάρτια PRO DEFUNCTIS A PATRIARCHIS GRÆCIS CONCESSA

Pleraque diplomata hujus modi generatim perlonga sunt. In principio, memoratur potestas clavium apostolis eorumque successoribus concessa. Deinde venit enumeratio plus minusve longa peccatorum a defuncto vel defunctis (quorum nomen datur) per totum vitæ tempus commissa (vel potius, quæ committere potuerunt). In fine, datur absolutio plenaria omnium censurarum, peccatorum et vinculorum sive sub forma indicativa, sive sub forma deprecativa, sive sub utraque simul, sive tandem sub forma simpliciter declarativa. In synchorochartio a Callinico II, anno 1698 pro Constantino Sevarvoda data et a Papadopulo Kerameo, *loc. cit.*, publicata, duplex habetur forma absolutionis, una indicativa et declarativa, quæ verbis sequentibus potissimum constat : ἐκ τούτων οὖν πάντων τῆς ἐνοχῆς τε καὶ τοῦ δεσμοῦ ἔχομεν αὐτὸν συγκεχωρημένον καὶ λελυμένον ἐν τῇ τοῦ Πνεύματος δωρεᾷ καὶ ἐλεύθερον ἀποκαθιστῶμεν, *ab horum igitur omnium reatu vinculoque eum habemus condonatum et solutum in gratia Spiritus, et liberum eum constituimus;* altera vero deprecatoria, qua venia a Christo postulatur.

Item in synchorochartio turcice scripto, quod Constantius I Constantinopolitanus anno 1833 pro quibusdam defunctis diœcesis Cæsareæ tribuit, forma est simul indicativa et deprecativa : « C'est pourquoi en vertu de la grâce qui nous a été transmise des Apôtres, nous pardonnons, absolvons et délions : Prodromos, Pétros, le pèlerin Siméon, Anna, Soultana, Koula, le pèlerin Ayani, Indji, Pétros, Moïsis, Mériem et Despina, défunts de l'éparchie de Césarée, de tous leurs péchés de l'âme et du corps, en ce monde et en l'autre, quelle que soit l'espèce de péchés auxquels, en cédant à la superbe, ils se sont laissés aller par ignorance ou de propos délibéré. » *Deinde, post longam enumerationem peccatorum, absolutio repetitur sub hac forma :* « De tous ces péchés connus ou inconnus, nous pardonnons, absolvons, délions et sauvons les susdits défunts par la force, l'assistance et la grâce du Saint-Esprit. S'ils ont commis certains autres péchés que, par faiblesse humaine ou pour toute autre raison, ils n'ont pas confessés, nous les en

absolvons aussi de tous, et nous supplions Dieu, au nom de sa miséricorde infinie et de sa bonté suprême, de leur pardonner. Que votre clémence infinie, ô bienfaisant et miséricordieux Seigneur Jésus-Christ, leur soit appliquée, etc. » *Revue Augustinienne*, t. x, p. 312-313.

Eodem ordine eademque ratione concinnatur synchochartium Neophyti VII Constantinopolitani pro vivis et defunctis monachis cœnobii Xeniæ concessum et a L. Petit, *loc. cit.*, editum : « Divina immaculataque Dei Salvatoris gratia ad nos usque continuo ordine perducta *condonatos habemus* hieromonachos, diaconos, monachos et ceteros qui religiosam vitam agunt in patriarchali nostro et stauropegico monasterio... *cum vivos tum mortuos, et absolutos a quovis mentis et corporis peccato* in quibuscumque etiam ipsi ut homines peccarunt, atque in Deum verbo, opere, cogitatione, sponte vel invite, scienter vel inscienter, propalam vel occulte, quovis tempore et loco et modo, omnibusque suis sensibus deliquerunt. » *Sequitur enumeratio peccatorum.* Deinde, de defunctis hæc adduntur : « qui *hæc omnia spiritualibus patribus paenitendo confessi sunt, ab eisque impositam sibi pænitentiam* intimis animis adimplere spoponderunt, perficere autem non potuerunt, quod ad Deum demigrarunt... *Horum igitur omnium notorum ignotorumve peccatorum eorum ac delictorum a reatu et vinculo eos omnes exsolvimus, liberatos habemus et venia donatos restituimus* sanctissimi Spiritus virtute summaque potestate et gratia, τῆς ἐνοχῆς τε καὶ τοῦ δεσμοῦ λύομεν αὐτοὺς πάντας, καὶ ἐλευθέρους ἔχομεν, καὶ συγκεχωρημένους ἀποκαθιστῶμεν ἐπὶ τῇ τοῦ παναγίου Πνεύματος δωρεᾷ καὶ κυριαρχικῇ ἐξουσίᾳ καὶ χάριτι. »

Postea venit oratio ad Christum, qua etiam postulatur resolutio cadaveris defunctorum in pulverem, si forte, dum adhuc viverent, excommunicationem incurrerint. « Multa enim, ut scribit L. Petit, *loc. cit.*, col. 977, n. 1, de excommunicatorum cadaveribus Græci recentiores comminiscuntur. Inter ea præcipuum est excommunicatorum cadavera non abire in pulverem neque dissolvi, sed instar tympani (τυμπανιαῖοι, τυμπανικοί) intumescere, et sic inflata longum per tempus durare, donec ab eo qui excommunicatione feriit vel ab alio, cui similia peragendi facultas est, a vinculo excommunicationis dissoluta, compagines etiam nervorum

dissolutæ fuerint, sicque in cineres convertantur. Et quemadmodum excommunicatione corpus adstrictum indissolutum manet, ita et anima extra corpus vinculis colligata a dæmonibus cruciatur; sicut etiam excommunicationis absolutione recitata, cadavera compagine dissoluta in pulverem abeunt, ita et anima a vinculis, quibus adstringitur a dæmonibus, exsoluta, gaudens in cælestem patriam immigrat. » Cf. Allatium, *De Purgatorio*, p. 38-41. Corpora vero sanctorum, quæ speciali Dei providentia in signum eorum eximiæ virtutis a corruptione servantur, si Græcos audias, non intumescunt, sed desiccata manent, ita ut apud illos sint speciales regulæ *discretionis corporum;* de quibus tamen non una est omnium sententia. Georgius Scholarius, v. g., in *Quarto tractatu de anima*, 6, 8, quem nuper edidimus (Georges Scholarios, *Œuvres complètes*, t. I, p. 527-531) consulte docet cadaveris incorruptionem causis mere naturalibus non raro tribuendam esse; unde huic signo non fidendum ad sortem æternam mortuorum dignoscendam.

CAPUT SEXTUM

DE SACRAMENTO ORDINIS

Prænotamina.

Quanquam utraque Ecclesia, latina scilicet et græca, de numero ordinum, qui minores dicuntur, non plene concordant, nec una jamdudum exstat utrinque differentia in ritu collationis cujusque ordinis, majoribus non exceptis, nulla tamen unquam exorta est inter Græcos et Latinos de Ordinis sacramento controversia *dogmatica* proprie dicta, saltem *ad recentiora usque tempora*. Controversiam dico *proprie dogmaticam*, quod inde a synodo Trullana — ergo multo ante schisma consummatum — lis quædam incepit, quæ nondum sopita est, circa quæstionem ad clericalem disciplinam spectantem, legem scilicet perpetui cælibatus, ad quam Ecclesia latina a subdiaconatu inclusive suos adstringebat clericos, dum Ecclesia byzantina ab eodem usque ad episcopatum exclusive usum matrimonii ante ordinationem rite contracti suis permittebat. Ut in primo hujus operis volumine diximus [1], Trullani Patres eo procacitatis devenerunt, ut depositionis pœnam clericis legem Ecclesiæ romanæ servantibus minati fuerint. Hanc criminationem, quam inter ἀδιάφορα ecclesiasticæ unitati minime adversantia primum computaverat [2], anno 867, in *Epistola encyclica ad episcopales thonos Orientis*, Photius jam cum papa stomachans, adversus Occidentales recoxit [3]; cujus deinceps vestigia communiter pressere polemistæ antilatini. Neque hujusmodi impetu abstinent hodierni compendiorum

1. P. 84.
2. *Ibid.*, p. 108.
3. *Ibid.*, p. 106.

theologiæ dogmaticæ vel polemicæ auctores [1], qui hoc solo crimine non contenti, alia jam proferre inceperunt. In programmate siquidem theologiæ polemicæ a Synodo Dirigente russica ultimis his annis delineato, reprehenditur romana Ecclesia non solum ob cælibatus clericalis legem, sed etiam quod notiones canonicas cum dogmaticis inconsiderate misceat atque confundat. Quid autem sibi velit hujusmodi accusatio nobis aperiunt theologiæ polemicæ auctores.

« Ecclesia catholica, inquiunt, canonem cum dogmate miscet, dum tribus ordinibus sacris a Christo institutis novum ordinem his tribus superiorem, papatum scilicet, adjungit. Principatus papæ in romana Ecclesia habetur non ut institutum ecclesiastico-juridicum, sed 1° ut sacramentum, ut gradus sacerdotii gratiam sanctificantem conferens, ut unicum et solum gratiæ instrumentum pro toto corpore Ecclesiæ; 2° ut directa ac immediata institutio Jesu Christi; 3° tandem ut quid omnem cum episcopis in donis gratiæ æqualitatem ac paritatem excludens. Exinde sequitur non tantum tres esse sacerdotii gradus gratiam conferentes, sed quatuor saltem [2]. » Item aliam dogmatis et canonis confusionem nostri polemistæ deprehendunt in institutione cardinaliciæ dignitatis, eo quod cardinales, etiam illi qui diaconi et presbyteri audiunt, ante alios episcopos, immo ante patriarchas ipsos, post papam statim incedant [3]. Atqui ne ullum quidem verbum de cardinalibus in tota Scriptura ac

1. Cf. Perov, *op. cit.*, p. 101-102; Truskovskii, *op. cit.*, p. 91 sq.; Malinovskii, p. 428-429; Macarius, p. 504, qui tamen, p. 500 sq., pro cælibatu episcoporum haud paucis argumentis decertat et ostendere conatur eum in traditione apostolica fundari. Contra cælibatum clericorum prout in Ecclesia latina observatur, tria potissimum urgent polemistæ russi : 1° Hujusmodi lex in sacra Scriptura fundamentum non habet; 2° Patrum ac conciliorum antiquorum traditioni adversatur; 3° nec scopo ac fine intento, majore scilicet spirituali cleri perfectione, laudanda evadit, quod ad hujusmodi finem revera non perducat, sed morum corruptioni potius faveat.

2. Malinovskii, p. 427; Truskovskii, p. 92; Perov, p. 102-103.

3. Malinovskii, p. 428, addit : « Cardinales-presbyteri episcopale jus habent ordines minores conferendi; immo *cardinales-diaconi missam celebrare possunt sicut presbyteri*; » ex quo colliges auctorem verum statum hodiernum cardinalium presbyterorum vel diaconorum prorsus ignorare.

Traditione invenies [1]. Tertiam ejusdem generis commistionem notat Malinovskii : Romana Ecclesia, inquit, non solum tres sacerdotii gradus, episcoporum scilicet, presbyterorum ac diaconorum agnovit, sed etiam his tribus annumeravit alia ministeria ecclesiastica, ut officium ostiariorum, lectorum, exorcistarum, subdiaconorum, ita ut omnes sacerdotii gradus septem numero sint, et multo plures si illis adjungas gradus episcopalis divisiones, archiepiscopi videlicet, metropolitæ, patriachæ et papæ [2]. Latinis etiam exprobat idem theologus tum invectionem porrectionis instrumentorum in ritum ordinationis, tum novum ritum unctionis in consecratione episcopi et presbyteri [3]. Ex hujusmodi novitatibus, inquit, maxima inter theologos catholicos exorta est opinionum varietas de materia et forma hujus sacramenti [4].

Has recentiorum Russorum incusationes parvi vel nullius momenti esse per se patet; quippe quæ polemistarum ignorantiam circa veram Ecclesiæ catholicæ doctrinam magis arguunt quam hanc ipsam doctrinam vulnerant. Graviores sane inter theologos dissidentes nostri ævi et Catholicos differentiæ exstant, quæ tum validitatem ordinationum heterodoxorum, tum characteris sacerdotalis indelebitatem respiciunt; de quibus cum pauca in primo capite præmiserimus, nunc fusius agere debemus.

Nec silentio omnino premendæ sunt illæ intestinæ de hierarchia ecclesiastica controversiæ, quæ Niconianos orthodoxos inter et diversi generis rascolnikos jam pridem

1. Perov, p. 103.

2. *Op. cit.*, p. 427.

3. *Ibid.*, p. 425. Ritum unctionis in ordinationibus latinis jam carpserat Simeon Thessalonicensis, *De sacramentis*, 75, 77, col. 250 C, 252 B : « Καινοτομοῦσι δὲ καὶ οἱ τῷ μύρῳ ἐν ταῖς χειροτονίαις νομικῶς χριόμενοι Λατῖνοι... Bene autem non sensibiliter unguntur qui ordinantur, quod nihil materiale operantur, sed omnia spiritualia, et quod ad verum accesserunt unguentum, quod est Jesus Christus, cujus nomen unguentum est effusum. » Aliquid autem gravius in Latinorum ordinationem profert Simeon, dum scribit, *ibid.*, col. 250 C : « Χωρὶς τοῦ θυσιαστηρίου χειροθετούμενοι, καὶ ἀχαρίτωτοι οὗτοι, *Absque altari ordinati* (id est, non ad ipsum altare), *absque gratia sunt* »; quibus verbis minime attenderunt polemistæ posteriores.

4. Mox videbimus etiam inter Græco-Russos opiniones de institutione, materia et forma hujus sacramenti pullulare.

exarserunt. Niconiani siquidem perpetuam in vera Ecclesia sacerdotii existentiam ad finem usque sæculorum tueri habent contra bezpopovtsos, quorum doctrina est Antichristi temporibus hierarchiam ecclesiasticam penitus desituram esse ac perituram [1]. Contra popovtsos vero (qui et *bieglopopovtsi* apud illos audiunt), contendentes episcopos, tempore persecutionis, vitæ Ecclesiæ non omnino necessarios esse, eorumque vices presbyteros simplices aliquatenus supplere posse, necessitatem absolutam episcopatus iidem propugnant [2]. Demum adversus *Bielokrinitzianos*, qui jam inde ab anno 1846 ex metropolita Ambrosio, a patriarcha œcumenico suspenso, episcopos sibi adsciverunt, gravis quæstio de validitate ordinationum ab episcopo pœnis ecclesiasticis obnoxio collatarum eisdem solvenda est [3].

Post omnimodam rerum perturbationem, quæ in Russia nuper accidit, novæ inter ipsos antiquæ Orthodoxiæ asseclas dissensiones exortæ sunt; quæ tamen non tam dogma quam disciplinam ecclesiasticam respiciunt. Ita factio illa, quæ *Renovatio ecclesiastica* audit, canonibus Trullanis de cælibatu episcoporum necnon de monogamia clericorum valedixit, jamque haud paucos habet hierarchas conjugatos [4]; contra quos illi qui *Tichoniani* vocantur, antiquæ disciplinæ adhuc addicti, cælibatus clericalis apologiam texere coguntur, qui eumdem adversus Latinos paucis abhinc annis plus minusve deprimebant.

Hanc de cælibatus clericalis quæstionem catholicis doctoribus jamdudum exhaustam, nec ad dogma proprie pertinentem hic tangere nostri propositi non est. De his tantum

1. Cf. Plotnikov, *op. cit.*, p. 213-221. Sequentes sacræ Scripturæ locos tanquam pro se facientes citant bezpopovtsy : Daniel, IX, 27 ; XII, 7; Is., I, 7-8; Osee, XIII, 16, XIV, 1; Mich., III, 5-71.

2. Plotnikov, *ibid.*, p. 248-264.

3. *Ibid.*, p. 264-280. Episcopatus momentaneam cessationem, quæ apud ipsos fere ducentos annos perduravit, Bielokrinitziani argute explicare tentant. Dicunt nempe cum suo doctore Paulo Vassiliev episcopatus gratiam apud se nunquam penitus defecisse, sed ad tempus absconditam fuisse atque obscuratam, eodem ferme modo quo ignis sanctuarii occultatus in puteo remansit Babylonicæ captivitatis tempore; adventante vero novo Nehemia, metropolita Ambrosio scilicet, pleni sacerdotii flamma ex aqua crassa ac lutosa rursus exarsit.

4. Cf. E. Goudal, *La situation religieuse en Russie*, in *Échos d'Orient*, t. XXVI (1927), p. 304-320.

capitibus, quæ ad theologiam dogmaticam directe spectant, disserere satis erit, scilicet :

1° De nominibus, definitione et institutione sacramenti Ordinis;

2° De numero ac distinctione ordinum;

3° De materia et forma cujusque ordinis;

4° De effectibus sacramenti Ordinis ac præsertim de charactere;

5° De ministro ejusdem sacramenti tum orthodoxo, tum schismatico, hæretico vel deposito.

ARTICULUS I

De nominibus, definitione ac institutione sacramenti Ordinis.

I. — De nominibus.

Diversis nominibus et appellationibus Patres et theologi græci posteriores Ordinem designant prout vel ipsam ordinationem, vel sacramentum in facto esse, vel diversos ejus gradus, vel ipsam clericorum universitatem ordinibus insignitorum significare volunt.

Sub prima ratione Ordo vocatur χειροτονία, vel χειροθεσία; vel ἐπίθεσις τῶν χειρῶν, vel etiam ἐπιβολὴ τῶν χειρῶν [1]. Vox χειροτονία, quæ communius usurpatur, triplicem sensum habet apud auctores ecclesiasticos : 1° sensum omnino generalem, apud auctores profanos etiam occurrentem, quo significat electionem, et idem sonat ac ψῆφος, suffragium; antiquitus enim et magistratus civiles et etiam antistites per manus elevationem vel porrectionem eligebantur [2]; 2° sensum proprie ecclesiasticum ac sacramentalem, quo indicatur ritus ordinationis clericorum *quorumcumque;* et tunc plane respondet vocibus χειροθεσία vel ἐπίθεσις τῶν χειρῶν; notum est enim clericos ordinari per manuum impositionem episcopi [3];

1. Basilius, *Epist.*, l. II *epist.*, CCXL, 3, *P. G.*, t. XXXII, col. 897 B.

2. Ita in can. 4 concilii Nicæni I, in can. 19 synodi Antiochenæ.

3. Ita in can. 1 apostolorum : « « Ἐπίσκοπος ὑπὸ δύο ἢ τριῶν χειροτονείσθω. » Cf. *Act.*, XIV, 23 : « χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς κατ'ἐκκλησίαν πρεσβυτέρους. »

3° sensum *stricte sacramentalem*, quo designat illum ordinationis ritum, quem theologi græci habent ut sacramentum proprie dictum, ordinationem scilicet episcopi, ordinationem presbyteri necnon ordinationem diaconi; seu, si mavis, in hoc ultimo sensu χειροτονία dicitur de tribus solis gradibus superioribus Ordinis, qui intra sanctuarium seu βῆμα necnon intra missæ sacrificium conferuntur; et tunc χειροτονία opponitur τῇ χειροθεσίᾳ pressiore sensu acceptæ pro ordinatione subdiaconorum, lectorum vel cantorum, quorum ordo non habetur ut sacramentum divinitus institutum, et confertur extra sanctuarium seorsumque a sacræ liturgiæ celebratione; hi enim gradus inferiores in ritu byzantino dantur quidem, sicut et majores, per manuum impositionem; non sunt tamen sacramenta, utpote ab Ecclesia instituti. Hanc certam distinctionem inter utriusque vocis « χειροτονία » et « χειροθεσία » significationem, cujus vestigia apud quosdam antiquos occurrunt [1], apud plerosque quidem Græcos recentiores, sive canonistas sive theologos, invenies, non vero apud omnes [2], etiam inter recentissimos, ex quibus aliqui utrumque terminum promiscue usurpant ad designandam impositionem manuum in genere, prout fit in diversorum ordinum [3] collatione.

Vox χειροθεσία proprie significat manuum impositionem, nunquam vero simplicem electionem, ut vox χειροτονία; cum autem *manuum* vel *manus* impositio adhibeatur non solum

1. Tarasius, in Actis septimæ synodi, sess. I, Hardouin, t. IV, col. 52 C, jam distinguit inter χειροθεσίαν, quam accipit pro ecclesiastica benedictione, et χειροτονίαν seu ordinationem proprie dictam. Simeon Thessalonicensis autem, *De sacris ordinationibus*, 156, 159, col. 361 D, 365 B, vim utriusque vocis perspicue discriminat, dum scribit : « Ἀναγνώστου ἐστὶ σφραγίς (Quid sit hæc σφραγίς, infra dicetur), ὑποδιακόνου χειροθεσία, διακόνου χειροτονία καὶ πρεσβυτέρου. » Zonaras vero et Balsamon hujusmodi distinctionem adhuc ignorant, dicuntque subdiaconum χειροτονεῖσθαι.

2. C. Pesch, *Prælectiones dogmaticæ*, t. VII, ed. 3, Friburgi Br., 1909, p. 283, hæc habet : « Vox χειροθεσία apud Græcos recentiores *nunquam* de majoribus ordinibus adhibetur. » Hæc affirmatio veritati minime consonat.

3. Ita Corais, in versione græca *Orthodoxæ doctrinæ* Platonis Levkhin, pars II, § 37, χειροθεσία loco χειροτονίας adhibet. Ita etiam C. Œconomos in *Catechismo*, p. 71. C. Koidatis, *op. cit.*, p. 164, loquitur de χειροθεσίᾳ episcopi, presbyteri et diaconi.

in ritu ordinationis, verum etiam in sacramento pœnitentiæ necnon et in sacramento Confirmationis vel ritu receptionis quorumdam hæreticorum, hoc vocabulum non unum habet sensum in scriptis cum antiquorum tum etiam recentiorum; quoties vero ad ordinationem refertur, vel ordines quoscumque, vel inferiores tantum indicat, prout mox dictum est.

Sub secundo aspectu (sacramentum in facto esse), Ordo diversas accipit appellationes, ex quibus usitatiores sunt : 1° ἱερωσύνη (= sacerdotium, russice *sviachtchentsvo)*, τὸ μυστήριον τῆς ἱερωσύνης vel τὸ τῆς ἱερωσύνης ἀξίωμα; 2° ἡ τάξις (= Ordo) vel ἡ ἱερὰ τάξις [1]; ἡ τάξις τῆς ἱερωσύνης [2]; 3° τὸ μυστήριον τῶν ἱερατικῶν τελειώσεων [3]; 4° τὸ μυστήριον τῆς ἱερατικῆς χειροτονίας [4].

Diversi ordines vocantur τάξεις vel τάγματα [5], vel sæpius οἱ βαθμοὶ (gradus) τῆς ἱερωσύνης ἢ τῆς χειροτονίας, qui confundendi non sunt cum variis aliis officiis vel ministeriis ecclesiasticis non per manus impositionem, sed sive per simplicem promotionem seu designationem (προβολή), sive etiam per electionem vel per signum crucis cum oratione collatis. Hujusmodi officia (dicta etiam græce ex vocabulo latino ὀφφίκια) quamplurima erant in Magna Ecclesia Constantinopolitana [6], et in duplex dividebantur genus : in dignitates scilicet, ἐπιτάγματα (id est subsidiarios ordines) primum, ἀρχοντίκια (= magistratus, principatus) deinde dictas, et in διακονίας (ministeria). Ἀρχοντίκια ut plurimum exercebant presbyteri, diaconi vel lectores; διακονίας vero aliquando diaconi et lectores [7].

Ordines per χειροτονίαν vel χειροθεσίαν collati, vel potius personæ hujusmodi ordinibus honestatæ constituunt hierarchiam ecclesiasticam proprie dictam seu clerum, τὴν ἱερατικὴν

1. Ita synodus Cypria sub Germano, *loc. cit.*; Joannes Veccus in *Confessione fidei*, *loc. cit.*, p. 28.
2. Gabriel Severus, *op. cit.*, p. 90.
3. *Joasaphi monachi responsa canonica*, *resp.* XLVII, apud A. I. Almazov, *op. cit.*, p. 38. Cf. Dionysium, *De eccles. hierarchia*, c. v.
4. *Confessio Michaelis Palæologi*, *loc. cit.*, p. 18.
5. Gabriel Severus, p. 90.
6. Harum dignitatum non unum catalogum habes apud Goarium. *Euchologium Græcorum*, ed. Ven., p. 222-231.
7. Cf. J. Morinum, *Commentarius de sacris Ecclesiæ ordinationibus* altera editio, Antuerpiæ, 1685, p. III, *Exercit.*, XIV, c. 4, p. 196.

ἱεραρχίαν [1], τὸν κλῆρον, τὸν ἱερατικὸν κατάλογον, τὸν κανόνα vel τοὺς ἐν τῷ κανόνι.

II. — De definitione sacramenti Ordinis.

Varias hujus sacramenti definitiones plus minusve congruentes apud compendiorum auctores invenies. Quædam ad definitiones a theologis catholicis traditas prope accedunt, inter quas venit hæc Sylvestri Lebedinskii :

« Sacerdotium, vel potius ordinatio ministrorum Ecclesiæ, est sacramentum divinitus institutum, in quo certo atque idoneo homini legitime vocato et electo, per invocationem Spiritus Sancti, facta ab episcopo impositione manus, confertur peculiaris potestas perinde sacramenta administrandi ac verbum Dei publice docendi ad instaurationem sanctorum, ad opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi [2] »;

Item illa Macarii Bulgakov :

« Sub nomine sacerdotii, quatenus est sacramentum, venit ille ritus sacer, in quo per manus impositionem episcopi cum oratione conjunctam super caput hominis electi, in hunc descendit divina gratia, eum sanctificans et in certo hierarchiæ ecclesiasticæ gradu constituens, ac deinceps ei propria officia adimplenti auxilium præstans [3]. »

Brevior est definitio in Catechismo Philareti occurrens : « Sacerdotium est sacramentum in quo Spiritus Sanctus, per impositionem manus episcopi, eum qui legitime electus est ad perficienda sacramenta necnon ad pascendum Christi gregem reddit idoneum. »

Notanda est definitio ab Athanasio Pariensi tradita, utpote ad characterem sacramentalem haud obscure alludens :

« Sacer Ordo est impressio divinæ gratiæ in parte rationali animæ, per quam hujusmodi sigillo signatus ad sacramenta

1. Norunt etiam canonistæ græco-russi distinctionem inter hierarchiam ordinis, τὴν ἱερατικὴν ἱεραρχίαν, et hierarchiam jurisdictionis, τὴν διοικητικὴν ἱεραρχίαν. Cf. Milasch, *Jus ecclesiasticum*, ed. græca, p. 332.

2. *Op. cit.*, p. 522.

3. *Op. cit.*, p. 490-491. Macarianæ definitioni prope consonat definitio a Dyovuniota data, Τὰ μυστήρια, p. 148.

perficienda necnon ad divina dona fidelibus distribuenda idoneus evadit [1]. »

Quidam auctores Ordinem ita definiunt, ut hoc sacramentum ad solos tres gradus superiores expresse restringatur. Ita Andrutsus : « Sacerdotium, inquit, est ritus a Deo institutus in quo per orationem et manuum episcopi impositionem descendit gratia divina promovens electum ad unum ex tribus gradibus sacerdotalibus [2]. » E contra longa definitio a Mesolora laboriose concinnata nonnisi episcopatui plene congruit [3].

III. — De tempore institutionis hujus sacramenti.

Fide catholica tenendum est, juxta concilii Tridentini definitionem (sess. XXII, can. 2), Christum instituisse apostolos sacerdotes (saltem quantum ad id quod est in sacerdotio præcipuum, scilicet quantum ad potestatem offerendi sacrificium eucharisticum) in ultima Cœna per hæc verba : *Hoc facite in meam commemorationem* [4]. De fide tamen non est Christum tunc instituisse ac apostolis præscripsisse ritum ordinationis, quo ipsi varias sacramenti Ordinis facultates tum circa corpus ejus physicum tum circa ejus corpus mysticum suis successoribus traderent. Ipsi apostoli, ut videtur, potestatem dimittendi peccata non acceperunt nisi post Resurrectionem, quando Jesus illis dixit : « Accipite Spiritum Sanctum : Quorum remiseritis peccata, remittuntur

1. P. 374 : « Ἡ τάξις ἱερά ἐστι τύπωσις θείας χάριτος ἐν τῷ ἡγεμονικῷ τῆς ψυχῆς, δι'ἧς ἐπιτήδειος γίνεται ὁ σφραγίζομενος πρὸς τὸ τὰ θεῖα ἐπιτελεῖν μυστήρια καὶ τοῖς πιστοῖς διανέμειν τὰς θείας δωρεάς. » Aliam dat Athanasius definitionem, quæ piissima est quam habet G. Severus, *op. cit.*, p. 90 : « Ἱερωσύνη ἐστὶ τάξις θεία μυστηρίου αἰσθητοῦ, δύναμιν ἔχουσα πνευματικήν, ὑπὸ ἀρρένων ἀνθρώπων ἐνεργουμένη ὑπὲρ τῆς τῶν ἀνθρώπων σωτηρίας καὶ βοηθείας, παρὰ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν παραδεδομένη. »

2. Δογματική, p. 389.

3. *Op. cit.*, p. 321. In fine suæ definitionis, hic auctor addit : « Ἡ ἱερωσύνη καθίστησιν αὐτὸν]... νὰ ἐπιτελῇ τὰ μυστήρια, μεταδιδοὺς καὶ ἄλλοις τὴν ἣν οὗτος ἔλαβε χάριν. »

4. « Si quis dixerit, illis verbis : *Hoc facite in meam commemorationem* (Luc, XXII, 19) Christum non instituisse apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum : anathema sit. »

eis, et quorum retinueritis retenta sunt [1] » (Joa., xx, 22-23). Nec sub anathemate caderet ille qui doceret Christum ipsum non *directe* nec *in specie* determinasse materiam et formam sacramenti Ordinis, sed hanc determinationem apostolorum arbitrio reliquisse, qui ipsum ritum ordinationis nonnisi post Pentecosten statuere potuerint. In hac hypothesi, dicere quis posset sacram ordinationem, id est ipsum ritum sacramentalem, post Pentecosten de mandato Christi ab apostolis fuisse constitutam.

His præmissis, facile judicare quis poteri utrum et quonam certo gradu a veritate catholica aberrent propugnatores variarum de tempore institutionis hujus sacramenti sententiarum, quas ex theologorum græco-russorum scriptis collegimus.

Primum quidem ex ipsis quidam doctrinæ catholicæ omnino suffragantur, dicentes sacramentum Ordinis a Christo institutum fuisse his verbis : *Hoc facite in meam commemorationem;* quibus addunt sive ea quæ ante Resurrectionem apostolis dicta sunt : *Quæcumque ligaveritis et solveritis super terram erunt soluta et ligata in cælis* (Matth., xviii, 18) [2]; sive quæ post Resurrectionem : *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata* [3], etc.; sive et hæc et illa [4].

Multo plures tenent hoc sacramentum apostolis fuisse traditum post Resurrectionem, quando Christus dixit : « *Sicut misit me Pater et ego mitto vos... Accipite Spiritum Sanctum,* etc. (Joa., xx, 21-23) necnon per ultima verba ante Ascensionem prolata : *Euntes docete... Et ecce ego vobiscum sum,* etc. (Matth., xxviii, 19-20) [5]. Quidam, ut Malinovs

1. Hanc dimittendi et retinendi peccata potestatem Christus implicite apostolis prius promiserat dicendo : *Quodcumque ligaveritis super terram,* etc., (Matth., xviii, 18).

2. Ita Dositheus, *Confessio fidei,* xv.

3. Ita N. Bulgaris, *op. cit.,* c. i, p. 6.

4. Ita Maltzev, *Die Sakramente,* p. ccxxxi.

5. Ita G. Severus, p. 94-95; Lebedinskii, p. 522; Athanasius Pariensis, p. 375; Antonius, § 314; Dyovuniotis, p. 152, n. 2; Mesoloras, p. 325. Cf. S. Thomam, *Suppl.,* q. xxxv, art. 4, *Sed contra :* « Apostoli receperunt potestatem Ordinis ante Ascensionem, ubi dictum est eis : *Accipite Spiritum Sanctum* (Joa., xx, 22).

kii [1], *quasi ritum ordinationis* apostolorum detegunt in duplici signo sensibili a Christo super eos facto, in insufflatione scilicet qua illis tradidit potestatem remittendi peccata, et in benedictione eis impertita, die Ascensionis, quando ἐπάρας τὰς χεῖρας αὐτοῦ, εὐλόγησεν αὐτούς » (Luc., xxiv, 50).

Alii opinantur apostolos die Pentecostes sacerdotii perfectionem accepisse. Ita synodus Cypria sub Germano [2], Jeremias II in *Responso I ad Tubingenses* [3], et præsertim Nectarius Kephalas, qui hæc habet :

« Sacerdotium in Ecclesia Christi a descensu Spiritus Sancti in discipulos et apostolos incipit. Ante hunc Spiritus Sancti adventum, *dignitatem sacerdotii apostoli non habebant*, quia Spiritus Sanctus, qui omnia subministrat et sacerdotes perficit, nondum illis supervenerat... Mysticæ cœnæ traditio habenda est ut institutio sacramenti divinæ Eucharistiæ, quod celebraturi erant apostoli, post Spiritus Sancti descensum sacerdotes et mysteriorum Christi mystæ effecti. Sancti apostoli, ante Spiritus Sancti descensum, sacramentum divinæ Eucharistiæ non perficiebant, quia hoc nullo firmatur testimonio..., quia huic sacramento conficiendo impares erant; *Spiritus Sanctus enim est qui conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi operatur* [4]. »

Unum invenimus docentem Salvatorem hoc sacramentum instituisse quando suos elegit discipulos ad prædicandum

1. *Op. cit.*, p. 414-416. Malinovskii docet apostolos ad perfectionem sacerdotii gradatim evectos fuisse : Christus primum eos vocavit, deinde elegit, postea ad prædicandum misit; ante Resurrectionem tamen non fuerunt consecrati; quod evenit quando Jesus illis dixit : « Sicut misit me Pater », etc., et die Ascensionis per benedictionem; quæ tamen habenda non est ut χειροτονία proprie dicta. Pentecostes die, plenitudinem donorum spiritualium receperunt.

2. « Ἐξελέγησαν μὲν ὑπὸ τοῦ Μονογενοῦς, καθὼς τὰ λόγια μαρτυρεῖ ..... ἐτελειώθησαν δὲ κατὰ τὴν Πεντηκοστήν, ἐπιφοιτήσαντος αὐτοῖς τοῦ παναγίου Πνεύματος. »

3. *Resp.* I, c. vii. *Loc. cit.*, p. 40. Jeremias verba synodi Cypriæ ad verbum repetit.

4. Μελέται περὶ τῶν θείων μυστηρίων, Athenis, 1915, p. 107-108 : « Οἱ ἀπόστολοι πρὸ τῆς ἐπιφοιτήσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος οὐκ εἶχον τὸ ἀξίωμα τῆς ἱερωσύνης... Πρὸ τῆς ἐπιφοιτήσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος δὲν ἠδύναντο νὰ κλῶσι τὸν ἄρτον, ἤτοι νὰ τελῶσι τὸ μυστήριον τῆς θείας εὐχαριστίας, διότι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπιφοιτῶν ποιεῖ τὴν μεταβολὴν τοῦ ἄρτου καὶ οἴνου εἰς σῶμα καὶ αἷμα Χριστοῦ. »

Evangelium Ecclesiamque constituendam ac gubernandam [1].

ARTICULUS II

De numero et distinctione ordinum.

Septem, vel potius octo [2], ordines Ecclesia latina novit, quinque tantum, vel summum sex, Ecclesia græca. Dico : summùm sex, quia cantoratus et lectoratus apud Græcos verbo quidem distinguuntur et etiam officio, uno tamen et eodem ordinationis ritu conferuntur [3].

De numero ordinum apud Græcos multum inter auctores olim disputatum est. Theologi quidam occidentales magno eruditionis apparatu ostendere conati sunt Ecclesiam græcam omnes et eosdem ordines olim habuisse, quos ab antiquo servat Ecclesia latina. Patrum et synodorum textus congesserunt, ex quibus variorum inferiorum ordinum nomina eruerunt. Sanctus Ignatius Theophorus, in *Epistola ad Antiochenos*, non solum hypodiaconos, lectores dedit et cantores, sed etiam ostiarios, laborantes, exorcistas et confessores. Synodus Laodicena, can. 24, item habet exorcistas, ostiarios et ascetas (τὸ τάγμα τῶν ἀσκητῶν), dum sanctus Epiphanius, (in *Expositione fidei*, ad calcem *Panarii*) exorcistas, linguarum interpretes, laborantes (qui mortuorum corpora curant), janitores memorat; synodus Antiochena, can. 10, exorcistas; Pseudo-Clemens, in lib. VIII *Const. apost.*, c. XI, janitores; Justinianus, (nov. 3) et synodus Trullana (can. 4) item janitores. Acolythi soli nusquam

1. G. S. Gegle, Ὀρθόδοξος χριστιανικὴ κατήχησις, Patris, 1899, p. 81 : « Τὸ μυστήριον τοῦτο συνέστησεν αὐτὸς ὁ Σωτήρ, ὅτε ἐξελέξατο τοὺς μαθητάς του χάριν τοῦ κηρύγματος τῆς διδασκαλίας του καὶ τῆς ἱδρύσεως καὶ διοικήσεως τῆς Ἐκκλησίας. » Hanc opinionem invenies apud quosdam antiquos.

2. Mirum est plerosque compendiorum theologiæ dogmaticæ auctores inter Catholicos septem tantum ordines in Ecclesia latina adhuc numerare, cum episcopatus nunc communiter, et jure quidem, ut ordo omnino a presbyteratu distinctus habeatur.

3. Euchologium Allatii dictum, in cod. *Barb. græco 390* (sæcul. XIII) asservatum, cujus origo tenebris involvitur, solum est qui ritum distinctum habeat pro cantoratu et lectoratu. Cf. Morinum, *op. cit.*, pars II, p. 85-87.

apparent [1]. Verum, si euchologia manuscripta etiam antiquissima [2] inspicias, ritum ordinationis janitoris, vel exorcistæ, vel acolythi in nullo invenies, sed tantum ordinationem (χειροτονίαν) episcopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi, lectoris, vel lectoris et cantoris simul. In quibusdam τὴν χειροτονίαν diaconissæ leges [3]; in omnibus fere τὴν προχείρισιν *(promotionem)* hegumeni seu abbatis [4]; in aliis τὴν προχείρισιν

1. Habent sane euchologia quædam, inter quæ Cryptoferratense 28 (sæc. XI), fol. 47 (Morinus, *ibid.*, p. 66) quamdam orationem ἐπὶ κηροφόρου καὶ δεπουτάτου (vel δεποτάτου, δηπουτάτου); verum hic ceroferarius vel deputatus nec manuum impositione promovebatur nec acolythi Latinorum officio fungebatur. Deputatus enim « pontificem precedens, e via populum abigit » (Goar, p. 225); ceroferarius vero est *lampadarii*, ut videtur, alterum nomen, de quo vide infra, p. 405, n. 1.

2. Cf. *Barberinum Sancti Marci*, de quo jam sæpe, cujus ordinationes dat Morinus, *ibid.*, p. 52-59.

3. Ordinatio diaconissæ occurrit in *Barberino* sæculi VIII necnon in *Cryptoferratensi* sæculi XI, Morinus, *ibid.*, p. 56, 65. Fiebat autem, sicut et ordinatio diaconi, intra sanctuarium, in missa post oblationem, per impositionem manus episcopi alta voce pronuntiantis verba declaratoria : Ἡ θεία χάρις, etc., ac deinde super caput ordinandæ orationes duas recitantis. Ei, sicut et diacono, τὸ ὡράριον sive stolam post ordinationem collo imponebatur et anterius aptabatur. Postquam corporis et sanguinis Christi particeps facta fuerat, episcopus ordinator ei tradebat calicem, quem accipiens in sancta mensa deponebat. Matthæo Blastari, *Syntagma, littera* γ, *P. G.*, t. CXLIV, col. 1176, harum cæremoniarum seriem ex vetustis euchologiis referenti fidem adhibere olim recusavit Arcudius, *op. cit.*, l. VI, c. x, p. 547-550, dicens hæc omnia ex libris apocryphis promanare; cui respondent tum Goarius, *op. cit.*, p. 220-221, tum Morinus, pars III, *Exercit.* x, c. 1-2, p. 143-149. Nec movere aliquem debet hujus ordinationis ritus. Non enim penitus assimilatur diacono diaconissa. Orationes quæ in utraque ordinatione recitantur et pro forma, ut infra dicemus, habendæ sunt, non sunt eædem nec eumdem præferunt sensum. Diacono traditur potestas inserviendi divinis mysteriis eaque fidelibus, postquam ipse communicavit, ministrandi. Accepto enim ab episcopo sancto calice, ait rubrica, participes facit sacri sanguinis ad eum accedentes. Nil tale permittitur diaconissæ, nec ei traditur flabellum, quod diacono datur ut ad altare ventilet sancta dona. De diaconissis, earum origine apostolica, variis ministeriis erudite disserit Morinus, *loc. cit.*, p. 143-151. Jam sæculo XII, Balsamone teste, in Oriente desierant.

4. In euchologiis antiquissimis, promotio hegumeni seu abbatis non vocatur χειροτονία, sed indicatur his verbis : Εὐχὴ ἐπὶ προχειρίσεως ἡγουμένου; nec necessario confertur intra missam, nec pronuntiantur verba : Ἡ θεία χάρις...; ex quibus apparet hunc ritum pro vera ordinatione sacramentali non haberi.

magni œconomi, archidiaconi, cellarii, quarumdamque aliarum dignitatum; in quibusdam : *orationem super ceroferario et deputato* vel : *ordinem servandum in promotione ceroferarii et deputati.* Item, si quosdam textus antiquorum Patrum vel conciliorum diligenter perscruteris [1], facile deprehendes veterem Ecclesiam græco-byzantinam semper clare distinxisse inter ordines proprie dictos, qui per impositionem manus episcopi (χειροτονίαν vel χειροθεσίαν) conferuntur, et dignitates ecclesiasticas quæ clericis jam ordinatis sive per simplicem designationem, sive etiam per aliquem ritum (etiam cum manuum impositione conjunctum) inter sacramentalia necessario deputandum, superadduntur, et proprio vocabulo προχειρίσεις nuncupantur; necnon et ministeria quædam inferiora, quorum numerus pro variis Ecclesiis et provinciis variavit. Inter hæc ministeria, in Ecclesia byzantina jamdiu obsoleta, recensenda sunt antiqua officia janitoris, exorcistæ, laborantis, confessoris. Exinde doctissimus vir J. Morinus jure collegit « quinque tantum ordines esse apud Græcos manuum impositione collatos, ut tot auctores et omnia ipsorum euchologia continua traditione testantur, episcopatum scilicet, presbyteratum, diaconatum, subdiaconatum et lectoratum, qui et cantoratus audit) [2]. Sed præter istos ordines multæ sunt, inquit, partim dignitates, partim ministeria, quæ sola clericorum electione, aut episcopi designatione conferuntur. Hoc posterius nemo negat, ut prius nemo negare debet. Dignitates autem illæ et officia creverunt in immensum apud Græcos. Si quis istiusmodi occasione græcarum ordinationum numerum multiplicare velit, pari jure ordinationes latinas non septem, sed innumeras affirmare poterit : archidiaconatum, archipresbyteratum, decanatum, subdecanatum, præpositum, thesauriarium, sacristam, præcentorem... fossorem, campanarum pulsatorem, massiferos et alios quos enumerare longum esset. Quæ igitur differentia inter septem ordinationes latinas et

1. Cf. Morinum, *Exercit.* XIV, c. II, p. 192-194.

2. Unde in *Epistola Constantinopolitanorum ad Martyrium Antiochenum* (sæcul. V) (Leunclavius, *Jus græco-rom.*, t. I, l. IV, p. 291), legitur nomen ψαλταναγνώστης ex utraque voce græca compositum.

has dignitates seu ministeria, eadem inter græcas χειροτονίας et ἀρχοντίκια illa καὶ διακονίας [1]. »

Mirandum est quod theologi græco-russi recentiores de numero ordinum in sua Ecclesia inter se non conveniant, quamquam Ecclesiæ autocephalæ omnes eosdem ritus ordinationum, prout in euchologio byzantino occurrunt, absque ulla notabili differentia norunt. Quidam, Latinorum instar, septem ordines numerant. Ita Gabriel Severus :

« Septem sunt, inquit, sacerdotii ordines : 1° ordo janitorum et acolytharum; 2° exorcistarum; 3° lectorum; 4° subdiaconorum; 5° diaconorum; 6° presbyterorum; 7° pontificum et episcoporum [2]. »

Severus ergo confundit janitores cum acolythis, non distinguit inter lectores et cantores, exorcistas novit. Atqui ne ullum quidem vestigium ordinationis janitorum vel acolytharum, vel exorcistarum in euchologiis græcis apparet [3].

Metrophanes Critopulus item eosdem, quos G. Severus, ordines recenset [4]; silet tamen de acolythis, et jure quidem, cum eorum nulla mentio occurrat in scriptis Patrum Orientis.

Confessio orthodoxa Petri Moghilæ sub communi nomine sacerdotii (ἡ ἱερωσύνη) tum episcopatum tum presbyteratum

1. *Op.* et *loc. cit.*, p. 194. Quæsierunt olim quidam theologi latini utrum Græci ad fidem catholicam conversi, ad susceptionem ordinum minorum quos non habet Ecclesia byzantina, cogendi sint, ut postulabat Innocentius IV, scribens ad episcopum Tusculanum, in regno Cypri pontificium legatum. De hac quæstione nunquam verbum factum est inter Græcos et Latinos in duobus conciliis œcumenicis, Lugdunensi scilicet et Florentino, ubi unio pacta est. Dubio finem imposuit Benedictus XIV in Const. *Etsi pastoralis*, § 7, 2 : « Episcopi græci in ordinibus conferendis ritum proprium græcum in euchologio descriptum servent, in quo etsi nonnulli de minoribus ordinibus prætermissi videantur, puta exorcistarum, eos tamen vel nunquam habuisse, vel eorum exercitium aliis ordinibus esse adnexum (ostiariatus et acolythatus subdiaconatui, ut supra observatum est) iidem Græci affirmant. »

2. *Op. cit.*, p. 91.

3. Forsan, ut Latinis complaceret, vel potius, suum libellum Venetiis editurus, ut omnem ex Sacra Inquisitione molestiam vitaret, septenarium ordinum numerum servare conatus est.

4. *Confessio fidei*, c. XI « Διήρηνται τοίνυν αἱ τῆς ἱερωσύνης τάξεις εἰς ἑπτά. » Metrophanem in hac re a G. Severo pendere omnino probabile est.

comprehendere videtur, nec unum ab altero revera distinguere, quod in theologia græco-russica est fere inauditum. Docet autem sacerdotium in se continere alios gradus, scilicet lectorem, cantorem, *lampadarium*, subdiaconum, diaconum. Lectoratus vero et cantoratus ritu ab invicem non distinguntur, ut supra diximus. Lampadarius e contra (ὁ λαμπαδάριος) apud Græcos nunquam fuit ordo, sed ministerium quoddam Magnæ Ecclesiæ, cujus officium erat cereos in Ecclesia accendere vel emungere, vel cereum patriarchæ gestare [1].

A. Maltzev, præter tres majores ordines, subdiaconatum et *lectorem-psalmistam* seu cantorem, *ceroferarium (leuchtertrager)* memorat [2], de quo tacet euchologium.

S. Lebedinskii : « Sacerdotii ordines, inquit, vulgo numerantur quinque, nempe · episcopi, presbyteri, diaconi, hypodiaconi et lectores. Sub his reliqui ordines, ut *superiores* ita et *inferiores* intelliguntur. Superiores sunt : patriarcha metropolitanus et archiepiscopus; inferiores sunt : acolythi cantores, psalmistæ [3]. » Quamnam ponat differentiam inter cantores et psalmistas nobis non aperit Lebedinskii; item, quid sit acolythus.

Demum apud plures recentiores compendiorum auctores de tribus tantum ordinibus qui habentur ut sacramenta sermo fit, videlicet de episcopatu, presbyteratu et diaconatu[4]. De aliis altum servatur silentium in theologia dogmatica; quos memorant canonistæ soli vel liturgistæ.

Re, non verbo, græci theologi ordines in majores et minores dividere solent. Majores sunt : episcopatus, presbyteratus et diaconatus, qui intra sanctuarium et in missæ sacrificio conferuntur per χειροτονίαν proprie dictam cum electionis promulgatione his verbis conceptam : « Ἡ θεία χάρις... προχει-

1. Cf. Goarium, *op. cit.*, p. 230, 240 : « Οἱ λαμπαδάριοι ἵνα καθαρίζουν τὰς λαμπάδας εἰς τὴν Ἐκκλησίαν. » Cf. etiam L. Clugnet, *Dictionnaire grec-français des noms liturgiques en usage dans l'Église grecque*, Parisiis, 1895, ad verbum Λαμπαδάριος, p. 89.

2. *Op. cit.*, p. CCXXXI sq.

3. P. 521-522.

4. Athanasius Pariensis, *op. cit.*, p. 375-376 : « Ἓν μέν ἐστιν τὸ θειότατον τῆς ἱερωσύνης μυστήριον, βαθμοὺς δὲ κυρίως ἔχει τρεῖς. » Gumilevskii, p. 208-209; Antonius, § 317; Malinovskii, p. 420-424.

ρίζεται τὸν δεῖνα, *Divina gratia promovet* N. », etc. Minores sunt : subdiaconatus et lectoratus seu cantoratus, qui extra sanctuarium et extra missæ sacrificium per simplicem χειροθεσίαν sensu strictiore acceptam absque solemni proclamatione : Ἡ θεία χάρις, etc., traduntur. Juxta quosdam canonistas, inter quos est Simeon Thessalonicensis, hypodiaconus dicitur proprie χειροθετεῖσθαι, lector vero σφραγίζεσθαι, quanquam uterque per impositionem manus episcopi, χειροθεσίαν , ordinatur [1]. Hæc autem σφραγὶς lectoratus nihil aliud est quam tonsura in formam crucis ab episcopo ante ordinationem in capite ordinandi facta. Σφραγὶς enim apud liturgistas græcos *signum crucis* vulgo audit. Σφραγὶς autem lectoris proprie vocatur σφραγὶς τῆς ἐπικουρίδος, id est ipsa tonsura σταυροειδῶς facta. « Non inde debet lector colligere, ut recte ait Morinus, tonsuram clericalem apud Græcos cum lectoratu confundi; sunt enim res distinctissimæ et variis actionibus collatæ. Sed lectoratus ordo non datur nisi præcedat tonsura, nec tonsura nisi statim subsequatur lectoratus, ita ut tonsura apud eos sit velut cæremonia ad lectoratus collationem pertinens. Hunc Græcorum morem præter euchologia recentia et antiqua, multa alia confirmant [2]. »

Græco-Russorum communissima ac fere unanimis sententia est episcopatum esse ordinem a presbyteratu omnino distinctum. Si qui, ut Petrus Moghila in *Confessione orthodoxa*, utrumque confundere videntur, hoc sane scholasticæ occidentalis influxui tribuendum. Quidam hanc doctrinam

1. *De sacris ord.*, 156, 159, col. 362-365.

2. *Op. cit.*, *Exercit.* XV, c. IV, p. 210. Animadverte apud Græcos quatuor fuisse et adhuc esse tonsuræ genera : Primum est tonsura quæ fit a sacerdote in infante paulo post baptismum; cujus ritus in euchologiis venit sub titulo : Εὐχὴ εἰς τὸ κουρεῦσαι παιδίον, sive εἰς τριχοκουρίαν (Goar, p. 306-307) et mystice explicatur a Simeone Thess., *De sacramentis*, 67, col. 232; secundum est quod pueris jam grandioribus a parentibus, qui sacris ordinibus eos consecrant, confertur; de quo cf. can. 14 concilii septimi; tertium est monachale, quo monachi ad cutem usque tondebantur, a vertice ad aures descendendo, prope quos circulus capillorum per totum caput inferius gyrabat; quartum demum est ipsa tonsura clericalis ab episcopo vel alio ministro legitime delegato in modum crucis facta. Cf. Morinum, *ibid.*, p. 212.

diserte tradunt, ut Lebedinskii [1]; alii oppositam sententiam explicite reprobant, ut Dyovuniotis [2].

Unanimiter item profitentur inferiores ordines, subdiaconatu non excepto, non esse sacramenta divinitus instituta, sed mera sacramentalia ab Ecclesia originem trahentia [3]; tres gradus superiores solos, episcopatum videlicet, presbyteratum et diaconatum sacramenti rationem habere [4]; immo, ut jam notavimus, auctores haud pauci, dum de Ordine sub aspectu dogmatico tractant, de subdiaconatu ac lectoratu omnino tacent.

Subdiaconatus in disciplina canonica byzantina hoc peculiare habet quod tribus ordinibus proprie dictis quantum ad continentiæ legem assimilatur, ita ut subdiaconus, sicut et diaconus et presbyter, nuptias valide contrahere non possit post ordinationem nec ad secundas nuptias convolare (can. 26 apost.; can. 6 et 13 Trull.). Sub hoc respectu hic ordo etiam apud Græcos inter majores recenseri potest. Cæterum subdiaconus byzantinus et subdiaconus latinus quantum ad officia et munera non parum inter se differunt. Græcus acolytho latino affinis est, quatenus lumina ad altare et intra sanctuarium præparat et adornat; ostiario, quatenus portas non exteriores, sed interiores et sacras custodit, ne profanorum quis intra sanctuarium ingrediatur; exorcistæ, quatenus catechumenos expellit, diacono exclamante : *Catechumeni procedite;* subdiacono latino, quatenus vasa sacra tangit eaque præparat ad missæ celebrationem [5]; non tamen ea tangit intra sacrificii solemnia, nec ad altare eo tempore accedit. Demum, quod nunc apud Latinos præcipuum subdiaconi officium censetur, solemnis nempe lectio epistolæ, hoc apud Græcos lectori competit.

1. *Op. cit.*, p. 529 : « Antiquitus episcopi et presbyteri iidem vocabantur, licet ordines omnino diversi fuerint. »

2. *Op. cit.*, p. 159, n. 1 : « Σφαλερὰ εἶνε ἡ γνώμη πολλῶν ἐκ τῶν σχολαστικῶν δεχομένων ὅτι ὁ τοῦ ἐπισκόπου βαθμὸς δὲν εἶνε ἰδιαίτερός τις βαθμός, ἀλλ'ἐπέκτασις καὶ τελείωσις τοῦ ἀξιώματος τοῦ πρεσβυτέρου. »

3. Cf. v. g., Milasch, p. 334, 339; Dyov., p. 157.

4. N. Bulgaris, *op. cit.*, p. 18 : « Κυρίως ἡ χειροτονία ἀνήκει μόνον τοῦ διακόνου, πρεσβυτέρου καὶ διακόνου »; Macarius, p. 491-492; Mesoloras, p. 329.

5. Simeon Thessal., *De sacris ord.*, 164, col. 369. Cf. Morinum, *Exercit.* XII, c. IV, p. 180 sq.

Lector græcus acolythi latini munia partim, subdiaconi latini partim adimplet : luminaria enim in altari accendit, ignemque sacerdoti subministrat: in Magno Introitu ante sacra dona procedit, cereos accensos deferens: τὰς προσφορὰς. aquam necnon τὸ ζέον sacerdoti affert, templum exornat cæteraque subministrat: præterea, ut diximus, epistolam legit intra sacræ liturgiae solemnia. Ut cantor autem seu ψάλτης, sacros hymnos psallentibus præcinit (κανοναρχεῖ) [1].

ARTICULUS III

De materia et forma sacramenti Ordinis.

I. — De materia.

Tria sunt in latina ordinatione episcopi et presbyteri quæ rationem materiæ habere possint, videlicet impositio manuum, porrectio instrumentorum et unctio: duo tantum in ordinatione diaconi : impositio manuum et traditio Evangelii; unum tantum in ordinatione subdiaconi et aliorum ordinum : porrectio instrumentorum. In euchologio byzantino vero sola est manus dexteræ impositio (χειροτονία vel χειροθεσία) quæ non solum pro tribus ordinibus majoribus, sed etiam pro duobus inferioribus vices materiæ gerere possit. Aliqua quidem instrumentorum vel vestium traditio in ordinationibus græcis deprehenditur [2]: verum hæc traditio

1. Simeon Thess., *ibid.*, 160, col. 365-368.

2. Lectori traditur liber apostolicus, ex quo modicum quid perlegit ille. Si vero cantor ordinetur, prepositum e psalterio legit. Subdiacono mantile (τὸ μανδύλιον = manutergium) imponitur ad humerum sinistrum eique traditur τὸ χερνιβόξεστον (= malluvium seu pollubium, seu aquimanile cum urceolo): mox pontifici manus lavanti aquam infundit. Diacono τὸ ὡράριον = stola diaconica) humero sinistro circumponitur et τὸ ῥιπίδιον (= flabellum) datur, quo ventilat sancta dona cum in divina mensa exponuntur. Presbytero pars posterior τοῦ ὡραρίου in partem anteriorem deducitur et τὸ φελώνιον (= casula vel planeta) datur, quo mox induitur. Insuper, dictis a populo verbis : *Dignum et justum est* (ergo ante consecrationem) episcopus ordinato in manus tradit e disco panem unum, eumque sic tenentem panem ipsi datum inclinat super mensam sanctam. Ipse super mensam frontem imponens, in hoc statu manet donec dicatur : Τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις (id est, paulo ante communionem). Tunc reddit panem, quem consecravit, episcopo ordinatori, et primus cæterorum presbyterorum

fit post ordinationem jam peractam, nec primitiva est [1], si tamen impositionem Evangelii super caput et collum episcopi ordinandi excipias, quæ tam apud Græcos quam Latinos antiquissima est et jam ab initio fit ordinationis. Porro hanc impositionem non esse episcopatus materiam exinde colligitur : 1° quod cum impositione manus conjungitur; unde seorsum ab impositione manus materia dici non posset; 2° quod Patres manus impositionem semper memorant, cum episcopatus causam et rationem allegant; 3° quod multæ et celebres Ecclesiæ, v. g., Ecclesia alexandrina, episcopos suos hac omissa cæremonia consecrarunt [2].

Græcos inter et Latinos quantum ad instrumentorum traditionem triplex discrimen rite notat Morinus : « Primum est quod apud Latinos instrumenta dentur initio ritus ordinationis, apud Græcos post peractam ordinationem. Secundum ex primo consequitur. Dantur apud Latinos instrumenta, ut per ea (agitur de subdiaconatu et aliis ordinibus inferioribus) ordinandus consecretur : apud Græcos, ut per ea ordinatus esse probetur et demonstretur, ut nonnulla euchologia specialiter et sigillatim adnotant... et ex ritus ordine et contextu colligere est. Apparet enim ista instrumenta post ritum peractum dari, ut potestatis et dignitatis jam acceptæ munera exerceant, et officii jam collati et ab

communicat. Ita quidem olim ubique fiebat, et ita factum est in Russia usque ad Niconem. Nunc vero ubique (etiam in Russia et apud Catholicos unitos) hostia presbytero traditur post verba : ὥστε γενέσθαι τοῖς μεταλαμβάνουσι, id est post verba epiclesis. Episcopus vero ordinato tradens sanctum panem dicit : « Accipe depositum istud, et custodi illud usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi, cum a te repetetur. » Historice sane erravit et in ritu innovavit synodus Zamosciensis dum statuit : « ne diacono in presbyterum promovendo hostia, ut a nonnullis solet, non consecrata tradatur, sed ex consecrata esse debeat, et in manibus presbyteri committi *post fractionem panis ac immediate ante ipsius sumptionem.* Enimvero hoc esse conformius antiquæ disciplinæ *evincunt tum vetera Euchologia* (!), tum verba quibus episcopus in traditione hujus panis uti solet et debet, ac insuper magis conducit ad munditiem, qua sanctissimum Christi corpus confici ac tractari debet. » *Synodus Ruthenorum Zamosciæ habita*, ed. rom., 1838, p. 100-101. Episcopo jam ordinato τὸ ὠμοφόριον (= pallium) imponitur ab ordinatore ei dicente : *Dignus*; quod clerus repetit.

1. Morinus, *op. cit.*, *Exerc.* XI, c. VII, p. 171.
2. Morinus, *op. cit.*, *Exerc.* II, c. II, p. 15-17.

ipsis accepti quasi possessionem adeant. Ideo lectori non solum datur liber apostolicus et cantori psalterium, sed reapse de Apostolo et psalterio aliquid legunt. Similiter subdiacono non tantum datur malluvium et mantile, sed etiam reapse episcopi manibus aquam infundit. Nec hoc tantum, sed quod subdiaconorum est, exclamat ordinatus : *Quicumque catechumeni, discedite*, etc., cum missa fidelium incipit. Idem multo magis in diaconi ordinatione conspicitur. Hæc autem referunt eodem modo omnia euchologia. Tertium discrimen est quod Græci, cum dant ordinatis instrumenta sua, nullis utuntur verborum formulis, ut Latini, quibus assignari possit aliqua formæ imago; sed nihil prorsus dicentes ea tradunt, ut officium quod ipsis recens collatum est, jam exercere incipiant [1]. »

Idem auctor erudite explicat quare Græci pro collatione ordinum ecclesiasticæ originis manus impositionem usurpaverint, dum Latini sola instrumentorum porrectione eosdem conferre consuevere. « Qui in Oriente, inquit, crearunt subdiaconos, formulam quam viderant ab apostolis in presbyterorum et diaconorum ordinatione observatam secuti sunt. Qui vero in Occidente, Romæ præsertim, maluerunt formulam creandorum magistratuum romanorum, quam quotidie præ oculis habebant, imitari quam judaicam; aut certe formulam mittendi magistratus in possessionem dignitatis qua insigniti fuerant; quam formulam postea Ecclesia latina in majoribus ordinibus antiquæ superaddidit. Romani enim magistratus ab imperatore creabantur traditione, sub certa verborum formula, insigniorum quibus fulgebant [2]. »

Ad unctionem vero materialis olei quod attinet, eam in byzantinis ordinationibus nunquam fuisse usurpatam omnino certum est. Equidem haud raro cum Patres antiqui tum posteriores auctores de unctione pontificum vel sacerdotum (χρίσμα ἀρχιερατικόν, χρίσμα vel χρίσις τῆς ἱερωσύνης) loquuntur, sed nonnisi unctionem mysticam et spiritualem, quæ fit per collationem Spiritus Sancti, significare volunt. Spiritus Sanctus enim unctio vel unguentum etiam in sacra Scriptura dicitur. Solus Jobi monachi locus, ubi dicit

1. *Ibid.*, *Exerc.* XI, c. VII, p. 170.
2. *Ibid.*, *Exerc.* XI, c. V, p. 165.

« sacrum chrisma seu τὸ μύρον denuo conferri tum imperatoribus, quando inaugurantur, tum *apud nonnullos* in consecratione pontificiæ præcedentiæ [1] », negotium facessere posset; verum Jobus vel ad Latinos vel ad Armenos alludere voluit, non autem de Byzantinis loqui [2].

Nunc vero quid de materia hujus sacramenti ipsi Græco-Russi sentiant, nobis dicendum. Nostris quidem diebus ex eis unum vix reperies qui hanc materiam in manus impositione episcopi pro omnibus ordinibus non ponat; olim vero quidam ab hac communi sententia recedere visi sunt. Primum habemus Jobum monachum, qui modi loquendi Scholasticorum adhuc ignarus, τὸν τρόπον sive τὴν ὕλην sacerdotii, id est, ipsum ritum sacramentalem dicebat esse « Spiritus gratiam cum verbis ordinantis necnon sacris vestimentis [3]. »

Gabriel Severus, impositionis manus penitus oblitus, hujus sacramenti materiam ita describit :

« Sacerdotalis ordinis materia est sacratissimus panis, et sacrorum vasorum quantitas [vel varietas?) necnon cujusque ordinis reliqua secundum receptum morem [4]. »

Quæ sane nihil aliud innuere videntur quam porrectionem instrumentorum vel sacrorum vestium traditionem. Haud dubium quin Gabriel rursus hic latinizet, et forsan ex industria. Aliquatenus item latinizare videtur Petrus Moghila in *Confessione orthodoxa*, qui postquam docuit sacerdotium

1. « Τάξει δέ τινι (ἐπιτελεῖται τὸ θεῖον μύρον) καὶ ἐν τῇ τελετῇ τῆς βασιλικῆς στεφηφορίας, ἢ ἔν τισι καὶ ἱεραρχικῆς προεδρίας εἴωθε γίνεσθαι. Καὶ τούτοις γὰρ προκεχρισμένοις πάντως, ὡς ἔθος πᾶσι, μετὰ τὸ βάπτισμα, ὅμως αὖθις θείου μύρου σφραγὶς περιχρίεται. » *Cod. cit.*, fol. 246.

2. Cf. Morinum, *Exercit.* VI, c. 1, p. 97-98; Arcudium, *op. cit.*, l. VI, c. 1, p. 476-479.

3. « Καὶ τρόπος, ἡ τοῦ Πνεύματος χάρις σὺν τῇ φωνῇ τοῦ χειροτονοῦντος καὶ τοῖς ἱεροῖς ἀμφίοις. » *Loc. cit.*, fol. 251.

4. *Op. cit.*, p. 93 : « « Καὶ ἡ μὲν ὕλη τοῦ ἱερατικοῦ τάγματός ἐστιν ὁ ἅγιος ἄρτος (hostia scilicet consecrata presbytero jam ordinato tradita) καὶ ἡ τῶν ἱερῶν σκευῶν ποσότης, καὶ τὰ λοιπὰ ἑκάστου τάγματος, ὡς ἔθος. » Quæ Chrysanthus Hierosolymitanus in sua editione libelli Gabrielis, Συνταγμάτιον, p. ρια', in sequentia mutavit : « Τὸ ὑποκείμενον ἤτοι ἡ ὕλη τῆς ἱερωσύνης ἐστὶν οἱ ταύτην λαμβάνοντες κανονικῶς, ἤτοι αὐτοὶ οἱ χειροτονούμενοι καθὸ ὑπόκεινται τῇ ἐπιθέσει τῶν χειρῶν τοῦ ἀρχιερέως· ὅθεν καὶ χειροτονία ὠνόμασται ἀπὸ τοῦ τὴν χεῖρα ἐκτείνειν τὸν ἀρχιερέα ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τοῦ χειροτονουμένου. »

conferri per manuum impositionem [1], ad porrectionem instrumentorum postea alludit saltem tanquam ad materiam integrantem. Dicit enim :

« Cuilibet eorum quos ordinat episcopus *manifestare* debet munus quod ei committit, sive divinam liturgiam, sive evangelii lectionem vel Apostoli, sive ut vasa gestet, sive ut ecclesiam decoret, *quoniam quilibet ordo suum habet insigne proprium, quo sigillatim alius ab alio distinguitur;* quod explanare debet episcopus [2]. »

Sensus latinizans clarius patefit in versione latina Confessionis nuper edita :

« Quoad doctrinam nostræ Orthodoxæ Confessionis : conferendo quemlibet ordinem episcopus exprimit *per formam consecrationis, per porrectionem vasorum atque per vestes sacras, quoniam omnis ordo habet propriam formam et signum, per quod unusquisque distinguitur;* quod *omnino* episcopus declarare debet [3]. »

Nicolaus Bulgaris, materiam cum subjecto confundens, docet eam esse ipsum ordinandum quatenus hic impositioni manuum episcopi subjacet [4].

II. — De forma.

De forma hujus sacramenti in ritu byzantino nulla potest esse controversia quantum ad subdiaconatum et lectoratum-cantoratum. Consistit enim hæc in unica oratione, quam recitat episcopus super ordinandum, manus impositione comitante. Pro lectoratu et cantoratu, hæc oratio sic incipit : « Domine Deus omnipotens, elige servum tuum hunc et eum sanctifica, et cum omni sapientia et intellectu divinorum verborum tuorum meditationem et lectionem obire concede, » etc. Pro subdiaconatu : « Domine

1. « Διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν αὐτῶν μέχρι τῆς σήμερον γίνεται ἡ χειροτονία. » Pars I, q. CIX, Kimmel, p. 186.

2. « Πᾶσα τάξις ἔχει τὸ ἴδιόν της σημάδιον, μὲ τὸ ὁποῖον καθ' ἕνας διαφέρει ἀπὸ τὸν ἄλλον. » *Ibid.*, q. CXI, p. 189.

3. Malvy-Viller, *La Confession orthodoxe de Pierre Moghila*, etc., p. 66. Auctoribus dicentibus, *ibid.*, n. 2, in textu græco Confessionis de porrectione instrumentorum nullatenus agi non plene assentimus.

4. *Op. cit.*, p. 13 : « Ἡ ὕλη τῆς ἱερωσύνης εἶναι ὁ ὑποψήφιος, καθὸ ὑπόκειται τῇ ἐπιθέσει τῶν χειρῶν τοῦ ἀρχιερέως » : quæ verba Chrysanthus libello G. Severi interpolavit, ut mox diximus.

Deus noster... qui diversos ordines (τάγματα διάφορα) Ecclesiæ tuæ largitus es...; qui hunc quoque servum tuum dignum esse qui sanctæ Ecclesiæ tuæ ministret, decrevisti... inculpatum illum in omnibus conserva, et domus tuæ decorem diligere, sancti templi tui foribus adstare et tabernaculi gloriæ tuæ lucernam accendere concede » etc. Ad tres autem ordines majores quod attinet, non una est theologorum cum græco-russorum tum Catholicorum de forma græca sententia.

Arcudius [1], Goarius [2], Catholici alii [3], necnon plerique theologi dissidentes tum græci [4], tum russi [5], tenent formam constitui his verbis, quæ cæremoniæ initio recitat episcopus, manum habens extensam super caput ordinandi :

« Ἡ θεία χάρις ἡ πάντοτε τὰ ἀσθενῆ θεραπεύουσα καὶ τὰ ἐλλείποντα ἀναπληροῦσα, προχειρίζεται (τὸν δεῖνα) τὸν εὐλαβέστατον ὑποδιάκονον εἰς διάκονον [vel : τὸν εὐλαβέστατον διάκονον εἰς πρεσβύ-

1. *Loc. cit.*, c. VIII, p. 527-526.

2. *Op. cit.*, p. 215, n. 13; 216, n. 15.

3. Hæc sententia occurrit in versione græca catechismi B. Bellarmini a Leonardo Philara effecta, cujus tertia editio typis et impensis S. Cong. de Propag. Fide, Romæ, anno 1637 vulgata est sub titulo : Διδασκαλία χριστιανικὴ τῆς ἁγίας τοῦ Θεοῦ ῥωμαϊκῆς καὶ καθολικῆς ἐκκλησίας, ἑρμηνεμένη καὶ εἰς τὴν κοινὴν γλῶσσαν τῶν Ῥωμαίων, καὶ εἰς μερικοὺς τόπους ἐξηγημένη πρὸς τὴν τάξιν καὶ συνήθειαν τῆς ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας. Cf. Legrand, *Bib. hellén. du XVII^e siècle*, t. I, p. 347-348; cf. p. 104 et 309. Item ita sentiunt : 1° synodus Zamosciensis, p. 100; 2° altera synodus Ruthenorum, Leopoli anno 1891 habita; cf. ed. rom. *Actorum et decretorum hujus synodi*, Romæ, 1895, p. 99; 3° Neophytus Rhodinus, Σύνοψις τῶν θείων καὶ ἱερῶν τῆς Ἐκκλησίας μυστηρίων, Romæ, typis et expensis S. C. de Propaganda fide, 1633, p. 81; 4° Isaacus Habertus, Ἀρχιερατικόν, Parisiis, 1643, p. 115 sq.; 5° Franciscus Hallier, *De sacris electionibus et ordinationibus*, Parisiis, 1636, p. 133. Quidam canonistæ catholici inter recentes ab opinione Arcudii et Goarii aliquatenus recesserunt, ut formam probabilem habentes sive primam orationem : Ὁ Θεὸς ἄναρχος (ita cardinalis Gasparri, *Tractatus canonicus de sacra ordinatione*, t. II p. 241, 242, necnon S. Many, *Prælectiones de sacra ordinatione*, Parisiis, 1905, p. 500-503, qui hanc primam orationem solam dicit esse veram sacramenti formam apud Græcos), sive alteram orationem : Ὁ Θεὸς ὁ μέγας (ut cardinalis Van Rossum, *De essentia sacramenti Ordinis*, Friburgi, 1914, p. 98, n. 1).

4. N. Bulgaris, p. 18; Mescloras, p. 328; Dyovuniotis, p. 154; Koidakis, p. 164.

5. Lebedinskii, p. 523; Antonius, § 315; Ph. Gumilevskii, p. 206-207; Macarius, p. 494-495.

τερον· vel : τὸν θεοφιλέστατον πρεσβύτερον εἰς ἐπίσκοπον] εὐξώμεθα οὖν ὑπὲρ αὐτοῦ, ἵνα ἔλθῃ ἐπ'αὐτὸν ἡ χάρις τοῦ ἁγίου Πνεύματος : Divina gratia, quæ semper infirma curat, et ea quæ desunt adimplet, promovet N. piissimum subdiaconum in diaconum [vel piissimum diaconum in presbyterum; vel Deo amabilem presbyterum in episcopum, vel : episcopum civitatis N. a Deo servatæ). Oremus ergo pro eo, ut veniat super eum gratia Sancti Spiritus. »

De his verbis Arcudius et Goarius argute disserunt, ut ostendant ea esse sacramenti formam omnino congruam. Doctissimus vero J. Morinus validis argumentis probavit illa nihil aliud esse, quam denuntiationem publicam electionis legitimæ jam factæ [1]. Unde hæc proclamatio, in charta descripta et iisdem verbis pro tribus ordinibus concepta, initio ordinationis episcopo tradebatur legenda. Sic enim legitur in euchologio Cryptoferratensi *28*, quod sæculi XI est :

« Post trisagion, ascendit patriarcha in sanctuarii crepidinem ante sanctam mensam, ipsique charta datur, in qua hæc scripta sunt : *Suffragio et approbatione Deo maxime amabilium episcoporum et sanctissimorum presbyterorum et diaconorum, divina gratia, quæ semper infirma curat et deficientia supplet*, etc. Hac charta in manus accepta, et archidiacono dicente : *Attendamus*, legit eam patriarcha, ita ut omnes audiant. Lectione facta, ter dicunt omnes : *Kyrie eleison*, jamque a tribus episcopis coordinatoribus *adducto qui ordinandus est*, καὶ προαχθέντος ἤδη τοῦ μέλλοντος χειροτονεῖσθαι, aperit patriarcha Evangelium et imponit super cervicem ipsius, contingentibus episcopis. Deinde factis super caput ejus tribus crucis signis, manum habens impositam sic precatur [2]. »

De presbytero ordinando idem testatur euchologium Barberinum sæculi VIII :

« Postquam allata sunt sancta dona... charta consueta traditur archiepiscopo, in qua scriptum est : *Divina gratia*, etc., eaque lecta, ita ut omnes audiant, *qui ordinandus est adducitur*, προσάγεται ὁ μέλλων χειροτονεῖσθαι, eoque genu

1. *Op. cit.*, *Exerc.* II, c. III, IV, p. 19-25.
2. *Ibid.*, pars II, p. 60.

flectente, tria signa crucis facit super caput ejus, habensque manum ei impositam hæc precatur [1]. »

In codice *Vaticano 1872* sæculi XII, qui ad diaconatum promovendus est nuncupatur item ὁ μέλλων χειροτονεῖσθαι, postquam jam lecta sunt verba : *Divina gratia* [2].

Manifesto ergo euchologia antiquissima et etiam recentiora supponunt ordinationem nondum factam esse sed adhuc faciendam, postquam lecta est formula *Divina gratia;* quæ ideo non potest esse vera sacramenti forma. Cæterum, quanquam antiquissima est et Patrum ævo jam usurpata, valde tamen probabile est eam nec semper nec ubique in Oriente receptam fuisse vel adhibitam [3]. Insuper notandum in Ecclesia latina proclamationem omnino similem olim in usu fuisse, cujus aliqua vestigia adhuc in Pontificali romano supersunt; quam tamen nullus unquam theologus pro sacramenti forma habuit [4].

Eadem conclusio ex iis ipsis, quæ post dictam formulam adjungit pontifex, colligi potest : « Oremus ergo, inquit, pro eo, *ut veniat super eum gratia Spiritus Sancti.* » Ergo nondum descendit super eum gratia Spiritus Sancti; ergo nondum ordinatio perfecta est; ordinationem dico non eam quæ mere canonica est et deputatio extrinseca ad sacrum ministerium, sed quæ vere sacramentum, ab Ecclesia electum intrinsecus sanctificans et sacerdotalem characterem in ejus anima imprimens.

Opinioni Arcudii suffragari quidem videtur Simeon Thessalonicensis, qui verba *Divina gratia*, etc., in hunc modum interpretatur :

1. *Ibid.*, p. 54.
2. *Ibid.*, p. 79.
3. Cf. Morinum, *ibid.*, pars III, *Exerc. III*, c. IV, p. 24. Hæc formula revera deest in quibusdam manuscriptis antiquis, v. g., in cod. *Sinait. 956* (X sæculi) et in cod. *Coisl. 213*, anno 1027 exarato. Dmitrievskii, *op. cit.*, p. 17-18, 995-996.
4. *Ibid.*, c. III, p. 21-22. In vetere *Ordine romano* inscripto : *Qualiter in romana Ecclesia sacri ordines fiunt*, initio ritus ordinationis episcopalis hæc inter alia leguntur : « Tunc ordinandus exuitur casula, et induit eum pontifex planeta et *legit Brevem hunc modum continentem :* Cives nostri elegerunt sibi illum pastorem : *Oremus itaque pro hoc viro, ut Deus omnipotens infundat in eum gratiam Spiritus sui,* ut dignus habeatur ad cathedram episcopatus regendam. »

« Divina gratia promovet, id est, designat, constituit, perficit. *Simul autem cum verbo gratia datur;* non enim tempore opus habet Dei virtus omnipotens et perfecta... *Promovet in diaconum :* Hæc dicens ordinans et charisma donat, et qui ordinatur diaconatum verbo episcopi statim accipit; operatur enim per sanctissimum et divinum Spiritum, eo quod non ut homo, sed ut pontifex loquitur cum gratia. Gratiam invocavit, et gratia operatur; efficax enim est sermo Dei [1]. »

Hæc quidem formæ sacramentali omnino congruunt, ita ut, si Simeon crediderit ordinationem reapse factam esse post prolationem verborum *Divina gratia*, errasse dicendus sit. Ratio tamen de ejus vera mente dubitandi in iis quæ statim subjungit ille, jacet. Pergit enim :

« Tunc quidem statim e subdiacono fit diaconus. Nihilominus adhuc opus habet reliqua perfectione precum sacerdotalium et cæterorum omnium quæ in *typico* continentur. *Non enim dicere sufficit subdiaconum in diaconum promoveri vel in alium gradum, sed una cum hoc oportet ejus caput sacræ mensæ incumbere, et flectentem genu, episcopi manum impositam habere* [2], *et descriptas preces et orationes recitari*, et cruce signari, et dignum proclamari, et sacram salutationem fieri. Hæc enim omnia eum qui ordinatur perficiunt, et omnia fieri necesse est quæ præscripta sunt [3]. »

Ex his sane patet a mente Simeonis alienam esse distinctionem scholasticam inter necessitatem medii et necessitatem præcepti, inter id quod sacramenti essentiam proprie constituit et quod ad ejus integritatem tantum pertinet, vel ei omnino accidentale est. Concedendum est Simeonem formulæ *Divina gratia* nimium momentum tribuere; non tamen constat eum non habuisse ut omnino necessarias orationes quæ in euchologio sequuntur.

Orationes autem hujusmodi pro unoquoque ordine duæ sunt, quas dicit episcopus super ordinandum, ei manum imponens. Dignitatem, officium gratiamque sanctificationis

1. *Op. cit.*, c. 169, col. 377 AB : « Προχειρίζεται ἤτοι προβάλλεται, καθιστᾷ, τελειοποιεῖ. Ἅμα δὲ τῷ λόγῳ καὶ τὸ χάρισμα δίδοται. »
2. Nonne hic alludit Symeon ad χειροτονίαν proprie dictam ?
3. *Loc. cit.*, col. 377 B.

cuique ordini propriam diserte exprimunt beneque respondent illi orationi quam teste Scriptura (Act., VI, 6, XIII, 3) apostoli recitabant, dum primos diaconos vel sacerdotes ordinarent, eis manus imponentes. Unde per modum unius ambæ sumendæ sunt, atque pro vera sacramenti forma habendæ. Notandum est enim in omnibus euchologiis antiquis et recentioribus eum qui ordinatur etiam post primæ orationis recitationem adhuc vocari τὸν χειροτονούμενον, *ordinandum*, non vero τὸν χειροτονηθέντα, *ordinatum;* postquam autem utraque oratio pronuntiata est, rubricæ loquuntur de *ordinato*, ὁ χειροτονηθείς [1].

1. Præcipua verba in orationibus diaconatus sunt sequentia : Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν... τοῦτον... ἐν πάσῃ σεμνότητι διατήρησον..., δώρησαι δὲ αὐτῷ τὴν χάριν, ἣν ἐδωρήσω Στεφάνῳ τῷ πρωτομάρτυρί σου... καὶ καταξίωσον αὐτὸν κατὰ τὸ σοὶ εὐάρεστον οἰκονομῆσαι τὸν παρὰ τῆς σῆς ἀγαθότητος δεδωρημένον αὐτῷ βαθμόν. (Prima oratio.) — Ὁ Θεὸς ὁ Σωτὴρ ἡμῶν... τοῦτον... πλήρωσον πάσης πίστεως καὶ ἀγάπης καὶ δυνάμεως καὶ ἁγιασμοῦ τῇ ἐπιφοιτήσει τοῦ ἁγίου καὶ ζωοποιοῦ σου Πνεύματος. » (Altera oratio.)

Præcipua in orationibus presbyteratus : « Ὁ Θεὸς ὁ ἄναρχος... τοῦτον ... εὐδόκησον ὑποδέξασθαι τὴν μεγάλην ταύτην χάριν τοῦ ἁγίου σου Πνεύματος καὶ τέλειον ἀνάδειξον τὸν δοῦλόν σου... καὶ ἀξίως πολιτευόμενον τῆς δωρηθείσης αὐτῷ... μεγάλης ταύτης ἱερατικῆς τιμῆς (prima oratio). — Ὁ Θεὸς ὁ μέγας ἐν δυνάμει... ἓν εὐδόκησας τὸν τοῦ πρεσβυτέρου ὑπεισελθεῖν βαθμόν, πλήρωσον τῆς τοῦ ἁγίου σου Πνεύματος δωρεᾶς, ἵνα γένηται ἄξιος παριστάναι ἀμέμπτως τῷ θυσιαστηρίῳ σου, κηρύσσειν τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας σου, προσφέρειν σοι δῶρα καὶ θυσίας πνευματικάς, ἀνακαινίζειν τὸν λαόν σου διὰ τῆς τοῦ λουτροῦ παλιγγενεσίας. » (Altera oratio.)

Præcipua in orationibus episcopatus : « Δέσποτα Κύριε... τοῦτον τὸν ψηφισθέντα καὶ ἀξιωθέντα ὑπεισελθεῖν τὸ εὐαγγελικὸν ζυγὸν καὶ τὴν ἀρχιερατικὴν ἀξίαν, διὰ τῆς χειρὸς ἐμοῦ τοῦ ἁμαρτωλοῦ... τῇ ἐπιφοιτήσει καὶ δυνάμει καὶ χάριτι τοῦ ἁγίου σου Πνεύματος ἐνίσχυσον ὡς ἐνίσχυσας τοὺς ἁγίους ἀποστόλους... καὶ ἀνεπίληπτον αὐτοῦ τὴν ἀρχιερωσύνην ἀπόδειξον, καὶ πάσῃ σεμνότητι κατακοσμῶν, ἅγιον ἀνάδειξον. (Prima oratio). — Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν ὁ. . ἡμῖν διδασκάλους καταστήσας, τὸν σὸν ἐπέχοντας θρόνον εἰς τὸ ἀναφέρειν σοι θυσίαν καὶ προσφορὰν ὑπὲρ παντὸς τοῦ λαοῦ σου· σὺ Κύριε, καὶ τοῦτον τὸν ἀναδειχθέντα οἰκονόμον τῆς ἀρχιερατικῆς χάριτος, ποίησον γενέσθαι μιμητὴν σου τοῦ ἀληθινοῦ ποιμένος, τιθέντα τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ὑπὲρ τῶν προβάτων σου... διδάσκαλον τῶν νηπίων, φωστῆρα ἐν κόσμῳ. » (Altera oratio.)

Non video cur J. M. Hanssens in sua longa dissertatione de forma Ordinis in ritu byzantino inscripta : *La forme sacramentelle dans les ordinations sacerdotales de rit grec* (in commentario *Gregorianum*, t. V (1924), p. 208-277; t. VI (1925), p. 41-80), argumentum a Morino ex

Hanc de forma græca sententiam tuetur J. Morinus, cui nos plane assentimur. Mirum est autem vix unum theologum græco-russum reperiri qui eam amplectatur. Ut jam diximus, omnes fere pro formula *Divina gratia* tenent. Unum tantum inter recentiores invenimus, Malinovskii scilicet, qui doceat formam constitui tum formula declaratoria : *Divina gratia*, tum duabus orationibus sequentibus per modum unius sumptis [1].

Juxta Gabrielem Severum, « forma est divina gratia, quæ per impositionem manus pontificis in eum qui ordinatur descendit, et perfectum eum creat sacerdotem [2]. » Hæc verba obscuritate laborant : Vel enim theologus græcus alludit ad formulam Ἡ θεία χάρις, et tunc ejusdem opinionis esse dicendus est, cujus sunt cæteri omnes qui hanc formulam pro vera forma habent; vel de gratia invisibili a sacramento collata loquitur, et tunc vocem *formam* sensu omnino speciali et a doctrina Scholæ alieno sumit.

ARTICULUS IV

De effectibus hujus sacramenti ac præsertim de charactere indelebili.

Sacramenti Ordinis duplex est effectus, scilicet gratiæ sanctificantis augmentum cum jure ad gratias actuales tempore opportuno concedendas, et character indelebilis

verbis ὁ χειροτονούμενος, ὁ χειροτονηθείς desumptum omni vi carere pronuntiet. Euchologia enim in ipsis locis, quos auctor indicat, p. 273, Morini sententiam confirmant, suam evertunt. Errat idem auctor, dum docet impositionem manus episcopi prolationem formulæ Ἡ θεία χάρις comitantem non esse sæculo XII antiquiorem. Occurrit enim hæc manus impositio in cod. Barberino sæculi VIII. Cf. Morinum, *op. cit.*, c. II, p. 53.

1. *Op. cit.*, p. 418 : « Proclamatio *Divina gratia* et duæ secreto recitatæ orationes, ut constat ex toto ordinationis ritu, unum indivisibile totum constituunt, verba scilicet sacramentum sacerdotii perficientia. » Hanc sententiam facit suam J. M. Hanssens, *loc. cit.*, in fine.

2. *Op. cit.*, p. 93 : « Τὸ εἶδός ἐστιν ἡ θεία χάρις, ἡ διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ ἀρχιερέως ἐπὶ τὸν χειροτονούμενον κατερχομένη, καὶ τέλειον αὐτὸν ποιοῦσα ἱερέα » : quæ verba Chrysanthus in hæc mutavit : Τὸ μυστήριον τῆς ἱερωσύνης τελειοῦται καὶ εἰδοποιεῖται τοῖς ῥήμασι τούτοις· Ἡ θεία χαρις, κτλ.

in anima impressus. Hæc est doctrina catholica, cui aliqui Græco-Russi contradicunt, ad characterem indelebilem quod attinet.

Item doctrina catholica est hoc sacramentum iterari non posse : quod etiam communissime tenent Græco-Russi. Historia tamen compertum est quosdam episcopos in Russia olim fuisse reordinatos.

Demum ex doctrina de charactere indelebili logice sequitur, ut qui sacerdos semel factus est, laicus rursus fieri non possit : quod adversus Protestantes concilium Tridentinum definivit (sess. XXIII, can. 4). Recentiori autem tempore, Ecclesia russica, sententiæ neganti existentiam characteris indelebilis suffragans, tum sacerdotes statu clericali se abdicare volentes, tum clericos quoscumque qui sua dignitate per canonicam depositionem vel degradationem privabantur, ad statum laicalem reducebat, quasi nihil de ordine sacro ante suscepto in posterum servarent.

Unde quædam in hoc articulo dicturi sumus : 1° de gratia sanctificante a sacramento Ordinis producta; 2° de charactere indelebili ejusdem sacramenti; 3° de reordinationibus proprie dictis [1]; 4° de reductione clericorum ad statum mere laicalem.

I. — De gratia ab Ordine producta.

Ordinem, sicut et cætera sacramenta, gratiam suscipienti conferre communiter docent Græco-Russi [2], et jure quidem, cum in ipsis ritibus ordinationis, prout occurrunt in omnibus euchologiis, etiam antiquissimis, de Spiritus Sancti gratia, de donis sanctificationis, de variis virtutibus quibus fulgere debent coram populis ordinati, crebra mentio fiat. Lectorem revocare sufficiat ad ea quæ mox attulimus tum de formula promulgationis electionis episcopi, presbyteri et diaconi, quæ in hæc verba desinit : *Oremus ergo, ut veniat super eum*

1. Reordinationes enim hæreticorum vel degradatorum non sunt veræ reordinationes illis theologis qui opinantur episcopos hæreticos vel degradatos valide ordinare non posse.

2. Cf. Meletium Syrigum, Ἀντίρρησις, p. 86*b*-87; Macarium, p. 490; Malinovskii, p. 418-419; Andrutsum, p. 389-390. Multa de sacerdotali gratia habet Simeon Thessalonicensis in suo tractatu de sacris ordinationibus, in quo ritus sacros erudite ac pie commentatur.

gratia Spiritus Sancti », tum de forma cujusque ordinis majoris.

Notandum est tamen quosdam recentiores de gratia sanctificante proprie dicta tacere, nomine vero sacerdotalis gratiæ intelligere gratiam gratis datam, seu potestatem spiritualem a sacerdotio collatam. Hanc gratiam dicunt perpetuam esse ac inamissibilem: quam nihil aliud esse quam characterem indelebilem merito quis dixerit. Theologi vero de quibus loquimur, inter quos veniunt S. Lebedinskii [1] et Dyovuniotis [2], illogice omnino et inconsequenter characteris existentiam negant.

Quidam canonistæ et theologi byzantini episcopatus efficaciam plus æquo quondam ampliarunt, sacramenti baptismi efficaciæ illam omnino æquiparantes docentesque τὸ χρίσμα τῆς ἀρχιερωσύνης, id est episcopatus ordinem, omnia peccata ante ejus susceptionem commissa penitus delere, eodem prorsus modo quo baptismus omnia peccata in infidelitate commissa tollit. Teste Balsamone, ad hanc conclusionem sequenti via deveniebant :

Synodus quæ sub Polyeucto patriarcha de Tzimiscis imperatoris coronatione habita est, docet τὸ χρίσμα τῆς βασιλείας (id est ritum inaugurationis imperatorum), eadem efficacia gaudere ac baptismus, ita ut omnia peccata ab imperatore qui coronatur antea commissa omnino deleat [3].

Atqui τὸ χρίσμα τῆς ἀρχιερωσύνης, id est ritus ordinationis episcoporum, ejusdem virtutis est ac ritus inaugurationis imperatorum. Ut enim imperatores uncti Domini appellantur, sic etiam antistites et sunt et nominantur. Pro oleo autem quo in antiqua Lege inungebantur reges et pontifices,

1. Cf. definitionem sacramenti ab hoc theologo traditam, quam p. 397 dedimus. Memento Sylvestrum lutheranam doctrinam de justificatione tenere.

2. *Op. cit.*, p. 159 : « Ἡ μεταδιδομένη χάρις ἐντυποῦται οὕτως εἰς τὴν ψυχὴν τοῦ χειροτονηθέντος, ὥστε ἐπ'οὐδενὶ λόγῳ δύναται νὰ ἀπολεσθῇ. » Idem docet Dyovuniotis de gratia omnium sacramentorum, p. 27, eo quod doctrinam de gratia sacramentali non bene intellexit.

3. De hoc decreto Polyeucti locuti sumus in capite de sacramento Confirmationis, p. 155.

episcopis sufficit evangelii jugum eorum collo impositum una cum signo crucis (τὴν σφραγῖδα) super eos per ordinatore invocantem Spiritum Sanctum facto [1].

Suam sententiam isti theologi confirmabant auctoritate sancti Gregorii Nazianzeni, in oratione quam habuit ille post suam episcopalem ordinationem; verum Theologus nihil tale docet [2]. Balsamon, qui hanc doctrinam omnino probat [3], aliud sumit argumentum ex potestate ligandi et solvendi episcopis tradita. Habent episcopi, inquit, potestatem remittendi peccata. Ergo debent ipsi, ut hac facultate polleant, a peccato esse immunes. Presbyteratus autem et ordines inferiores non delent omnia peccata secundum eumdem canonistam, sed tantum venialia, inter quæ recenset *consensum mere interiorem*, τὴν συγκατάθεσιν, mendacium et alia hujusmodi. Unde presbyteri peccata remittere non possunt (subaudias : *propria auctoritate*) [4]. Hæc sane a vera doctrina haud parum aberrant.

Eidem de efficacia ordinationis episcopalis sententiæ suffragatur Demetrius Chomatenus, et quidem propter easdem rationes [5].

1. Theodorus Balsamon, *In can. 12 concilii Ancyrani*, *P. G.*, t. CXXXVII, col. 1156-1157 : « Ἀκολούθως οὖν τῇ τοιαυτῇ πράξει λέγουσιν ὅσοι μᾶλλόν εἰσι συμπαθέστεροι καὶ τὸν τοῦ Θεοῦ ἔλεον προαρπάζουσι, διὰ τοῦ χρίσματος τῆς ἀρχιερωσύνης τὰ πρὸ ταύτης ἀπαλείφεσθαι ἁμαρτήματα... Ὡς γὰρ οἱ βασιλεῖς χριστοὶ Κυρίου λέγονται καὶ εἰσίν, οὕτω καὶ οἱ ἀρχιερεῖς εἰσί τε καὶ ὀνομάζονται. »

2. *Oratio* IX, 2; *P. G.*, t. XXXV, col. 821 B. Verba Theologi, ad quæ provocabant, sunt sequentia : « Φυλάξαι τὴν ἀξίαν καὶ τὴν ἁρμονίαν ἔργον οὐκ ἔλαττον ἢ ἀπ' ἀρχῆς ἁρμοσθῆναι καλῶς καὶ ἀξιωθῆναι : id est : non minus laboriosum est dignitatem acceptam in rectitudine vitæ servare quam ad illam suscipiendam rite se disponere dignumque præbere. »

3. « Ἡ χειροτονία τῶν ἀρχιερέων καὶ τὸ χρίσμα τῶν βασιλέων ἀπαλείφουσι τὰ πρὸ τῆς χειροτονίας καὶ τοῦ χρίσματος, οἷα ἂν ὦσι. » *Loc. cit.*, col. 1157 AB.

4. « Διὰ γὰρ τοῦτο ἔχουσιν οἱ ἐπίσκοποι ἐξουσίαν ἀφιέναι ἁμαρτήματα... Ἡ δὲ τῶν ἱερέων καὶ τῶν λοιπῶν χειροτονία μικρὰ ἁμαρτήματα ἀπαλείφει, οἷον συγκάθεσιν, ψεῦδος καὶ τοιαῦτα..., πορνείαν δὲ οὐχί. » *Ibid.*

5. *Responsum* XV *ad C. Cabasilam*, apud Pitra, *Analecta sacra*, t. VII, col. 645-646 : « Τὰ πρὸ τῆς ἀρχιερωσύνης τῷ χρίσματι ταύτης ὡσεὶ καὶ πυρὶ δαπανῶνται καὶ ἀναλίσκονται... Πῶς γὰρ ἂν καὶ δεσμήσειε ἢ λύσειε καὶ ἄφεσιν δοίη ὁ δι' ἁμαρτίας κολάσει ὑπεύθυνος ; »

II. — De charactere indelebili.

De charactere indelebili hujus sacramenti quædam jam diximus, ubi de sacramentis in genere. Alia quædam ideo hic addimus, quod exstant theologi dissidentes non pauci, præsertim inter Russos, qui characterem baptismi vel Confirmationis haud ægre confitentes, characterem Ordinis infitiantur. Inter hos celebrior est Philaretus Drozdov, cujus auctoritas in rebus theologicis et canonicis apud Russos maxima exstitit. Hic suam de charactere indelebili sententiam diserte declaravit anno 1860, cum nova lex de reductione clericorum ad statum laicalem a comite A. P. Tolstoi, Synodi Dirigentis procuratore, secreto jam meditabatur. A procuratore enim rogatus, ut suum de hac lege diceret consilium, Mosquensis præsul proposito omnino suffragatus est rationesque in contrarium allatas, ac præsertim eam quæ ex indelebilitate characteris sacerdotalis petebatur, dissolvere omni studio laboravit in relationibus duabus, die 22 januarii et die 9 decembris anni 1860 datis. In prima, hæc inter alia dicebat :

De charactere indelibili sacerdotii nulla mentio occurrit neque in sacra Scriptura, neque in synodicis canonibus, neque in Patrum operibus. Qui a theologo catholico Perrone in cursu dogmatico pro charactere citantur textus Scripturæ vel Patrum, non ad sacramentum Ordinis, sed ad baptismum uel Confirmationem referuntur. Demetrius Tuptalo in suo libello : *De fide quæsita et responsa*, loquitur quidem de charactere indelebili baptismi, tacet vero de charactere sacerdotii. Effectus baptismi nunquam suspenditur semperque permanet; unde neque hæretici neque apostatæ rebaptizantur. De sacerdotio autem non ita. Verum quidem est hoc sacramentum non iterari; attamen sacerdos in hæresim vel in apostasiam lapsus sacerdotio privatur, et tanquam laicus in Ecclesiam recipitur. *Confessio fidei Petri Moghilæ* de charactere sacerdotali altum servat silentium. In *Expositione fidei patriarcharum Orientalium* (id est, in *Confessione Dosithei)* legitur baptismum characterem indelebilem imprimere; *de sacerdotio autem nihil tale asseritur* [1]. Exinde

1. Miror quod Philaretus hoc affirmare non dubitet, quandoquidem ipse, ut supra diximus, p. 51, tum in versione russica Confessionis

sequitur doctrinam de charactere indelebili sacerdotii in Ecclesia orthodoxa catholica tanquam dogma nequaquam fuisse receptam; est enim Scholasticæ occidentalis Medii Ævi proprius fetus, cui concilium Tridentinum post longas contentiones vim dogmaticam tribuit [1].

In altera relatione ad eumdem comitem A. P. Tolstoi directa, Philaretus suum promit judicium de responsis trium theologorum russorum circa propositam legem de reductione clericorum ad statum laicalem. Tres illi erant Cyrillus, Melitopolensis episcopus, et missionis russicæ Hierosolymitanæ rector; Antoninus Kapustin archimandrita, legationis russicæ Atheniensis olim capellanus; celeberrimus archimandrita Porphyrius Uspenskii, qui tunc Orientem peragrabat. Hi omnes responderant Orientem Orthodoxum generatim habere gratiam (seu potestatem) sacerdotii tanquam inamissibilem et indelebilem; publicam et quasi canonicam recognitionem voluntariæ abdicationis status clericalis prorsus ignorare; depositionem vero seu degradationem canonicam, quam Græci vocant καθαίρεσιν, communiter a Græcis non haberi tanquam potestatis sacerdotalis perpetuam amissionem ac spoliationem, ita ut ὁ καθαιρεθεὶς ab auctoritate ecclesiastica nunquam deinceps possit ad sui gradus exercitium admitti. Hujusmodi nuntia, quorum veritas in dubium vocat, Philaretus ægre fert, severe carpit, confutare tentat ad Πηδάλιον græcum provocando; demum iterum declarat characterem indelebilem sacerdotii e scholis latinis dimanare, procuratoremque remittit ad suum pristinum responsum die 22 januarii datum [2].

Post hujusmodi theologicas consultationes, sub præpollente influxu Philareti, promulgata est lex de reductione ad statum laicalem clericorum quorumcumque, tum eorum qui ob quædam crimina infamantia canonica degradatione mulctarentur, tum eorum qui statui clericali valedicere

Dosithei anno 1838 edita, tum in textu græco originali anno 1840 Mosquæ typis mandato, suppressionis verborum : « ὥσπερ καὶ ἡ ἱερωσύνη, » auctor exstiterit.

1. *Sobranie mnenii i otzyvov Philareta (Collectio sententiarum et responsorum Philareti)*, editio Sabbæ Tverensis, Mosquæ, 1886, t. IV, nº 539, p. 478-482.

2. *Ibid.*, nº 561, p. 579-582.

ultro cupientes, exauctorationem ab Ecclesia postularent. Inde mirum non est plerosque theologos russos recentiores ad amussim praxis ecclesiasticæ de charactere sacerdotali sensisse [1]. Inter eos tamen non defuerunt qui tum *directe* tum *indirecte* ac *implicite* veram doctrinam in Confessione Dosithei expressam in suis scriptis propugnaverint. Ita Sylvester Malevanskii, in tomo IV sui *Cursus theologiæ orthodoxæ*, postquam doctrinam Ecclesiæ antiquæ de Ordinis sacramento ad scriptorum patristicorum lumen perlustravit, suæ inquisitioni finem imponit his verbis.

« Gratia per manus impositionem (χειροτονίαν) ordinatis communicata ut immutabilis et indelebilis habita est, eodem prorsus jure ac gratia in baptismo collata. Unde quemadmodum baptismum, ita et ordinationem iterare vetitum erat [2]. »

Maltzev etiam characterem indelebilem trium ordinum majorum expresse profitetur [3].

Item V. I. Ekzemplarskii, Kioviensis academiæ professor, in sua dissertatione inscripta : *Biblica et patristica doctrina de sacerdotii essentia*, hæc habet :

« Ultima conclusio, ad quam devenimus, iis innixi quæ de indelebilitate gratiæ sacerdotii diximus, est quod actus degradationis *(nizvergenie)* est actus ad disciplinam pertinens, canonibus Ecclesiæ definitus, non vero liturgicus, nec gratiam sacerdotii ejusque essentiam respiciens ; cujus scopus est possibiles abusus antevertere, quibus hoc tam beneficum donum ansam præbere potest. Quod sacerdotii gratia a dignitate vel indignitate illius qui ea insignitus est, non pendet, hoc Ecclesiæ doctrinæ plane consonat [4]. »

1. Theologis russis characteris adversariis, quorum nomina jam dedimus, annumerandus est canonista M. J. Gortchakov, *Jus ecclesiasticum*, Petropoli, 1909, p. 99-100; Iastrebov, *op. cit.*, in *Trudy Kiov.*, 1908, t. II, p. 198-199. Alii eamdem doctrinam implicite tradunt, quando de effectibus degradationis loquuntur.

2. *Opyt pravosl. dogmat. bogoslosviia*, t. IV, 2ª ed., Kioviæ, 1897, p. 384.

3. *Die Sakramente*, p. CCXXXIII. Nota Maltzev non in Russia sed in Prussia scripsisse.

4. *Bibleiskoe i sviatootcheskoe utchenie o suchtchnosti sviachtchenstva*, Kioviæ, p. 245.

In magno concilio generali Russorum, annis 1917-1918 habito, cum jam theologis liberius opinari licebat, quidam ex iis qui aderant, gratiam sacerdotii inamissibilem ac indelebilem esse publice professi sunt [1]. Theologorum, qui ejusdem sententiæ sunt, numerus recentissime crevit, faventibus dissensionibus intestinis, quæ pristinam Ecclesiam russicam in plures factiones invicem inimicas diviserunt. Cum enim qui patriarchæ Tikhonis partes tuentur clericis aliarum factionum regulas prius in Ecclesia russica vigentes de effectibus depositionis et degradationis strictissime applicent, eosque ut meros laicos omni sacerdotali potestate in perpetuum spoliatos habeant, eorum adversarii, ac præsertim qui Ecclesiæ de Renovatione ecclesiastica dictæ adhærent, doctrinam de charactere indelebili sacerdotii propugnare jam inceperunt. Ita professor N. D. Kuznetsov, qui concilio generali an. 1917-1918 interfuit, in commentario *Ecclesia vivens*, anno 1923 hæc scribebat :

« Gratia sacerdotii, ut conscientia Ecclesiæ manifesto testatur, tanquam quid in homine indelebiliter impressum habenda est. Mea sententia, hujus doctrinæ sufficiens fundamentum in veteribus canonibus inveniri licet. Canon 68 apostolicus ordinationis iterationem prohibet, et in canone 29 synodi IV œcumenicæ reductio episcopi ad gradum presbyteratus tanquam sacrilegium denuntiata est. Tale quid opinari solus ille potest qui indelebitatem gratiæ sacerdotii implicite agnovit [2]. »

Item N. G. Popov, Ecclesiæ Renovatorum archipresbyter, in sua relatione cui titulus : *De indelebilitate gratiæ sacerdotii quatenus spectat quæstionem de redintegratione in sacerdotalem dignitatem*, anno 1923 conscripta et anno 1927 publici juris facta [3], doctrinam de indelebilitate characteris sacerdotalis diserte propugnat.

1. Archipresbyter A. A. Khotovitskii dixit : « Profiteor sacerdotium esse indelebile. » Archipresbyter Iv. Astrov item dixit : « Gratia sacerdotii est indelebilis. » His effatis nemo in concilio reclamavit. Cf. *Acta synodi Ecclesiæ russicæ orthodoxæ*, lib. XI, fascic. 1, Petropoli, 1918, p. 29, 31.

2. *Ecclesia vivens (Givaia Tserkov)*, nº 11-12 (1923), p. 7.

3. In *Viestnik sanctæ synodi Ecclesiæ russicæ orthodoxæ* (Renovatorum), nº 7-8 anni 1927, p. 19-23.

III. — De reordinationibus.

Sacramentum Ordinis iterandum non esse unanimiter docent Græco-Russi, antiquis canonibus, v. g., canoni 68 apostolico et 57 Carthaginensi) in hoc plane consentientes. Hoc idem profitebatur Photius, quamvis aliquando accusatus sit quod clericos a sancto Ignatio promotos reordinaverit [1]. Porro quosdam reordinationis casus olim in Russia contigisse narrant ipsi Russi. Ita Jobus, primus patriarcha Mosquensis, ordinationem episcopalem bis, immo, si ipsi Niconi fides adhibenda [2], ter accepit. Anno enim 1589, cum jam Mosquæ metropolita esset, titulo patriarchæ decoratus est a Jeremia II, patriarcha Constantinopolitano, qui ut ad hanc novam dignitatem aliquo signo sensibili eum promoveret, totum ordinationis episcopalis ritum super illum renovavit. Hanc veram reordinationem approbare videntur tum A. N. Muraviev, qui postquam factum narravit, dicit : « Supremo Ecclesiæ pastori duplex gratia necessaria fuit [3] », tum Philaretus Gumilevskii, qui item scribit : « Postquam [Jeremias] ejus capiti (Jobi) manum Evangeliumque imposuit, Dei gratiam super eum advocavit, utpote qui ad suum sublime munus adimplendum *duplici gratia* opus haberet [4]. »

Quod anno 1589 Jeremias II super Jobum peregerat, hoc idem Theophanes, patriarcha Hierosolymitanus, anno 1619 super Philaretum Nikitisch perfecit [5]. Item Philareti successores duo episcopalem ordinationem bis receperunt. Hujus abusus rei fuerunt non solum patriarchæ

1. Cf. Hergenröther, *Photius*, t. II, p. 362-364; t. III, p. 603-606. Nicetas Paphlago de Photio dicit : « Τοὺς ὑπὸ τοῦ ἁγίου Ἰγνατίου τετελεσμένους ἐπειρᾶτο (tentabat) ἀναχειροτονεῖν » ; quæ verba non reordinationem veri nominis, sed quemdam reconciliationis ritum, μυστικὴν χειροτονίαν etiam vocatum, significare Hergenröther censet.

2. *In Responsis ad quæsita Simeonis Streschnev* a W. Palmer editis in primo volumine sui operis : *The Patriarch and the Tsar*, inscripto : *The replies of the humble Nicon*, Londini et Petropoli, 1871.

3. Muraviev, *Historia russicæ Ecclesiæ*, Petropoli, 1838, p. 175; ejusdem *Relationes Russiæ cum Oriente in negotiis ecclesiasticis*, Petropoli, 1858, t. I, p. 210.

4. *Historia Ecclesiæ russicæ* (versio germanica Blumenthal, Frankfurtii, 1872), t. II, p. 5. Stupenda sane verba in ore theologi, compendii theologiæ dogmaticæ auctoris!

5. Philaretus, *Historia*, p. 21; Muraviev, *Historia*, p. 235.

Mosquenses, qui reordinationi sese subjecerunt, verum etiam, et quidem potissimum, patriarchæ orientales qui reordinationem perficere non dubitarunt.

IV. — De reductione clericorum ad statum laicalem.

Characteris sacerdotalis indelebilitate sublata, reductioni clericorum ad statum mere laicalem facilis via aperitur. Unde mirum non est in Ecclesia russica, ex quo ibi prævaluit sententia Philareti, clericis cujuslibet ordinis concessam fuisse facultatem ad statum laicalem ultro redeundi. Qui autem ita (id est per publicam sententiam ecclesiasticæ auctoritatis) a statu clericali dimissi fuerant, sive hac pœna ob gravem culpam mulctati fuissent, sive dimissionem ipsi postulassent, ut omni charactere ac potestate sacerdotali in perpetuum spoliati ac privati habebantur, a laicis deinceps nihil differentes. Philaretus siquidem tres in clericos pœnarum canonicarum species distinguebat : 1° simplicem excommunicationem *(otlytchenie)*, qua quis a communione ecclesiastica excluditur; 2° suspensionem *(zaprechtchenie)*, qua clerico a superiore ad tempus interdicitur ordinis suscepti exercitium, quin ab eo radicitus tollatur facultas *valide* conferendi sacramenta; 3° Depositionem proprie dictam seu degradationem *(nizvergenie, lichenie, sniatie)*, quæ per sententiam judicis infligitur. Hic clericus suis omnibus juribus canonicis ac omni potestate seu charismate sacerdotali in perpetuum spoliatur merusque laicus fit, perinde ac si nullum ordinem suscepisset. Hoc sensu intellecta et in praxim deducta, reductio clericorum ad statum laicalem doctrinæ catholicæ directe opponitur nihilque differt a Protestantium hæretica sententia, quam synodus Tridentina (can. 4, sess. XXIII) damnare intendit : « Si quis dixerit eum qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, anathema sit. »

Ut supra diximus [1], quidam theologi græci et serbus canonista Milasch, praxim Ecclesiæ russicæ abdicationem voluntariam clericorum ratam habentis expresse damnant, quidam autem approbant [2]. De effectu vero canonicæ depo-

1. P. 51.
2. P. 52.

sitionis seu degradationis etiam quidam ex iis qui voluntariam abdicationem improbant, cum Philareto consentiunt, ut mox dicetur.

ARTICULUS V

De ministro sacramenti Ordinis.

Solum episcopum esse trium ordinum majorum ministrum unanimiter docent Græco-Russi. Presbyterum vero de episcopi licentia subdiaconatum et lectoratum vel cantoratum posse conferre omnes pariter concedunt. Usu receptum est hegumenum seu abbatem sacerdotio insignitum suos subditos posse subdiaconos vel lectores ordinare (can. 14 septimæ synodi, can. 6 Nicephori Homologetæ). Olim item chorepiscopis, utpote episcopali ordinatione initiatis, cum delegatione episcopi licuit non solum inferiores ordines, verum etiam presbyteratum et diaconatum conferre (can. 10 Antioch.; can. 14 VII synodi; can. 13 Ancyr.).

Secundum canonem 1 apostolorum, episcopus a duobus vel tribus episcopis ordinandus est. Num episcopalis ordinatio ab uno solo episcopo peracta valida sit, non clare decernunt neque dogmatistæ neque canonistæ [1].

In capite de sacramentis in genere, breviter jam actum est de sacerdotalium actionum validitate a ministro deposito vel degradato, schismatico vel hæretico peractarum. Nunc vero de validitate ordinationum a talibus ministris perfectarum quædam in specie addenda sunt. Cum autem Græco-Russi tum Catholicos cujuscumque ritus, tum Anglicanos, qui episcopatum habent, inter hæreticos communiter deputent, de ministro catholico necnon de Anglicano quid sentiant ipsi, dicere non abs re erit. De ministro simoniaco item non penitus tacere utile ducimus. Loquemur ergo : 1° de ministro simoniaco; 2° de ministro depposito et degradato; 3° de ministro hæretico vel schismatico in secta hæretica vel schismatica nato et ordinato; 4° de ministro

1. Milasch, *op. cit.*, II pars, § 75, p. 389, duos saltem episcopos ad ordinationis validitatem requiri docere videtur : « Ὁ ἐπίσκοπος καθ'ἑαυτὸν δὲν ἔχει δικαίωμα καὶ ἐξουσίαν χειροτονεῖν ἄλλους ἐπισκόπους, ἀλλ' ἐδόθη τοῦτο τῇ ἀπὸ κοινοῦ ἐξουσίᾳ αὐτῶν. »

catholico, latino vel ritus orientalis; 5° de ministro anglicano.

I. — De ministro simoniaco.

Codicis byzantini ecclesiastici canones plures gravissimis pœnis plectunt simoniacos (cf. can. 28 apost., can. 2 Chalcedon.; can. 22 Trull.; can. 5 septimæ synodi); in nullo tamen ordinatio simoniaca expresse pronuntiatur invalida; nec commentatores epochæ byzantinæ nec moderni quippiam tale dicunt; et merito quidem, cum simoniæ crimen ut malum veteratum omni fere tempore et loco in Oriente invaluerit [1], ita ut, si simoniacæ ordinationes pro irritis haberentur, potestatis ordinis existentia in multis Ecclesiis in dubium jure vocari posset. Invalidatem tamen simoniacæ ordinationis docere videtur sanctus Tarasius in sua *Epistola ad Hadrianum papam I adversus Simoniacos*, collectionibus canonicis inserta. Scribit enim :

« Si non venditur Spiritus (et quod nullo modo, perspicuum est), *non est procul dubio in eis gratia Spiritus Sancti, id est, sacerdotii sanctitas. Quod enim non acceperunt, nec habent...* Subjecta sanctorum testimonia *alienum omnino a sacerdotio pronuntiant* sive qui dederit, sive qui acceperit quocumque tempore, vel ante ordinationem, vel in ipsa ordinatione, vel post ordinationem [2]. »

Eadem repetit in *Epistola ad Joannem hegumenum :* « Omnis episcopus, vel presbyter, aut diaconus convictus quod per pecuniam manus impositionem vel dederit vel acceperit, a sacerdotio decidit, τῆς ἱερωσύνης ἐκπίπτει [3]. »

Sanctus Theodorus Studita, Tarasii coævus, ut valide ordinatum habet eum qui bona fide ab episcopo simoniaco

1. *Pidalii* græci commentatores hoc malum non semel denuntiant. Cf. p. 46, ad can. 28 apost., ubi notant τὸ χρυσόβουλον Isaaci Comneni imperatoris(1057-1059) taxas pro variis ordinationibus statuens, necnon decreta synodalia patriarcharum Michaelis et Nicolai hujusmodi chrysobulum confirmantia, tanquam canonibus adversantia damnant et abroganda judicant. Cf. etiam p. 236, ubi queruntur quod simonia ubique nunc grassetur et omnes clerici παρανόμως suscipiant ordinem.

2. *P. G.*, t. xcviii, col. 1444 CD; Πηδάλιον, ed. cit., p. 689 : « Ἀναμφιλέκτως οὐκ ἔστιν ἐν αὐτοῖς ἡ χάρις τοῦ ἁγίου Πνεύματος, εἴτουν ἡ τῆς ἱερωσύνης ἁγιστεία. Καὶ ὃ οὐκ ἔλαβον οὐδὲ ἔχουσι. »

3. *Ibid.*, col. 1456.

accepit ordinem [1]; rem vero non decernit pro illo qui sciens ac volens manus impositionem episcopi simoniaci non recusavit. Quidquid sit de horum sanctorum mente, certum est ordinationes a simoniacis factas in Oriente *communiter* haud habitas fuisse ut penitus invalidas, nec talem motum ibi concitasse, qualem occidentalis Ecclesia novit sæc. XI-XII [2].

II. — De ministro deposito et degradato.

Episcopus sive presbyter in « Orthodoxia » natus et ordinatus, et per sententiam tribunalis ecclesiastici, ob gravem culpam, v. g., ob schisma vel hæresim, vel simoniam, pœna depositionis sive simplicis sive cum degradatione conjunctæ muletatus, quam Græci καθαίρεσιν, Russi *nizvergenie* nuncupare solent, potestne adhuc valide conferre Ecclesiæ sacramenta? In specie, episcopus depositus valetne sacros ordines valide conferre?

Duplici modo episcopus depositus potestatem valide ordinandi amittere posset : 1° vel quia in sententia depositionis talis vis sit, ut depositus omni potestate Ordinis et ipso sacerdotio radicaliter spolietur et in perpetuum privetur, fiatque rursus simplex laicus; 2° vel quod per hujusmodi sententiam Ecclesia exercitium potestatis Ordinis ligare et impedire possit.

Prima hypothesis indelebilitati characteris sacramentalis directe opponitur estque hæresis veri nominis. Hanc, ut supra vidimus, admisit Philaretus Drozdov; hanc et plerique theologi russi recentiores propugnarunt [3]; quibus N. Mi-

1. *Epistol.*, l. I, ep. LIII; *P. G.*, t. XCIX, col. 1105 BC.

2. Cf. Saltet, *Les réordinations*, Parisiis, 1907, p. 173-258. Inter theologos byzantinos qui validitatem ordinationum simoniacarum negasse videntur, occurrit Georgius Scholarius in sua *De simoniaca haeresi* dissertatione, ubi haec leguntur : « Ἀδύνατον τὴν τιμὴν παραγίνεσθαί τῳ διὰ χρημάτων, οὔτε τοῦ Θεοῦ διδόναι τι δυναμένου μὴ προῖκα, ... οὔτε τοῦ θεόθεν εἰληφότος ταύτην ἀνθρώπου δυναμένου ταύτην αὖ διδόναι τῶν ἀνεῖσθαι βουλομένων τινί Ex codice autographo *Parisiensi 1289*, f. 56a.

3. Cf. supra, p. 51 et 427. Iastrebov, *op. cit.*, p. 199, expresse dicit Ecclesiam judiciali sententia posse privare episcopum potestate ipsi per ordinationem communicata.

lasch [1] et quidam Græci [2] suffragantur. Hac via theologi russi omnem sacerdotalem potestatem denegant Starovieris rascolnikis, qui popovtsy vocantur [3].

Alteram sententiam de ligatione potestatis ordinis per Ecclesiam diserte docuerunt quidam theologi catholici ac præsertim J. Morinus :

« In ritu ordinationis, inquit ille, quædam sunt divinæ institutionis, quæ omni ordini sacro semper et ubique conveniunt, veluti manus impositio et oratio conveniens, quæ et Scriptura nobis tradidit et Ecclesiæ praxis semper et ubique usurpavit; quædam vero sunt ecclesiasticæ institutionis, quæ licet mutari possint, et pro temporum et regionum varietate aliter atque aliter observari, tanti tamen sunt momenti quamdiu ab Ecclesia revocata aut abrogata non sunt, ut eorum omissio ordinationem reddat non modo inhonestam et illicitam, sed etiam irritam et nullam, omnique effectu et gratia cassam. Illa autem omnia ejusmodi conditiones sunt

1. *Op. cit.*, p. 386-387, 403 : « Ἡ χειροτονία ἐστὶν ἄκυρος, ἐὰν ἐτελέσθη ὑπὸ ἐπισκόπου ἀσπασαμένου τὸν μοναχικὸν τῆς μετανοίας βίον, ἐὰν καθῃρέθη..., ἐὰν μὴ ᾖ κεχειροτονουμένος ὑπὸ νομίμων καὶ κανονικῶν ἐπισκόπων. » Milasch potestatis ordinis exercitium jurisdictioni Ecclesiæ omnino subjicit; unde utrique hypothesi favere videtur.

2. Cf. supra, p. 51, n. 4.

3. Cf. supra, p. 59. Clerici popovtsorum qui per canonicam sententiam non fuerunt depositi, si ad Orthodoxiam redeant, ad sui ordinis exercitium, sine ulla reordinatione admitti possunt. Ad hierarchiam Bielokrinitzæ quod attinet, theologi russi eam nullatenus agnoscunt, quamquam ejus auctor, metropolita Ambrosius, pœna depositionis a patriarcha œcumenico non fuerat mulctatus, sed tantum pœna suspensionis (= ἀργία). Unde multum insudant in detegendis rationibus, quæ invaliditatem ordinationum ab Ambrosio peractarum demonstrent. Et nullam revera inveniunt. Multiplici quidem vitio canonico inquinata est ordinatio episcopalis Cypriani Timofeiev ab Ambrosio, die 6 januarii 1847, facta; nulla tamen exstat dogmatica ratio pronuntiandi eam fuisse invalidam, nisi potestatis ordinis exercitium a potestate juridica Ecclesiæ omnino pendere dixeris : quod communiter non admittunt theologi russi, quamdiu non intercesserit canonica sententia depositionis. Cf. de hac quæstione, præter consuetos auctores theologiæ polemicæ adversus rascolnikos, opus cui titulus : *Nezakonnost, nedieistvitelnost i bezblagodatnost staroobriadtcheskoi avstriisko-bielokrinitzkoi ierarkhii : Illegitimitas, invaliditas et inefficacia hierarchiæ austriaco-bielokrinitzianæ*, Kichenevii, 1911. Auctor hujus operis invaliditatem ordinationum Ambrosii demonstrare nititur præsertim ob defectum successionis apostolicæ apud Starovieros.

materiam sacramenti sic afficientes et determinantes, ut earum defectu materia reddatur ordinationi inepta. Illæ autem tam spectare possunt ordinantem quam ordinandum. *Ecclesia enim, meo judicio, definire potest quibus conditionibus ordinans episcopus auctoritate sua uti debeat, quibusve cum donis et qualibus ordinandus sese ordinanti sistere, ut valide et efficaciter ordinem ab eo recipiat; ita ut si ordinans aut ordinandus definitionem hanc neglexerint contraque egerint, actio sit nulla et irrita, atque ut effectus producatur iteranda.* Idem de hoc sacramento analogice dicendum quod de matrimonio et pœnitentia, quorum materias videmus Ecclesiam sæpe sub interminatione irriti sacramenti restrinxisse, dilatasse, vario tempore variis modis determinasse [1]... Hinc sequitur sacramentorum istorum materias in diversis Ecclesiis posse esse diversas, atque matrimonium, absolutionem, ordinationem quibusdam in locis celebrata irrita esse et nulla, quæ si eodem modo et cum iisdem circumstantiis facta fuissent aliis in locis, fuissent rata et legitima, dummodo conditiones illæ et circumstantiæ, ut assumimus, sint ex usu illius Ecclesiæ ut substantiales imperatæ. Unusquisque enim Ecclesiæ in qua vivit morem sequi tenetur, nisi licentiam a potestatem habente sit consecutus... Secunda distinctio : *In charactere, ut in quavis alia re, duo distingui debent : rei substantia et virtus agendi. Character semel impressus ab Ecclesia non pendet amplius : perpetuus est et indelebilis; sed ipsius virtus Ecclesiæ regimini subdita est, ab ea suspenditur ut nihil agat, aut agere possit, quandiu durat suspensio.* Ordinare poterit episcopus depositus, hoc est cæremonias ordinationis omnes exercere, sed nullo cum effectu et fructu [2]. »

Ita Morinus, cujus opinio in tuto quidem ponit characteris indelebilitatem, facillimam præbet viam ad omnes difficultates solvendas, quæ ex reordinationum historia, quum in Occidente tum in Oriente, peractarum oriuntur valdeque affinis est illi theoriæ de *œconomia* dicta, quam

1. Item, quantum ad Confirmationis sacramentum, simplex presbyter habet quidem, ordinationis vi, radicalem potestatem illud valide ministrandi; hanc potestatem autem valide exercere nequit absque superioris delegatione.

2. *Op. cit., Exercit.* V, c. IX, p. 82, 84.

Græci recentiores atque quadamtenus etiam antiqui propugnant; quæ tamen communi theologorum catholicorum doctrinæ adversatur, et ideo minus probabilis [1]. Hanc quidam Græco-Russi suo modo exprimunt ac tuentur, hocque pacto omnem valorem ordinationibus collatis ab episcopis depositis denegant [2]. Huic suffragari videtur sanctus Theodorus Studita ubi irritam ac nullam pronuntiat ordinationem presbyteri ab episcopo deposito factam [3].

Plerique tamen Græci tum antiqui [4], tum recentiores [5], validas ac ratas habent ordinationes a depositis factas, præsertim quando sententia depositionis, utpote in episcopum depositum injuste lata, per novam tribunalis ecclesiastici sententiam abrogatur [6]. Pœna enim τῆς καθαιρέσεως,

1. Præcipua ratio cur Deus noluerit Ecclesiam ligare posse exercitium potestatis episcopalis in ordinationibus nobis, videtur esse bonum spirituale eorum qui in sectis schismaticis et hæreticis nati, bona fide errant.

2. Huic sententiæ, ut diximus, suffragari videtur Milasch, *loc. cit.*; item Koidatis, *op. cit.*, p. 165 : « Ἐὰν ἀρθῇ ὁ λόγος δι' ὃν ἐγένετο ἡ ἀργία ἢ καθαίρεσις κληρικοῦ τινος, οὗτος δὲν χειροτονεῖται ἐκ νέου, ἀλλὰ λαμβάνει ἐκκλησιαστικῶς, τὴν ἄδειαν τῆς ἐξασκήσεως πάλιν τῆς ἱερατικῆς χάριτος. » Cf. etiam Πηδάλιον, p. 44-45.

3. *Epistol.*, l. II, *ep.* 225, *Methodio monacho*, *P. G.*, t. XCIX, col. 1652 CD : « Οὐ δύναται σαπρὸν δένδρον καρποὺς καλοὺς ποιεῖν... Οὐχ ἱερεύς, οὐδὲ ὁ λύσας ἅγιος. »

4. In historia Ecclesiæ byzantinæ multi occurrunt casus absolutionis a sententia depositionis cum instauratione depositi in pristinam dignitatem. Sufficiat memorare Ignatii et Photii, Nicolai Mystici et Euthymii vices. Cf. Miklosich et Müller, *Acta patriarchatus Const.*, t. I, p. 404-405, Vindobonæ, 1850; Delicanis, Πατριαρχικὰ ἔγγραφα, t. II, 1904, p. 352, 431, 537; t. IV, 1905, p. 187; A. Catoire, *L'absolution de la* καθαίρεσις, in *Échos d'Orient*, t. XVII, p. 111-119.

5. Jam supra diximus, p. 59 et n. 4, synodum Constantinopolitanam, anno 1879 congregatam, validitatem ordinationum depositorum publice agnovisse; cui tunc suffragatæ sunt omnes fere Ecclesiæ autocephalæ. Cf. Basilium Smyrnensem, *op. cit.*, in pag. 59, n. 4; Mesoloram, p. 334-336; Dyovuniotam, p. 164, n. 2.

6. *Pidalii* commentatores, p. 44-45 in nota, referunt sententiam eorum, qui inter eos qui *juste* depositi sunt et eos qui *injuste* distinguentes, dicunt illos quidem omnem quum internam tum externam sacerdotii vim ac potestatem amittere, ita ut nihil firmi ac validi amplius agere queant; hos vero externa tantum sacras actiones operandi facultate privari; qui, si aliquem sacerdotalem actum perfecerint contra depositionis sententiam, ritus sacros valide peragant. Qui juste depositus est operario et manibus et laboris instrumentis

etsi natura sua a canonistis perpetua ac irrevocabilis definitur, revera tamen haud raro per novam sententiam tollitur ac rescinditur; episcopus vero absolutus in suum pristinum gradum ac potestatis sacerdotalis exercitium instauratur; quos vero suæ depositionis tempore ad ordines promovit, ut valide ordinati in proprio quisque ordine suscipiuntur [1]. Recentissime etiam Russi, ii potissimum qui ad Ecclesiam Renovationis pertinent, τὴν καθαίρεσιν rescindibilem ac revocabilem esse et dictis et factis declararunt [2].

III. — De ministro schismatico et hæretico.

Per octo priora sæcula, diversæ Orientis Ecclesiæ non unam nec constantem tenuerunt agendi rationem erga clericos in schismate vel hæresi ordinatos. Primum quidem patet earum sectarum clericos reordinationi fuisse obnoxios, quarum baptisma repudiabatur. Concilium Nicænum I in suo canone octavo validitatem ordinationum Catharorum seu Novatianorum agnovit [3]. Ordinationes item Meletianorum Ægyptiorum, qui schismatici erant, ratas habuit; quas tamen quodam reconciliationis ritu confirmari jussit [4].

carenti assimilatur; qui vero injuste operario expeditas manus habenti et instrumentis laboris tantum spoliato comparatur; qui, si ipse hæc instrumenta proprio marte resumpserit, opus revera perficiet.

1. Cf. C. M. Rhallis, Ποινικὸν δίκαιον τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας, Athenis, 1907, p. 32.

2. Cf. relationem supra citatam, p. 425, N. G. Popovii de indelebilitate gratiæ sacerdotalis. Synodus russica Mosquensis, anni 1917-1918 decreto die 15 aprilis promulgato, conditiones statuit quibus clerici injuste depositi in suum pristinum gradum restitui possint.

3. Notum est de sensu hujus canonis, præsertim vero de significatione verbi χειροθετουμένους, neque antiquos neque modernos inter se consentire. Nobis unum certum videtur, scilicet concilium ordinationes Novatianorum ratas habere; unde vocem χειροθετουμένους de reordinatione intelligendam non esse. Cf. Hefele-Leclercq, *Histoire des conciles*, t. I, p. 581-585; Saltet, *Les réordinations*, p. 35-37.

4. « Μυστικωτέρᾳ χειροτονίᾳ βεβαιωθέντες » : *Epist. concilii Nicæni ad Ægyptios*, apud Socratem, *Hist. eccl.*, I, IX; *P. G.*, t. LXVII, col. 80. Specialem reconciliationis ritum pro clericis ordinationis, ritum aliquatenus referentem in quibusdam Ecclesiis, olim exstitisse haud unum probat documentum. Cf. *Quæstiones et responsiones ad orthodoxos* cujusdam Anonymi Antiocheni sæc. V, *P. G.*, t. VI, col. 1262. Saltet, p. 50-41. Cf. etiam quæ de Photio narrantur, supra, p., 426, n. 1.

His decretis concilium clericos schismaticos vel hæreticos non reordinandos esse satis clare innuebat; quæstionem tamen dogmatice non explicaverat neque definierat. Unde factum est, ut quædam Ecclesiæ sæculo IV et V multos hæreticos, immo ipsos Novatianos reordinaverint [1]. Canones apostolici dicti prorsus invalidas habent quorumcumque hæreticorum ordinationes [2]. Sæculo VI, Joannes III, Scholasticus dictus, patriarcha Constantinopolitanus (565-577) Monophysitas primum reordinat; postea ritu quodam pœnitentiali reconciliare tentat [3]. Sæculo VII ineunte, Ecclesia Constantinopolitana reordinationibus hæreticorum valedixisse videtur [4]. Eodem sæculo, Nestoriani, sectarum monophysiticarum asseclæ, Monothelitæ per solam fidei professionem reconciliantur et omnia eorum sacramenta ut valida habentur. Demum in concilio Nicæno II, clerici ab Iconomachis ordinati cum suo ordine et gradu in Ecclesiam recepti sunt [5].

Ex his colligere quis posset Ecclesiam byzantinam circa finem sæculi VIII validitatem ordinationum ab hæreticis collatarum ultimo agnovisse, atque hoc caput sine controversia ad fidem orthodoxam deinceps pertinuisse praximque canonicam temperasse ac regulasse. Erraret tamen qui putaret. In memoriam enim revocanda sunt quæ diximus ubi de hæreticorum baptismate disseruimus [6]. Synodus Trullana, a Byzantinis tanquam continuatio sextæ synodi œcumenicæ ejusque genuinum complementum semper habita,

1. Saltet, p. 39-56.

2. « Τοὺς παρὰ τῶν τοιούτων (= τῶν αἱρετικῶν) βαπτισθέντας ἢ χειροτονηθέντας οὔτε πιστοὺς οὔτε κληρικοὺς εἶναι δυνατόν. » Can. 68. Cf. can. 46 et 47.

3. Saltet, p. 50-56. Rursus hic mentionem habes reordinationis mere cæremonialis. Nota in Occidente Urbanum papam II aliquid simile statuisse pro reconciliatione clericorum schismaticorum vel hæreticorum. Saltet, p. 228-236.

4. Cf. *Libellum Timothei presbyteri Constantinopolitani de receptione hæreticorum*, *loc. cit.*

5. Cf. sess. 1 synodi VII, apud Harduinum, *op. cit.*, t. IV, col. 49-65. In hac sessione concilii, quæstio de validitate ordinationum hæreticorum ex professo agitata est. Prolata sunt antiquorum testimonia validitati suffragantia; silentio prætérita sunt documenta contraria. Cf. Saltet, p. 106-108.

6. P. 89 sq..

quosdam synodorum antiquarum canones Patrumque regulas sua approbatione firmavit, quæ de ordinatione heterodoxorum sicut et de eorum baptismate, inter se manifesto pugnant. In hac siquidem canonica collectione ex una parte invenis canones apostolicos 46, 47 et 68, Basilii canones 1 et 47, qui omnia hæreticorum sacramenta ut prorsus irrita ac invalida indiscriminatim rejiciunt; ex alia vero, canonem 8 Nicænum, qui Novatianorum, canonem 71 Carthaginensem, qui Donatistarum, ipsum canonem 95 Trullanum, qui *(implicite)* Nestorianorum et Monophysitarum ordinationes validas habent [1]. Synodus Nicæna II hanc canonum repugnantiam nullatenus sustulit, cum ipsa in suo primo canone omnes regulas a *sex* conciliis œcumeniciis promulgatas (ergo et canones Trullanos approbet ac confirmet. Unde mirum non est Byzantinos posteriores et Græco-Russos modernos ad perfectam unitatem plenumque inter se consensum de hac quæstione nunquam pervenire potuisse. Alii enim indulgentiae seu τῆς οἰκονομίας viam inierunt, severitatis et τῆς ἀκριβείας alii. Qui autem suæ Ecclesiæ in modo recipiendi clericos heterodoxos perpetuas variationes explicare nunc tentant, ad theoriam de *œconomia* dictam, quam explicavimus supra, confugiunt.

Sæculo IX ineunte, sanctus Theodorus Studita post Timotheum, presbyterum Constantinopolitanum [2], tres hæreticorum classes distinguit dicitque illos hæreticos quos tum canones apostolici tum sancti Basilii regulæ rebaptizandos ac reordinandos decernunt, *hæreticos esse proprie dictos*, eos scilicet qui nec baptizati erant *nec baptizabant in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti;* hæreticos vero secundæ ac tertiæ classis non esse hæreticos veri nominis, sed potius inter schismaticos deputandos [3]. Unde quanquam

1. Canon 95 Trullanus, dum *Epistolam Constantinopolitanorum ad Martyrium Antiochenum* repetit, ea supprimit quæ de reordinatione erant Arianorum, Macedonianorum, Novatianorum, Tetraditarum et Apollinaristarum. Nestorianos et Monophysitas per fidei professionem reconciliat.

2. *Epist.*, l. I, ep. 40 *ad Naucratium, loc. cit.*, col. 1057 D : « Ἀλλ' ὡς εὗρον παρασημείωσίν τινος τῶν ἀρχαιοτέρων φιλοπόνου ἀνδρός, » etc. Theodorum de Timotheo loqui pro certo habemus.

3. *Ibid.*, col. 1053. Hac exegesi Theodorus ad uniformitatem satis feliciter redigit variationes Ecclesiæ græcæ circa receptionem hæreticorum; verum, hæc exegesis rerum veritati non consonat.

scribit : « Quos hæreticus ordinat non possunt esse veri Dei ministri [1] », validitatem tamen ordinationum illorum hæreticorum quorum baptisma non iterabatur, admittere videtur.

Hæreticorum ordinationes validas esse Photius diserte tuetur factisque comprobat in suo opusculo, cui titulus Συναγωγαὶ καὶ ἀποδείξεις [2]. Ei consentiunt inter veteres Byzantinos canonista Demetrius Chomatenus [3], inter modernos Græco-Russos plerique theologi russi inde a sæculo XVIII, saltem quod attinet ad ordinationes Nestorianorum, Monophysitarum et Catholicorum [4]; Bernardakis [5], Andrutsus in sua *Symbolica* [6], etc.

Hæreticos e contra reordinandos esse, utpote non revera ordinatos, pronuntiant canonistæ Zonaras [7] et Balsamon [8] et plerique Græci recentiores, præsertim inde a decreto Cyrilli V, patriarchæ Constantinopolitani. Hi quidem, ut supra diximus [9], etiam validitatem baptismi hæreticorum rejiciunt. Serbus Milasch de hac quæstione obscure loquitur. Distinguit enim inter hæreticos et hæreticos, docetque validitatem ordinationum hæreticorum pendere tum a gravitate erroris quem propugnant, tum ab eorum fide in divinam institutionem hierarchiæ ecclesiasticæ, tum etiam ab apostolica pastorum sine ulla intermissione successionis [10]. Hac

1. « Οὐχ οἷόν τε οὓς χειροτονεῖ τῇ ἀληθείᾳ εἶναι λειτουργοὺς Θεοῦ. » *Ibid.*, col. 1057 A.

2. Cf. t. I hujus operis, p. 147; Hergenröther, *op. cit.*, t. II, p. 360 sq.

3. *Responsum III ad C. Cabasilam*, apud Pitra, *Analecta sacra*, t. VII, col. 630 : « Αἱρετικῶν χειροτονίαι τοῖς ὀρθοδόξοις δεκταί εἰσι κατὰ τὴν τῶν πατέρων παράδοσιν, ὀρθοδόξων ἢ ὄντων ἢ γινομένων τῶν ὑπ' αὐτῶν χειροτονουμένων. »

4. De validitate ordinationum hæreticorum in genere non tam explicita est Russorum recentiorum doctrina. Macarius, v. g., p. 497, dicit Ecclesiam hæreticorum ordinationes habuisse invalidas utpote contra leges et canones (*nepravilno i nezakonno*) perfectas.

5. *Op. cit.*, p. 178-179 : « Ἡ χειροτονία γενομένη ἅπαξ δὲν ἐπαλαμβάνεται ἀρκεῖ μόνον νὰ ἔγεινε κανονικῶς, ἔστω καὶ ὑπὸ ἑτεροδόξων. »

6. P. 329. Contrarium potius docet idem auctor in sua *Dogmatica*.

7. *In can. 68 apost., P. G.*, t. CXXXVII, col. 176 C.

8. *In can. 68 apost., P. G., ibid.*, col. 176 A : « Ἡ χειροτονία καὶ τὸ βάπτισμα τῶν αἱρετικῶν οὔτε κληρικοὺς οὔτε πιστοὺς ποιεῖ. » Cf. *Rep. XXX ad interrogationes Marci, P. G.*, t. CXXXVIII, col. 984, ubi item hæreticos reordinandos esse pronuntiat.

9. P. 96.

10. *Op. cit.*, ed. græca, p. 387, 400-404.

via variationes Ecclesiæ « orthodoxæ » in modo recipiendi clericos heterodoxos explicare nititur.

IV. — De ministro catholico.

De ministro catholico sive ritus latini, sive ritus orientalis, brevis erit responsio. Græco-Russi enim Catholicorum ordinationes ratas habuerunt quoties et quamdiu eos non rebaptizarunt. Unde per totum Medium Ævum, ac præsertim post disruptam unionem tum Lugdunensem tum Florentinam, clericos a Catholicis ordinatos non reordinarunt, sed per simplicem fidei professionem conjunctam vel non cum chrismatis unctione eos « Orthodoxiæ » adscripserunt, in suo quemque gradu, ut plerumque, illos relinquentes [1]. E contra Russi clericis sive unitis sive latinis ordinationem renovabant eo tempore quo eosdem rebaptizabant [2]. Græci Catholicos plerumque reordinant, inde a decreto Cyrilli V. Quemadmodum vero erga illos, quantum ad baptisma, *œconomia* quandoque utuntur, ita etiam quantum ad ordinationem. Ita, anno 1860, episcopi et sacerdotes ex Ecclesia Melkitarum unitorum ad Orthodoxiam orientalem transgressi, decreto patriarchæ Constantinopolitani per solam chrismationem et fidei professionem recepti sunt [3], dum, anno 1846, Macarius episcopus unitus Amidæ civitatis (Diarbekir), ut merus laicus gradatim ad integrum reordinatus fuerat [4].

V. — De ministro anglicano.

De ordinationum Anglicanarum validitate Græco-Russi nostri ævi inter se dissident. Multi omnem valorem sacramentalem eis denegant. Ita plerique theologi russi, inter quos

1. Cf. S. Pétridès, *Sentence contre le clergé unioniste* (1283) in *Échos d'Orient*, t. XIV (1911), p. 133-136. Cf. etiam Demetrium Chomatenum, *loc. supra cit.*, col. 625-630; Josephum Bryennium, *Opera*, t. III, p. 130.

2. Anno 1657, Macarius, patriarcha Antiochenus, Niconi scribebat Latinos non esse reordinandos. Cf. Sergium, Viatkæ episc., *op. cit.*, p. 160-161.

3. Theotokas, Νομολογία, p. 373.

4. *Ibid.*, p. 371-373. Casus reordinationis Catholicorum, sive unitorum sive latinorum, *ibid.*, p. 373-374, ad annos 1869-1872, 1889, notantur, dum, anno 1885, diaconus quidam cum sola chrismatione et fidei professione recipitur.

Macarius [1], Maltzev [2], Malinovskii [3], etc. Ecclesia russica nuper eos ut nullas practice habebat et clericos Anglicanos reordinabat. Serbus Milasch item eas rejicit [4]. Patet ejusdem esse sententiæ illos Græcos qui, ut Zikos Rhosis et Mesoloras, ordinationes et alia hæreticorum sacramenta in genere respuunt.

Alii de earum valore dubii hærent, donec Ecclesia Anglicana publico documento suam in sacramentum Ordinis fidem professa fuerit. Ita inter Russos V. Sokolov [5], inter Græcos Andrutsus [6] et Dyovuniotis [7], recentissime synodus Ecclesiæ rumenæ [8].

Alii demum eas tanquam validas jam agnoverunt. Ita

1. T. Theotokas, *op. cit.*, p. 498. Macarius ordinationes Protestantium in genere rejicit.

2. *Op. cit.*, p. CIII-CX.

3. *Op. cit.*, p. 433.

4. *Op. cit.*, p. 403.

5. In suo opere : *Ierarchia angliganskoi episcopalnoi Tserkvi (Hierarchia Ecclesiæ anglicanæ episcopalis)*, Serghiev Possad, 1897, et in pluribus aliis dissertationibus editis tum in *Khristianskoe Tchtenie*, 1913, t. I, p. 153-174; 374-400, tum præsertim in *Bogoslovskii Viestnik* (annis 1896-1899, passim), ubi polemice de hac quæstione disputavit cum Joanne, episcopo Aksaiskio. In articulo edito in *Encyclopædia theologica orthodoxa*, t. I, col. 739-744, ad hanc devenit conclusionem : « Quæstio de validitate ordinationum anglicanarum pro Ecclesia orthodoxa adhuc aperta manet; solvi autem non poterit donec Ecclesia anglicana suam de sacramentis doctrinam, ex quibus duo tantum agnoscere videtur, dilucide non explanaverit. Hoc vero dato, Ecclesia orthodoxa hujusmodi ordinationes pro validis habere posset. »

6. Andrutsus specialem de hac quæstione edidit disquisitionem : Τὸ κῦρος τῶν ἀγγλικῶν χειροτονιῶν, Constantinopoli, 1903. Ejus conclusio eadem fere est ac ea quam protulit V. Sokolov : « Ecclesia orthodoxa validitatem ordinationum anglicanarum κατ'οἰκονομίαν agnoscere potest, quatenus Ecclesia anglicana gratiam per sacerdotium collatam agnoscit, nec suam facit doctrinam Calvinistarum de Eucharistiæ sacramento et sacrificio. Ante omnia necesse est, ut Ecclesia anglicana clare et publice manifestet se *orthodoxe* sentire non solum de Ordine et de Eucharistia, verum etiam de sacramentorum numero, de potestate clavium in foro pœnitentiæ, de auctoritate infallibili synodorum œcumenicarum. » Cf. ejusdem Δογματικήν, p. 392, n. 1.

7. *Op. cit.*, p. 164, n. 1. Requirit item, ut Ecclesia episcopalis anglicana suam mentem de sacerdotio et aliis sacramentis diserte ac authentice explanet.

8. Cf. *Échos d'Orient*, t. XXIV (1925), p. 108-109.

Bernardakis [1], Meletius IV Metaxakis, patriarcha Constantinopolitanus, in littera encyclica anno 1922, mense augusto, ad omnes Ecclesias autocephalas missa [2]; Damianus, Hierosolymitanus, cum sua synodo, anno 1923 [3]; Cyrillus, Cypri metropolita, eodem anno [4].

1. *Op. cit.*, p. 180 : « Ἡ ἀγγλικανὴ Ἐκκλησία, εἰ καὶ δογματικῶς ἀπεπλανήθη, ὡς καὶ οἱ λοιποὶ Διαμαρτυρόμενοι, ἀποκλείσασα τὴν ἱερωσύνην ἀπὸ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν μυστηρίων, ἐν τῇ πράξει ὅμως ἐτήρησε τὴν κανονικὴν διὰ τῆς ἐπιθέσεως χειρῶν προχείρισιν καὶ τὴν ἐξ αὐτῆς πηγάζουσαν ἐκκλησιαστικὴν ἱεραρχίαν. »

2. Juxta Meletium, in ordinatione Matthæi Parker necnon in ordinationibus, quas ipse perfecit, occurrunt plene omnia, quæ secundum doctrinam orthodoxam ad validam episcopi ordinationem necessario requiruntur, scilicet manuum impositio, Spiritus Sancti invocatio et intentio communicandi charisma ministerii episcopalis. Idem asserit nihil in Ecclesiæ orthodoxæ praxi inveniri quod suspicionem ingerat de validitate ordinationum anglicanarum. Oblivioni sane tradit Meletius praxim rebaptizandi omnes christianos Occidentis apud Græcos recentiores inde ab anno 1755 vigentem; praxim etiam reordinandi Anglicanos in Ecclesia russica usu receptam. Encyclicam Meletii de ordinationibus anglicanis gallice invenies in *Documentation catholique*, t. XIV (1925), col. 1021-1022; anglice apud G. K. A. Bell, *Documents on christian unity*, p. 94-97.

3. *Epistola synodalis ad primatem Anglicanorum*, die 12ª martii 1923 data. Cf. Bell, *op. cit.*, p. 97-98.

4. *Epistola ad patriarcham œcumenicum*, die 2ª martii data. *Ibid.*, p. 98-99. De anglicanis ordinationibus, vide etiam opellam Ch. Papadopuli : Τὸ ζήτημα περὶ τοῦ κύρους τῶν ἀγγλικανῶν χειροτονιῶν, Hierosolymis, 1925.

CAPUT SEPTIMUM

DE SACRAMENTO MATRIMONII

Prænotamina.

Circa sacramentum matrimonii multiplex a principio exstitit differentia inter Latinos catholicos et Græcos dissidentes, quanquam de hac materia, si quæstionem de tetragamia excipias, inter se vix unquam litigaverunt. Etiam ante schisma consummatum, immo ante Photium, perfecta consensio inter utramque Ecclesiam, occidentalem scilicet et orientalem, desiderabatur, præsertim quod attinet ad vinculi conjugalis indissolubilitatem. Et sane mirandum omnino quod de quæstione adeo gravi, ad fidem pariter et ad morum christianam integritatem spectante, altum per tot sæcula servatum fuerit silentium, dum de quibusdam aliis discrepantiis futilibus in re mere liturgica vel disciplinari toties tamque acriter disceptatum est: quod certe tribuendum est Latinorum erga polemistas anticatholicos agendi rationi, qua istorum in se conjecta tela repellere satis haberent, atque de vice reddenda, aliquid de abusibus vel novitatibus adversariorum detegendo et redarguendo, parum curarent.

Primus inter Latinos qui hoc de matrimonii indissolubilitate gravissimum discrimen notaverit, fuit, ut videtur, Hugo Etherianus, qui inter Græcos aliquamdiu versatus, eorum dogmata ususque satis bene exploravit. Hic, in quodam opusculo polemico, inter Græcorum malas consuetudines hanc recenset : scilicet quod « viri et mulieres sacramentum conjugii pro futili reputant. Nam quoties alter alteri displicet, vel altera alteri, coram prætore urbano voluntàtibus eorum expositis, instrumentis et cingulis præcisis, sine contradictione viri uxores, et mulieres viros pro libitu acci-

piunt, contra mandatum quod dicit : *Quod Deus conjunxit, homo non separet* (Matth., XIX, 6) [1]. » Sed ad hoc postea Latini vix attenderunt. In colloquiis, quæ occasione unionis Lugdunensis (1274) habita sunt, de tetragamia quidem [2] necnon de polygamia et polyandria explicita mentio facta est; de divortio vero, prout apud Byzantinos jamdiu frequentabatur, nulla directa prohibitio lata [3]. In ipso concilio Florentino, de hac quæstione nonnisi postquam præsules græci decreto unionis jam subscripserant, obiter actum est. Ut enim fert narratio Dorothei Mitylenensis, post unionem pactam, Latini a Græcis hoc inter quædam alia quæsiverunt : « quare conjugia dirimerent, dicente Domino : *Quos Deus conjunxit, homo non separet?* Cum autem Græci nullum justum responsum dedissent, petivit papa per nuntios ab imperatore, ut ex metropolitis peritos aliquot ad se mitteret. Ille vero misit imperitos: proposuitque papa duas has objectiones : de separatione conjugum et de eligendo patriarcha. Illi vero nullam se dixerunt habere facultatem respondendi nec respondere, sed ea relaturos imperatori, qui responderet. Dum hæc fiunt, lapsi sunt dies. Die vero quartodecimo julii, feria tertia, papa orientales omnes præsules ad se convocavit, et cum aliquot ex iis profecti essent, talem habuit secreto cum illis sermonem :

« Nos, fratres, Dei beneficio fide sumus conjuncti. Quoniam ergo arcanis Dei judiciis ego sum vestrorum membrorum caput, debeoque omni modo admonere et consiliis instruere ad ea quæ videntur pietatem et Ecclesiam constabilire, propono vobis aliqua ut fratribus, ut membris, ut Ecclesiarum doctoribus. Et primo dico omnes conqueri de separatione matrimoniorum: idque correctione indiget. »

Præsules græci ita responderunt : « Æquissima et sapien-

1. Præter tres libros de processione Spiritus Sancti, quos in *Patrologia latina*, t. CCII, legere est, Hugo Eterianus aliud opusculum contra Græcos conscripsit, cujus excerpta quædam Dominicani Constantinopolitani ad calcem sui operis polemici anno 1252 concinnati transcripserunt. Locus laudatus legitur in *P. G.*, t. CXL, col. 547 B.

2. Cf. quæ infra dicuntur, p. 467.

3. Dico : « nulla *directa* prohibitio », quia in *Confessione fidei* Michaelis Palæologi praxis græca de divortio tacite profligatur his verbis : « Soluto vero legitimo matrimonio *per mortem* conjugum alterius, secundas et tertias deinde nuptias successive licitas esse dicit. »

tissima sunt quæ Beatitudo tua dixit; sed nos ad hæc dare perfectam responsionem non possumus; sunt enim et alii præsules et imperator noster : perfecte igitur respondebimus cum illorum consensu. Privatim vero ex nobis respondemus ac dicimus non esse hæc præsentis temporis, licet justa et necessaria sint. *Nam matrimonia dirimimus non sine justis causis* [1]. »

Nullam aliam responsionem papa obtinere potuit, imperatore controversiam de hac re moveri non permittente. Post Constantinopolim a Turcis captam, praxis Græcorum matrimonia dissolvendi ex parte tantum, ut videtur, Latinis innotuit. Ex iis enim quæ de hac re a theologis catholicis Occidentis communiter scripta sunt, patet illos putavisse unam solam causam divortii, adulterium scilicet, a Græco-Russis recipi [2], cum multæ aliæ apud illos semper exstiterint, de quibus mox dicturi sumus. Cum autem Protestantes Ecclesiam catholicam erroris insimularent quod sacramentum matrimonii in casu adulterii non dirimeret, concilium Tridentinum hunc canonem dogmaticum contra illos directe protulit :

« Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi; et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere; mœcharique eum qui, dimissa adultera, aliam duxerit, et eam quæ, dimisso adultero, alii nupserit; anathema sit [3] ».

De fide catholica ergo est Ecclesiam non errare, cum docet

1. *Sanctum Florentinum universæ Ecclesiæ concilium editum a monacho benedictino,* versio latina, Romæ, 1865, p. 270-272. Cf. Hardouin, *Collectio concil.*, t. IX.

2. Ipse Arcudius in suo magno opere : *De concordia Ecclesiæ occidentalis et orientalis in septem sacramentorum administratione libri VII*, Parisiis, 1619, solum adulterium memorat, et alias causas divortii ignorare videtur. De solo item adulterio fit mentio in compendiis theologiæ dogmaticæ apud catholicas occidentales receptis. Quidam tamen eruditi, ut J. Zhishman, *Das Eherecht der orientalischen Kirche,* Vindobonæ, 1864, causas divortii apud Byzantinos receptas probe investigarunt.

3. Sess. XXIV, can. 7.

matrimonii vinculum non posse dissolvi propter adulterium: et anathemate concilii percelluntur ii omnes qui Ecclesiam catholicam hac de re erroris accusant. Non vero directe definitum est hanc Ecclesiæ doctrinam ad fidem catholicam pertinere, ita ut tanquam hæretici veri nominis habendi sint qui doceant matrimonium fidelium ratum et consummatum propter adulterium dissolvi posse. Sed qui hoc docent certo errant, et hæresi appropinquant [1]. Primum quidem, teste Pallavicini [2], canon concilii ita fuerat conceptus, ut non solum Protestantes, verum et Græcos anathemate directe feriret; postea vero, postulantibus oratoribus Reipublicæ Venetorum, in qua Græci non pauci habitabant, definitio terminis supra relatis expressa est [3]. Cæterum, post concilium Tridentinum et nostris præsertim diebus, quidam theologi græco-russi, Reformatos imitati, erroris arguerunt Ecclesiam catholicam propter hanc de absoluta matrimonii indissolubilitate doctrinam. Sæculo XVII, Georgius Coressius inter ἁμαρτήματα Italorum recensebat quod « viro a sua uxore propter adulterium separato alterum matrimonium non permitterent, Domino in evangelio secundum Matthæum præcipiente licere viro a propria uxore secedenti ob crimen πορνείας, alteri conjungi [4]. » Philaretus Gumilevskii loquitur « de *inconsulta* definitione concilii Tridentini circa divor-

1. Agitur enim non de quacumque certa veritate ab Ecclesia edocta, sed de veritate *consentanea evangelicæ et apostolicæ doctrinæ*, ergo in deposito fidei contenta. Si Ecclesia non errat docendo juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, matrimonii vinculum propter adulterium non posse dissolvi, ergo verum est evangelicam et apostolicam, doctrinam idem quod Ecclesia docet referre et continere.

2. *Historia concilii Tridentini*, l. XXII, c. 4, n. 27.

3. Apud Orientales unitos, praxis dissidentium dissolvendi matrimonia propter adulterium identidem denuntiata est; quam Romani pontifices semper damnarunt. Anno 1625, Urbanus VIII Græcis proposuit fidei formulam, in qua hæc verba leguntur : « Item profiteor sacramenti matrimonii vinculum indissolubile esse, et quamvis propter adulterium, hæresim aut alias causas, possit inter conjuges tori et cohabitionis separatio fieri, non tamen illis aliud matrimonium contrahere fas esse. » Eamdem Benedictus XIV Simoni Evodio archiepiscopo Damasceno profitendam commendavit. Cf. *Magnum Bullarium romanum*, t. XVI, p. 148.

4. Συντομία τῶν Ἰταλικῶν ἁμαρτημάτων, Londini, 1858, p. 108 : « τοῦ Κυρίου ἐν τῷ κατὰ Ματθαῖον προστάττοντος ἐξεῖναι τῷ διαλυθέντι ἀνδρὶ τῆς οἰκείας γυναικὸς κατ'αἰτίαν πορνείας ἑτέρᾳ συζεύγνυσθαι. »

tium [1]. » Dyovuniotis *falsam* pronuntiat sententiam Ecclesiæ occidentalis de absoluta indissolubilitate matrimonii [2]. Bernardakis, in suo catechismo inter Græcos hodiernos vulgatissimo, dicit « Ecclesiam romanam divortium omnino prohibere *contra manifestum præceptum Domini, quod perperam interpretatur* [3]. » Eamdem criminationem movet Diomedes Kyriakus [4]. Item in programmate theologiæ polemicæ a Synodo dirigente russica delineato, doctrina catholica de indissolubilitate matrimonii inter errores impugnandos referebatur; unde compendia russica theologiæ polemicæ huic normæ aptabantur [5].

Notandum præterea Græco-Russos plerosque, non solum a canone 7 Tridentino, verum etiam a canone 5 indirecte fuisse vulneratos, ut ex mox dicendis apparebit [6].

Caeterum non in sola quæstione de indissolubilitate matrimonii theologi catholici et theologi græco-russi sibi invicem adversantur. Alia sunt dissensionis capita, de quibus nunc quædam per ordinem dicenda sunt. Loquemur ergo :

1° De origine matrimonii ut contractus naturalis;

2° De matrimonio ut vero sacramento Novæ Legis;

3° De essentia necnon de ministro sacramenti matrimonii;

4° De indissolubilitate vinculi conjugalis, ubi et de multiplicibus causis divortii apud dissidentes;

5° De subjecto hujus sacramenti;

6° De potestate ferendi leges circa matrimonium.

1. *Theologia orthodoxa*, t. II, p. 219 in nota.

2. Dyovuniotis, Τὰ μυστήρια, p. 180 : « Σφαλερὰ ἄρα ἡ γνώμη τῆς δυτικῆς Ἐκκλησίας, ἥτις ἐπ'οὐδενὶ λόγῳ παρέχει ἐκκλησιαστικὸν διαζύγιον. »

3. Ἱερὰ κατήχησις, p. 183.

4. Χριστιανικὴ κατήχησις, p. 60-61.

5. Cf. Perov, *Theologia polemica*, p. 100-101; Truskovskii, *Theologia polemica*, p. 85-86.

6. « Si quis dixerit, propter hæresim aut molestam cohabitationem aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit. »

ARTICULUS I

De origine matrimonii ut contractus naturalis.

Græco-Russi, sicut et Catholici, uno ore docent matrimonium ut contractum Deum ipsum in principio humani generis auctorem habuisse. Ex ipsis vero quidam suam expresse faciunt quorumdam antiquorum Patrum græcorum sententiam singularem de hypothetica creatione mulieris, de qua in tractatu de Deo creante sermo fusior : Si homo non peccavisset, multiplicatio humani generis per aliam viam quam per sexuum commixtionem facta fuisset. Deus feminam creavit ex prævisione lapsus Adami, ut homo per peccatum mortalis factus, per filiorum generationem sibi superstes esset. Unde non statim ab initio, sed aliquanto post Adami formationem, Eva de ipsius latere sumpta est. Quamdiu status innocentiæ duravit, homo perfecta incorruptibilitate et impassibilitate decoratus fuit; erat enim sicut erit post corporum resurrectionem. Uxorem non cognovit nisi postquam e paradiso pulsus est. Ad hanc Dei ordinationem psalmista alludebat, dum dicebat : *Homo, cum in honore esset non intellexit; comparatus est jumentis, et similis factus est illis* (Ps., XLVIII, 12).

Hanc doctrinam fuse evolvit Michael Glykas in c. VIII theologico, testimoniis Gregorii Nysseni, Joannis Chrysostomi, Pseudo-Athanasii ad Antiochum, Joannis Damasceni, Maximi Confessoris, Anastasii Sinaitæ illam muniens; ex qua deducit diversitatem sexuum in resurrectione non amplius fore, sed omnes ad exemplar Adami innocentis perfecta ἀφθαρσία donati resurrecturos [1]. Simeon Thessalonicensis item matrimonium ut peccati consequentiam habet[2]; cui suffragantur et Gabriel Severus [3] et Jeremias II, patriarcha Constantinopolitanus [4].

1. Εἰς τὰς ἀπορίας τῆς θείας γραφῆς κεφάλαια, ed. Eustratiades, t. I, p. 89-115; cf. c. XCII, t. II, p. 418-435.
2. *De sacramentis*, c. 38; *Dialogus contra hæreses*, c. 275; *P. G.*, t. CLV, col. 180; 504.
3. *Op. cit.*, p. 129.
4. *Primum resp. ad Lutheranos*, c. VII.

ARTICULUS II

De matrimonio ut Novæ Legis sacramento.

Ut jam supra vidimus, ubi de sacramentis in genere, matrimonium inter septem Novæ Legis sacramenta a Græco-Russis communiter recensetur. Hæc tamen affirmatio non est adeo firma ut omnem contradictionem arceat ac excludat. Hieromonachi Tarasii recentem impetum in septenarium sacramentale retulimus [1]; cujus opella cum approbatione censuræ ecclesiasticæ russicæ edita est. Hic Kiovienses redarguit quod matrimonium sacramentis annumeraverint, cum hæc *manifestatio* (matrimonium scilicet) ad religionem nullum habeat respectum, et in societatibus occurrat religionis expertibus. Verum quidem est, inquit ille, Paulum matrimonium vocare sacramentum; sed de quocumque matrimonio, non de solo matrimonio christiano loquitur [2].

ARTICULUS III

De essentia necnon de ministro sacramenti matrimonii.

De essentia et ministro hujus sacramenti Ecclesia catholica nullam hactenus edidit solemnem definitionem; unde diversæ opiniones de his duobus capitibus a nostris theologis olim prolatæ fuere; quarum tamen plures jam antiquatæ sunt, et tanquam falsæ ab omnibus fere derelictæ. Communissima hodie inter Catholicos doctrina, quam ut certam proponunt, hæc est : essentiam sacramenti matrimonii in ipso consensu libero contrahentium, sensibiliter manifestato, reponendam esse, ita ut : 1° contractus et sacramentum pro christianis revera identificentur, et ab invicem nunquam separari possint, ut dicitur in *Codice* novi juris, can. 1012 : « Christus Dominus ad sacramenti dignitatem evexit ipsum contractum matrimonialem inter baptizatos. Quare inter baptizatos nequit matrimonialis contractus validus consistere, quin sit

1. Cf. p. 23.
2. *Theologia Veliko-Russorum et Malo-Russorum sæcul. XVI-XVII* Petropoli, 1903, p. 119-125.

eo ipso sacramentum [1] »; 2° ministri hujus sacramenti ipsi sint contrahentes, non vero sacerdos nuptiis benedicens. Consensus enim mutuus facit matrimonium; et hic consensus, dummodo exterius manifestetur, pro materia et forma sacramenti haberi potest. Est materia, quatenus reciprocam corporum traditionem exprimit; est forma quatenus acceptationem contrahentium significat. Ipsa vero corpora contrahentium sunt materia *circa quam* versatur sacramentum.

Usque ad initium sæculi XIX, hæc doctrina Catholicorum communiter recepta est apud theologos græco-russos, paucis exceptis. Simeon Thessalonicensis, apud quem nondum occurrit terminologia sacramentalis scholasticorum, essentiam sacramenti conjugii non reponit in ritu ecclesiastico coronationis (στεφανώματος) et sacerdotali benedictione. Dicit enim in suo opere dogmatico-liturgico, cap. 281 : « Benedicere nuptiis ad pontificem pertinet; hoc tamen et presbyteris conceditur, quia hæc benedictio est ritus nudus, ad gratiæ communicationem non pertinens [2]. » Unde concludendum est essentiam sacramenti sitam esse, juxta Simeonem, in ipso contractu matrimoniali [3]. Aperte enim docet hic theologus matrimonium esse verum et proprie dictum sacramentum, gratiæ collativum [4]; immo esse sacramentum vivorum, statum gratiæ requirens [5].

In suo brevi *Enchiridio de sacramentis*, a Græcis posterioribus non semel laudato, Gabriel Severus docet consensum legitimum sponsorum constituere matrimonium; materiam hujus sacramenti esse, « secundum optimos doctores, viri et mulieris mutuam promissionem; formam vero professionem verborum: *Visne me?* — *Volo te*, coram præsentibus testibus

1, In Allocutione « Acerbissimum vobiscum » (27 sept. 1852), Pius papa IX jam dixerat : « Inter fideles matrimonium dari non posse quin uno eodemque tempore sit sacramentum..., et a conjugali fœdere sacramentum separari nunquam posse. »

2. « Δίδοται δὲ ὅμως τοῦτο καὶ ἱερεῦσι ποιεῖν, ὅτι τελετὴ μόνη, καὶ οὐ τῆς μεταδοτικῆς χάριτος. » *P. G.*, t. CLV, col. 509 D.

3. De ipso contractu matrimoniali ab utroque conjuge subscripto ante ritum sponsalium, Simeon supra, col. 505, locutus est.

4. Cap. 279, col. 509 B : Conjuges candelas accensas gerunt : « τὴν ἐγγινομένην ἐν αὐτοῖς θείαν χάριν σημαίνοντες. »

5. Qui matrimonio junguntur sacra communione digni esse debent. Cap. 282, col. 512.

factam [1]. » Cæterum requirit præsentiam sacerdotis et ritum religiosum, quia matrimonia clandestina prohibita sunt.

Laurentius Zizanii in suo *Magno catechismo*, anno 1627, postquam a Moscovitis correctus est, typis mandato, benedictionem ritualem ut quid adventicium habet ad essentiam sacramenti, expressisque verbis declarat conjuges sibi invicem sacramentum administrare per consensum reciprocum : Uterque se tradit, et alterum acceptat. In hoc contractu, uterque venditor, uterque res, uterque emptor [2].

Petrus Moghila item doctrinam catholicam aperte docet. In suo Euchologio, in procœmio ad ritus sponsalium et coronationis, dicit materiam hujus sacramenti esse virum et mulierem libere, legitime et pure matrimonium contrahentes; formam vero, sive complementum ejusdem, esse verba conjugum, quibus consensum suum internum coram sacerdote manifestant [3]. In ipso textu ritus coronationis, postquam sponsi consensum suum declararunt et antequam a sacerdote coronentur, occurrit quædam rubrica his concepta verbis : « Postquam uterque verba sponsionis pronuntiavit, matrimonium ratum est; nihil aliud indiget, jamque nullum obstat quin coronetur [4]. »

1. « " Ὑλη, κατὰ τοὺς ἀρίστους τῶν διδασκάλων, ἐστὶν ἡ τοῦ ἀνδρὸς καὶ τῆς γυναικὸς πρὸς ἀλλήλους κατάνευσις· εἶδος, ἡ ὁμολογία τῶν ῥημάτων ἐπὶ τῶν ἐκεῖ καθευρεθέντων, ἤγουν. θέλεις με ; θέλω σε. » *Op. cit.*, p. 135-136.

2. *Magnus cathecismus*, Mosquæ, 1627, fol. 391. Cf. Th. Ilinskii, *Magnus catechismus Laurenti Zizanii*, in *Trudy Academiæ Kioviensis*, 1898, t. III, p. 285-286.

3. *Trebnik*, Kioviæ, 1646, p. τηθ'-τξγ'.

4. *Ibid.*, p. νγι-νξι'. In ipsa *Confessione orthodoxa*, p. I, q. CXV, quæ, ut notum est, auctorem habuit Petrum Moghilam, correctorem vero Meletium Syrigum, essentia sacramenti obscurius describitur; quæ tamen ibi dicuntur, sententiam catholicam insinuant : « Conjugium primo quidem fit per mutuum viri et feminæ consensum, nullo interveniente legitimo impedimento. Hæc consensio non apparet veri matrimonii stipulatio, nisi conjuges promissionem suam mutua testificatione coram sacerdote affirment... Deinde hæc consensio promissioque eorum confirmatur, βεβαιώνεται, et benedicitur, εὐλόγηται, a sacerdote. » Kimmel, t. I, p. 193-194. Meletius Syrigus, in sua Ἀντιρρήσει, *contra Cyrillum*, fol. 88*b*-89*a*, quamvis nihil certi dicat de essentia sacramenti, satis clare innuit sacerdotem esse ministrum, ritum autem ecclesiasticum esse de ratione sacramenti. *Confessio* Dosithei præsentem quæstionem non tangit.

Quæ Petrus Moghila de essentia sacramenti matrimonii in suo *Rituali* scripsit, *Kormtchaiæ Knighæ Russorum* tum a patriarcha Josepho (cap. LI), anno 1650, tum a Nicone (cap. L) anno 1653 inserta sunt, et in diversis editionibus hujus libri authentici Ecclesiæ russicæ servata sunt [1]; quod sane non parvi momenti est, cum theologi russi hodierni fere omnes doctrinæ ibi expressæ contradicant, ut mox dicemus.

Hæc eadem sana doctrina a theologis russis sæculi XVIII et sæculi XIX incipientis communiter retinetur, excepto, ut videtur, Platone Levkhin in sua *Abbreviata christiana theologia* [2]. Theophylactus Gorskii in suo compendio theologiæ dogmaticæ matrimonium sic definit : « Conjugium, præter civilem et mutuum contractum, est etiam signum externum religionis, cui est adnexa gratiæ promissio, idque ex divina institutione... Non est solum signum magni mysterii, hoc est, unionis Christi et Ecclesiæ, sed etiam medium per quod confertur gratia sanctificans. Ritus autem sacramenti hujus absolvitur primo mutua sponsalium suorum testificatione, quam personæ contrahentes coram sacerdote adfirment necesse est, junctisque dextris fidem dare », cætera ut in *Confessione orthodoxa* [3]. Sylvester Lebedinskii dicit materiam conjugii remotam esse ipsos conjuges; proximam, consensum eorum mutuum seu contractum « offerentem et tradentem mutuo corpora in potestatem alterius »; formæ vero locum obtinere « *preces*, quæ pro ineuntibus matrimonium funduntur, et *verba*, quibus mutua sponsi et sponsæ obligatio ad fidem et officia conjugalia exprimitur, dum illi

1. Prima editio *Kormtchaiæ Knighæ* a patriarcha Josepho, anno 1650, Mosquæ publicata est; cujus rarissima exemplaria adhuc exstant. Hanc editionem ad verbum typis rursus expressit ephemeris theologica Starovierorum *Tserkov*, anno 1904. *Instructio ad parochos de matrimonio*, auctore Petro Moghila, cujus tamen nomen tacetur, occurrit in hac recenti editione in p. 521, cap. LI. Editio niconiana anni 1653, quæ a josephiana paucis differt, eamdem instructionem refert ad cap. L.

2. In hoc opere, Plato sacramentum matrimonii his verbis definit : « Est ritus sacer, in quo sacerdos duos conjungit in matrimoniale consortium, et Deum orat, ut eis benedicet. »

3. *Orthodoxæ orientalis Ecclesiæ dogmata*, ed. cit., p. 256-257.

ad quæsita presbyteri respondent [1]. » Quanquam autem Sylvester pro parte formæ habet preces ritus ecclesiastici, asseritque *causam ministerialem* matrimonii esse sacerdotes seu presbyteros [2], attamen hæc benedictio sacerdotalis illi est institutum mere ecclesiasticum, quod inter *adjuncta* matrimonii collocat [3]. Definit enim ipsum matrimonium « sacramentum divinitus institutum, in quo unius maris et unius feminæ conjunctio indissolubilis ex mutuo eoque liberrimo utriusque consensu orta, nullo interveniente legitimo impedimento, *per preces et solemnem benedictionem ritu consueto a sacerdote collatam, rata et fixa redditur* [4]. »

Eidem doctrinæ suffragatur praxis antiqua Ecclesiæ græcæ et russicæ non benedicendi secundas et tertias nuptias [5]; quæ tamen pro vero sacramento ab Ecclesia habebantur. Item, antequam Leo VI Sapiens suam octogesimam nonam novellam circa annum 993 ederet, qua benedictio Ecclesiæ ad validitatem contractus civilis pro *personis liberis* exigebatur, fideles non pauci matrimonium contrahebant, quin ritum *coronationis* ab Ecclesia peterent; Ecclesia vero, quamvis ritum religiosum commendaret, illum tamen tanquam conditionem validitatis, ut videtur, non imponebat, nedum rationem sacramenti in eo poneret [6].

Præterea, conjugia servorum et famulorum apud Byzantinos non coronabantur antequam Alexius I Comnenus speciali novella anno 1092 promulgata ritum coronationis etiam pro servis obligatorium redderet [7]. Apud Russos vero, per plura sæcula, benedictio sacerdotalis pro solis matri-

1. *Compendium theologiæ classicum*, p. 533-534.
2. *Ibid.*, p. 533.
3. « Adjuncta matrimonii sunt : necessitas, dignitas, utilitas, consecratio sacerdotalis, et tota nuptiarum solemnitas. » *Ibid.*, p. 535.
4. *Ibid.*, p. 532.
5. Cf. can. 2 sancti Nicephori patriarchæ; *Stoglav*, cap. XXI et XXIII. Prohibitio non coronandi bigamos et trigamos nostris diebus ubique fere obsolevit.
6. Cf. Zhishman, *op. cit.*, p. 158-159. Cæterum historice satis constat *euchologiam* matrimonii originem non ducere a Christo vel ab apostolis. Zhishman, *ibid.*, p. 156-158.
7. *Ibid.*, p. 159. Theodulus, Thessalonicæ archiepiscopus, ab Alexio petierat num nuptiis servorum benedictio sacerdotalis impertienda esset.

moniis *boiarorum* et magnatum in usu habebatur, a plebe vero negligebatur [1]. Neque conjuges infideles, quando ad religionem christianam convertebantur, ad ritum coronationis suscipiendum unquam obstringebantur; quod sane vix omissum fuisset, si ritus hujusmodi ad essentiam sacramenti pertinere visus fuisset.

Non obstantibus tot auctoritatibus praxique tam diuturna, alia sententia doctrinæ mox expositæ contraria, inde a sæculo XIX, inter theologos græco-russos communissima evasit, secundum quam ritus ecclesiasticus coronationis vel ipsum sacramentum matrimonii constituit, vel saltem de ejus essentia est, ita ut : 1° sine benedictione sacerdotali verum sacramentum dari non possit; 2° verus minister hujus sacramenti sit ipse presbyter vel episcopus benedicens.

Inter antiquos theologos, pauci sunt qui huic sententiæ expressis verbis adhæserint; multi enim, cum de matrimonio agunt, quæstionem propositam non tractant, vel de essentia sacramenti omnino obscure et indeterminate loquuntur [2]. Jobus monachus, in sua Θεωρία de sacramentis, ministrum matrimonii, sicut et cæterorum sacramentorum, sacerdotem esse docet, satisque clare innuit benedictionem sacerdotalem et preces rituales gratiam divinam conferre [3]. Sæculo XVII, Nicolaus Bulgaris, in suo *Catechismo* dogmatico-liturgico, materiam sacramenti reponit in ipsis conjugibus eorumque consensu mutuo, formam vero in oratione et benedictione sacerdotis, ad normam euchologii [4]. Sæculo XVIII, Plato

1. Cf. *Responsa canonica metropolitæ Joannis II ad Jacobum monachum.* « Documenta de matrimoniis sine benedictione sacerdotali contractis, ait Pavlov, *Cursus juris canonici*, p. 366 sq., in monumentis juris nostri ecclesiastici occurrunt a fine sæculi XI usque ad finem sæculi XVII. »

2. Ita, v. g., Jeremias II in *Responsis ad Tubingenses;* Metrophanes Critopulus in *Confessione fidei*, c. 12; Dositheus, in *Confessione fidei*, c. 15.

3. « Τὸ μὲν ἐνεργοῦν πάντα τὰ μυστήρια πρόσωπον ἓν ἐπὶ πάντων ἐστὶ καὶ τὸ αὐτό, τὸ τοῦ ἱερέως. » Cod. *Paris. græc. 64*, fol. 250 *a*. Cf. Cod. *Ottob. græc. 418*, fol. 198 *a*.

4. « Ἡ ὕλη τοῦ γάμου εἶναι τὸ ἀνδρόγυνον μὲ τὸν σκοπὸν, ὁποῦ ἔχουν ἀποφασιστικῶς καὶ οἱ δύο νὰ συζευχθοῦν. — Τὸ μυστήριον τοῦ γάμου τελειώνεται καὶ εἰδοποιεῖται διὰ τῆς εὐχῆς καὶ εὐλογίας τοῦ ἱερέως, κατὰ τὴν διάταξιν τοῦ εὐχολογίου. » Κατήχησις ἱερά, Venetiis, 1681, p. 11, 14.

Levkhin, ut jam diximus [1], eidem opinioni suffragari videtur. Eam expresse tenet Antonius Moschopulus [2]. Inde vero a sæculo XIX, compendiorum theologiæ dogmaticæ vel catechismorum auctores fere omnes hanc tuentur, etsi inter se haud semper conveniant in determinanda materia vel forma. Hæc doctrina in ipsa definitione sacramenti matrimonii, quam tradunt, jam patefit. Ita Philaretus in suo catechismo longiori hoc sacramentum his verbis describit : « Matrimonium est sacramentum, in quo, sponso et sponsa coram sacerdote et Ecclesia fidelitatem conjugalem libere sibi invicem promittentibus, eorum unio matrimonialis benedicitur ad similitudinem unionis spiritualis Christi et Ecclesiæ, et ipsis impetratur gratia castæ concordiæ ad benedictam generationem et christianam educationem prolis [3]. » Macarius adhuc clariorem habet definitionem. « Matrimonium est ritus sacer in quo conjugibus coram Ecclesia mutuam fidelitatem profitentibus per benedictionem ministri Ecclesiæ desursum confertur divina gratia, quæ eorum unionem matrimonialem sanctificat, eique hanc dignitatem tribuit, ut unionem spiritualem Christi et Ecclesiæ repræsentet; quæ demum cum eis cooperatur, ut omnes matrimonii fines pie consequantur [4]. » Potestas administrandi hoc sacramentum, sicut et alia sacramenta, inde a principio christianismi, ad pastores Ecclesiæ, episcopos videlicet et presbyteros, pertinet [5]. Pars visibilis sacramenti constat tum consensu mutuo conjugum coram Ecclesiæ ministro manifestato, tum solemni Ecclesiæ benedictione, cujus ritus præcipuus est *coronatio :* « Coronat sibi servus Dei N... ancillam Dei N..., in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. — Coronat sibi ancilla Dei N... servum Dei N..., in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti [6], cum oratione subse-

1. Cf. supra, p. 450, nota 2.
2. *Op. cit.*, p. 492-493.
3. *Catechismus major*, ed. Mosq., 1916, p. 62.
4. *Theologia dogmatica orthodoxa*, t. II, 4ª ed., 1883, p. 478-479.
5. *Ibid.*, p. 485.
6. Sic reddi posse putamus verba euchologii græci : « Στέφεται ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ τὴν δούλην τοῦ Θεοῦ εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος. — Στέφεται ἡ δούλη τοῦ Θεοῦ τὸν δοῦλον τοῦ Θεοῦ. » Goar aliter vertit : « Coronatur servus Dei propter ancillam Dei. — Coronatur ancilla Dei propter servum Dei. » *Op. cit.*, p. 317.

quente : *Domine, Deus noster* [1], etc., et trina sacerdotis benedictione. »

Ex his patet consensum mutuum sponsorum, seu ipsum contractum matrimonialem exterius manifestatum, ex parte constituere, juxta Macarium, ipsum signum sacramentale et materiæ vices gerere. Quidam tamen theologi a notione sacramenti ut sic contractum seu consensum omnino excludunt, quanquam hunc requirunt ut conditionem prævium absolute necessariam, docentque benedictionem nuptialem solam signum sensibile seu sacramentum ex toto constituere. Ita Malinovskii, qui doctrinam catholicam de inseparabilitate contractus a sacramento ex professo impugnat. Secundum hunc auctorem, « Ecclesia orthodoxa bene distinguit sacramentum unionis maritalis in sensu sancti Pauli ab ipso sacramento Novæ Legis, quod constat *non quidem contractu matrimoniali, sed ritu sacro a Domino instituto* et a divinorum sacramentorum ministro peracto ad unionem matrimonialem sanctificandam [2]. » Ex iis enim quæ Christus egit et dixit, colligere possumus eum talem ritum instituisse. Hic ritus, gratiæ divinæ collativus, est ipsa cærimonia coronationis, prout in euchologio byzantino occurrit. Consensus mutuus conjugum, si solus remaneat, gratiam divinam eis conciliare non valet [3]. « Matrimonium Latinorum, inquit ille, a matrimonio civili non differt. Si contractus unum quid exstat cum sacramento, nonne matrimonia Judæorum et a fortiori matrimonia Protestantium, sacramenta erunt veri nominis? Conjuges non possunt esse ministri sacramenti. Sacerdotes Ecclesiæ soli gratiam divinam per sacramentum matrimonii sponsis communicare possunt [4]. »

Antonius Amphiteatrov ad conceptionem Macarii accedit, sed cum ritus sponsalium apud Russos, inde ab anno 1775, ritum ipsum coronationis immediate præcedat, habeaturque ut *initium* sacramenti, theologus ille quasi duplicem formam sacramenti detegit, quarum una constat verbis a sacerdote prolatis in ritu sponsalium : « Subarrhat sibi servus Dei N...

1. *Theologia dogmatica orthodoxa*, t. II, p. 483.
2. *Op. cit.*, t. II, p. 434.
3. *Ibid.*, p. 434-435, 439-440.
4. *Ibid.*, p. 443.

ancillam Dei N... in nomine Patris[1] », etc, altera vero, formula in ritu coronationis usitata : « Coronat sibi servus Dei[2] », etc.

Inter Græcos, Mesoloras cum Antonio convenit. In Græcia enim, ab anno 1834, ritus sponsalium cum ritu coronationis conjungitur, sicut et in Russia. Unde ad *signa sensibilia* sacramenti pertinent non solum consensus conjugum et variæ preces in utroque ritu recitatæ, sed etiam annuli et coronæ[3]. Gratia divina per hujusmodi signa sensibilia communicatur[4]. Secundum Dyovuniotam, sententia catholica de essentia sacramenti est absurdissima, εἶνε ἀτοπωτάτη : Benedictio sacerdotalis ad perfectionem sacramenti absolute necessaria est. Locum formæ obtinet oratio a sacerdote dicta post coronationem sponsorum[5]. Plerique catechismi inter Græcos vulgati docent ministrum hujus sacramenti esse sacerdotem, signum vero sensibile constare tum consensu conjugum tum precibus Ecclesiæ[6].

1. « Ἀρραβωνίζεται ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ, ὁ δεῖνα, τὴν δούλην τοῦ Θεοῦ τήνδε. — Ἀρραβωνίζεται ἡ δούλη τοῦ Θεοῦ, ἡ δεῖνα, τὸν δοῦλον τοῦ Θεοῦ τόνδε, εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς, κτλ. » Goar., *op. cit.*, p. 311 : « Subarrhatur servus Dei N... propter ancillam Dei N... — Subarrhatur ancilla Dei N... propter servum Dei N..., in nomine Patris », etc.

2. *Theologia Ecclesiæ orthodoxæ*, ed. græc., p. 361.

3. Συμβολική, t. II², p. 347-348.

4. « Δι' ὧν μεταδίδοται ἡ θεία χάρις. » *Ibid.*, p. 348. Cf. p. 350.

5. Τὰ μυστήρια τῆς ἀνατ. ὀρθ. Ἐκκλησίας, p. 172, 177 : « Πρὸς τέλεσιν τοῦ μυστηρίου εἶνε ἀπολύτως ἀναγκαία ἡ εὐλογία τοῦ ἱερέως. » Idem sentit Andrutsus, Δογματική, p. 396-400.

6. Constantinus Baphides, Ὀρθόδοξος χριστιανικὴ κατήχησις, ed. Const., 1886, p. 106, totam rationem sacramenti in benedictione sacerdotali ponere videtur : « Μυστήριον τοῦ γάμου λέγεται ἡ ἱερὰ ἐκείνη τελετὴ ἐν ᾗ εὐλογεῖται παρὰ τοῦ ἱερέως ὁ τοῦ γάμου δεσμὸς τῶν εἰς κοινωνίαν συνερχομένων ἀνδρὸς καὶ γυναικός, καὶ ζητεῖται αὐτοῖς παρὰ τοῦ Θεοῦ τὸ χάρισμα τῆς ἐν εἰρήνῃ καὶ ὁμονοίᾳ συμβιώσεως. » Theologi serbi et rumeni doctrinam communem Russorum et Græcorum retinent. Firmilian, *Theologia dogmatica*, t. II, p. 127-128, cum Macario omnino concordat. Michalcescu, *Manual de teologie dogmatica*, 2ª ed., 1920, p. 249-250, materiam sacramenti ponit consensum conjugum coram sacerdote manifestatum, formam vero detegit in verbis Euchologii : « Coronatur servus Dei », etc. Olariu, *Manual de theologia dogmatica ortodoxa*, Caransebes, 1917, p. 312-313, cum Michalcescu consentit, sed formæ addit orationem : *Domine, Deus noster*. Hanc orationem tantum pro forma indicat Economul St-Calinescu, *Lectiuni de teologiea dogmatica*, Bucarestii, 1896, p. 244.

Serbus vero canonista Milasch doctrinæ catholicæ aperte favet [1].

Nunc vero si quæras quare supra dicta doctrina inter Græco-Russos recentiori tempore tam late diffusa sit et obtinuerit, dicendum hoc multiplici ex causa accidisse. Primum quidem, cum a tempore Leonis Sapientis ritus coronationis tanquam conditio sine qua non validitatis contractus præscriptus fuerit, ejusque absentia verum exstiterit impedimentum dirimens, quod ad validitatem actus necessario requirebatur [2], hoc ad ipsius essentiam pertinere multis non ægre visum est, nostro tempore præsertim, quo tum Russi tum Græci a distinctionibus scholasticis maxime abhorrent.

Præterea comparatio matrimonii cum aliis sacramentis ad hanc explicationem sponte ducit. In omnibus enim aliis sacramentis invenitur aliquis ritus sacer divinitus institutus ad essentiam sacramenti pertinens, cujus minister est sacerdos, vel saltem persona ab ipso suscipiente diversa. Græco-Russi autem in suo euchologio duos ritus speciales pro matrimonio habent, unum pro sponsalibus, alterum pro

1. Dicit enim in suo opere, *Jus ecclesiasticum*, editio græca, p. 839 : « Sponsalia sunt initium matrimonii, quia in illis jam reperitur ratio *constituens essentiam matrimonii*, scilicet mutuus consensus viri et mulieris ad vitam communem. » Item, p. 832 : « Matrimonium ut ratum habetur ex quo consensus utriusque conjugis exterius manifestatus est. »

2. Ritum coronationis a sacerdote peractum a Byzantinis, inde a sæculo x, ut conditionem sine qua non validitatis *primarum* nuptiarum, habitum fuisse omnino certum est, quidquid in contrarium dixerint aliqui historici. Cf. *Responsum canonicum XIX Lucæ Chrysovergis*, patriarchæ Constantinopolis (1156-1169), ed. Almazov, Odessæ, 1903, p. 46-47 : « Πᾶν ἐπίμιγμα ἄνευ ἱερολογίας πορνεία ἐστί, κἄν τε δοῦλοι ὦσιν, κἄν τε ἐλεύθεροι. » — *Decretum synodale Michaelis Anchialensis* (patriarchæ Constant. 1170-1177) anni 1171 : « Οὐδὲ γὰρ ἡ συνάφεια, ἀλλ'ἡ τῆς εὐχῆς τελετὴ ποιεῖ τὴν μνηστείαν εἰς γάμον λογίζεσθαι. » Apud Leunclavium, *Jus græco-roman.*, l. III, t. I, p. 230-231. — Nicetas Mitylenensis (vel potius Maronensis), archiepiscopus Thessalon., *Responsum can.* (anno 1133), *ibid.*, l. VI, p. 410-411 : « Τὴν νεαρὰν 'Αλεξίου (de matrimonio servorum) καὶ 'Εκκλησίαι ἐδέξαντο, καὶ λοιπόν, ἵνα μὴ πορνεύωσιν οἱ δοῦλοι, ἐδέχθη ἱερολογεῖσθαι τὰ δουλικὰ πρόσωπα. » — Balsamon, *In can. 26 S. Basilii*, necnon *in canon. 38 ejusdem; P. G.*, t. CXXXVIII, col. 673 CD, 705 CD. — Joannes, Kitri episcopus, *Responsum ad Const. Cabasilam*, apud Leunclavium, *op .cit.*, l. V, p. 334-335; etc., etc.

ipso conjugio, nomine *coronationis* (στεφάνωμα, στεφάνωσις) designato, qui hodie ubique fere uno eodemque tempore super sponsos a sacerdote recitantur. Quid mirum, si ritibus hujusmodi eamdem vim tribuerint quam aliis ἀκολουθίαις sacramentalibus, et sacerdotem putaverint matrimonii ministrum, sicut est cæterorum sacramentorum. Notum est theologos occidentales non paucos, ut M. Canum, Drouin, Tournely, in eamdem sententiam incidisse, quamvis ritus matrimonii apud Latinos admodum brevis sit et jejunus. In matrimonio enim hoc peculiare invenitur, quod ad ipsum contractum Christus nihil addidit, et quod minister a subjecto non differt. Hæc autem menti non statim occurrunt, sed intenta meditatione theologica opus est, ut hujus sacramenti specialis natura detegatur.

Tertia demum ratio, quæ est polemicæ indolis, ad hanc doctrinam amplectendam theologos russos speciatim impulit. Notum est enim quosdam inter *rascolnikos* sacerdotio privari; qui ideo *bezpopovtsy* audiunt. Ut eos confutarent et omni ex parte exagitarent, theologi niconiani sententiæ libenter adhæserunt, quæ argumentum facile contra schismaticos suppeditabat. Si enim solus sacerdos est verus minister sacramenti matrimonii, *bezpopovtsos* eo carere omnino necesse est. Argumentum eo efficacius erat, quo sectarii ipsi eidem doctrinæ suffragabantur. Unde et matrimonium absolute rejecerunt, et cælibatum omnibus indixerunt; qui *bezbratchniki* vocati sunt. Inde vero a sæculo XVIII mediante, quidam *bezpopovtsy* ex lectione antiquorum librorum detegerunt benedictionem sacerdotis ad essentiam sacramenti matrimonii non requiri; cujus loco benedictionem parentum vel avorum inducere cœperunt. *Novogeny*, id est *nove maritati* — hac enim appellatione nuncupati sunt — docent sicut et theologi catholici, essentiam matrimonii non consistere in ritu ecclesiastico coronationis, sed in manifestatione mutui consensus et amoris; quod ut probent, ad *Magnum catechismum* Laurentii Zizanii, ad *Kormtchaiam Knigham*, ad usum Alexio I Comneno vel Leone VI antiquiorem, etc., provocant [1]. His auctoritatibus Niconiani

1. Cf. K. Plotnikov, *Manuale pro refutatione russici schismatis*, 4ª ed., Petropoli, 1897, p. 233-237. Contra *Novogenos* dirigitur disser-

argumenta infirmissima opponunt. Cæterum non solum *bezpopovtsorum*, verum etiam *popovtsorum* matrimonia ut impuros concubinatus habent iidem theologi; sed ob diversam rationem; quia nempe presbyteris et episcopis depositis omnem denegant potestatem sacramenta Ecclesiæ valide conferendi [1].

Præter sententias jam expositas de sacramenti matrimonii natura, aliam omnino miram invenimus apud theologos scholæ Nicolai Bulgaris, Athanasium Pariensem scilicet et Theophilum Campaniæ episcopum. Prior duo requirit, ut matrimonium christianorum sit verum sacramentum, fidem orthodoxam scilicet et virginitatem : Cum enim sponsus Christum adumbret, sponsam vero Ecclesiam repræsentet, si antea fornicatione maculati fuerint, non solum sacramentum non fiet, sed utrum benedictionem revera percepturi sint, incertum remanet [2]. Alter ex eadem

tatio C. K. Smirnov, *De benedictione ecclesiastica et coronatione matrimonii*, in *Supplementis ad opera SS. Patrum*, t. XVII (1868), p. 204-282.

1. Usque ad annum 1874, matrimonia omnium rascolnikorum indiscriminatim ut invalida et illegitima habebantur, non solum ab Ecclesia, sed etiam ab ipso Gubernio russico. Lex 19 aprilis anni 1874, rascolnikis concessit matrimonium mere civile, quod publicæ securitatis ministri in acta specialia referebant. Anno vero 1905, Starovieris et omnibus christianæ religionis sectariis permissum est propria matrimonia in actis consignare, dummodo præscripta legalia circa matrimonium observarent. Ecclesia vero omnium rascolnikorum matrimonia semper rejecit. Quidam canonistæ russi ante recens bellum ad agnoscendam validitatem sacramentalem matrimoniorum a presbyteris *popovtsorum* coronatorum secundum ritus antiquos propensi erant, ita ut popovtsus ad « Orthodoxiam » conversus, suum matrimonium in schismate contractum et coronatum benedicendum et coronandum secundum ritum Ecclesiæ synodalis curare non debuerit. Ita, v. g., N. Zaozerskii in sua dissertatione : *Quid sit matrimonium rascolnikum?* in *Bogoslovskii Viestnik*, 1895, t. I, p. 261-278, 404-421; 1896, t. I, p. 125-137, 336-349. Alii vero, ut J. C. Berdnikov, hanc *œconomiam* erga *popovtsos* omnino damnabant. In praxi, Ecclesia russica omne matrimonium rascolnikum merum concubinatum ducebat, ita ut rascolniko ad « Orthodoxiam » converso liceret sponsam in schismate ductam deserere, et novum matrimonium, quod pro primo computabatur, in Orthodoxia contrahere.

2. « Ἐὰν δὲ ῥυπαροὶ καὶ μεμολυσμένοι ἐκ προηγησαμένης ὥσι πορνείας, οὐ μόνον μυστήριον οὐ γενήσεται, ἀλλὰ καὶ εὐλογίαν ὅλως, εἰ λήψονται, ἄδηλον. » Ἐπιτομὴ τῶν θείων δογμάτων, p. 380.

opinione pronuntiat secundas nuptias sacramentum non esse [1].

ARTICULUS IV

De matrimonii indissolubilitate. De causis divortii apud Græco-Russos.

Indissolubilitatem esse unam e matrimonii christiani proprietatibus communissime docent Græco-Russi, tum in compendiis theologiæ dogmaticæ, tum in catechismis. Pauci hanc indissolubilitatem, Catholicorum instar, absolutam esse dicunt, ita ut vinculum conjugale nulla ex causa disrumpi possit [2]. Plerique unam solam divortii causam indicant, adulterium scilicet alterutrius conjugum; quam ab ipso Christo probatam fuisse putant ex Matth., v, 32 et xix, 9. Ita, v. g., Sylvester Lebedinskii dicit : « Causa justi divortii et proprie dicti, id est quoad vinculum, et omni ex parte dissolutionem matrimonii inducens, est *unica ac sola fornicatio* sive adulterium (Matth., v, 32 ; xix, 9; I Corinth., vi, 16) [3]. » Macarius Bulgakov item hæc habet : « Canones conciliorum et sanctorum Patrum hanc solam divortii causam (adulterium scilicet) ponunt; juxta quos, etiam in hoc casu, unio conjugalis suam vim conservare potest et indissolubilis permanere, si conjuges pacem inter se instaurent [4]. » Alii autem sincerius fatentur divortium ab Ecclesia orientali permitti *ob causas graves* [5]. Ut praxim Catholicorum de separatione conjugum quoad mensam et torum impugnent, quidam affirmant hujusmodi consuetudinem antiquitus

1. « Ὁ δεύτερος γάμος οὐκ ἔστι μυστήριον. » Ταμεῖον ὀρθοδοξίας, ed. Ath., 1908, p. 58.

2. Ita Meletius Syrigus, *op. cit.*, p. 88 : « Ὁ τοιοῦτος γάμος ἐμποδίζεται νὰ χωρισθῇ κατὰ πᾶσαν αἰτίαν. »

3. *Op. cit.*, p. 537.

4. *Op. cit.*, t. II, p. 489-490. Vide etiam Metrophanem Critopulum, *Confessio fidei*, c. XII ; Kimmel, t. II, p. 149; Antonium, *op. cit.*, p. 362; Dyovuniotam, *op. cit.*, p. 179. Andrutsus, in *Dogmatica*, p. 400, solum adulterium memorat; in *Symbolica* vero, p. 333, matrimonium solvi ob alias causas agnoscit.

5. Malinovskii, *op. cit.*, t. II, p. 443 : « Divortium permittitur ob graves causas ad vitandum majus malum. » Mesoloras, *op. cit.*, p. 351; Koidakis, Κατήχησις, p. 182; Gegle, Κατήχησις, p. 83 : « Διάλυσις τοῦ δεσμοῦ τοῦ γάμου ἐπιτρέπεται, ὅταν ὑφίσταται ἀποχρῶν λόγος. »

fuisse prorsus ignotam [1]; quæ tamen in quibusdam Ecclesiis autocephalis hodie usu invaluit [2].

Hæc quidem dogmatistæ; si illos vero solos consulas, nonnisi imperfectissimam colliges de quotidiana praxi Ecclesiæ græco-russicæ in hac materia cognitionem. Ut veritas tibi innotescat, adeundi tibi sunt canonistæ; quos si legeris, deprehendes indissolubilitatem matrimonii apud dissidentes esse meram et vacuam denominationem, cum contractus matrimonialis non solum propter adulterium, sed etiam ob multiplices alias causas dissolvatur. Et hoc non recentis est innovationis. Inde enim a sæculo IX, causæ divortii a Justiniano I imperatore in novella CXVII consignatæ *Nomocanoni* Ecclesiæ byzantinæ insertæ sunt et in praxim deductæ; immo quædam hujusmodi legislationis præscriptiones in detrimentum vinculi matrimonialis mox immutatæ sunt, atque novæ dissolutionis causæ ab imperatoribus, non reclamante sed consentiente Ecclesia, introductæ. Quidam canonistæ laudes Justiniano texunt ob hanc de causis divortii novellam [3], et libenter fatentur Ecclesiam orientalem eidem tribuisse vim legis : « Hæc novella, inquit Milasch, sæculo x Nomocanoni XIV titulorum inserta est. Ita præscriptiones in ea contentæ publicam auctoritatem et vim regulæ acceperunt in Ecclesia orientali pro omnibus causis ad divortium spectantibus. Aliæ autem dissolutionis causæ, quæ postea tum in jus byzantinum tum in praxim ecclesiasticam introductæ sunt, ab hujus novellæ laxiori interpretatione et ad casus particulares accommodatione dimanant [4]. »

Causæ autem divortii *proprie dicti* [5] in novella justiniana

1. Andrutsus, Δογματική, p. 400; Dyovuniotis, *op. cit.*, p. 181 in nota.
2. Separatio ad tempus quoad mensam et torum in usu est apud Serbos et Græcos, item in patriarchatu Constantinopolitano. Cf. Theotocam, Νομολογία τοῦ οἰκουμενικοῦ πατριαρχείου, Constantinopoli, 1897, p. 284.
3. Sic Demetrius Chomatenus, c. XXII, *De divortio*, apud Pitra, *Analecta sacra et classica spicilegio Solesmensi parata*, Parisiis, 1891, t. VII, p. 88-89 : « Ὑφελὼν καθάπερ ἀνδριάντα λαμπρόν, λαμπρῶς τὴν κατ'αὐτὰς (= divortii causas) οἰκονομίαν ἐστηλογράφησεν. »
4. *Op. cit.*, ed. græca, p. 896.
5. Inter causas divortii non recensemus impotentiam naturalem antecedentem necnon ingressum in religionem *utriusque* conjugis, de

notatæ novem sunt : 1° Conjurationem contra imperatorem non revelare : si mulier marito suo non indicavit hujusmodi conjurationem sibi bene notam, maritus divortium postulare jure potest; idem mulieri conceditur, si vir conspirationis particeps aut conscius fuerit, nec eam revelaverit; 2° Adulterium mulieris juridice probatum. Vir adulter castigatur tantum; 3° Si vir castitati uxoris insidiatus fuerit, ut eam cum altero mœchari faciat, uxor dissolutionem matrimonii quærere potest; 4° si alteruter vitæ alterius insidias molitus fuerit, vel si insidias a tertio paratas alteri, quas noverit, non indicaverit; 5° si mulier, inscio aut invito marito, cum extraneis epulata fuerit aut se laverit; 6° si maritus uxorem adulterii falso accusaverit; 7° Si uxor, inscio vel invito viro, extra ædes manserit (non tamen apud suos parentes), vel theatra, spectacula hippodromi, etc., frequentaverit; 8° Si maritus sive in eadem domo, sive in eadem civitate, cum altera publice cohabitet, bisque admonitus a parentibus uxoris vel ab aliis, non resipiscat; 9° Si alteruter conjux per certum temporis spatium in captivitate hostium manserit [1].

Hujusmodi causæ omnes per totam epocham byzantinam, id est a sæculo IX finiente usque ad sæculum XV, in Ecclesia byzantina receptæ fuerunt; quibus aliæ, decursu temporis, successive additæ sunt, scilicet : 1° Defloratio sponsæ ante matrimonium, a viro, statim postquam rem exploraverit, manifestata; 2° Sodomia viri [2]; 3° Odium uxoris erga virum ob injurias et indignitates acceptas [3]; odium viri in uxorem propter defectus physicos dolose celatos ante matrimo-

quibus Justinianus mentionem facit, quia in primo casu matrimonium revera nunquam exstitit; in secundo vero, vinculum conjugale non rumpitur.

1. In novella XXII, Justinianus pro temporis spatio posuerat quinquennium. In novella CXVII, simpliciter dicit : ἐπί τινα χρόνον. *Novellæ Justiniani*, ed. Zachariæ, t. II, p. 216 sq. In *Nomocanone*, tit. XIII, c. IV, *P. G.*, t. CIV, col. 909, habetur : « si maritus ab hostibus captus fuerit, ac an vivat per quinquennium ignoretur. »

2. Causa a Demetrio Chomateno κατ' οἰκονομίαν recepta, etsi in jure non posita.

3. Demetrius Chomatenus; Isaias, patriarcha Constantinopoleos in decreto anni 1325.

nium [1]; inimicitia mutua implacabilis ex suspicione infidelitatis vel aliunde concepta, cohabitationem elliciens intolerabilem et periculosam [2]; 4° Abortus ab uxore in odium mariti procuratus [3]; 5° Absentia alterutrius conjugum per quinquennium perdurans sine ullo nuntio ex parte absentis [4]; 6° Ingressus unius conjugum in religionem [5]; 7° Amentia viri per triennium, et amentia uxoris per quinquennium [6]; 8° Disparitas cultus vel mixtæ religionis post contractum matrimonium superveniens [7]; 9° Cognatio spiritualis ex susceptione propriæ prolis e fonte baptismatis proveniens [8].

A sæculo XVI ad nostra usque tempora, causæ jam enumeratæ in patriarchatu Constantinopolitano viguerunt:

1. Decretum Joannis XIII Glykys, anno 1315. Ante divortium, separatio quoad habitationem per aliquod tempus præscribitur.

2. Decretum Joannis XIII Glykys, anno 1315.

3. Causa a Leone Sapiente introducta et in *Hexabiblon* Harmenopuli relata.

4. Decretum Manuelis II, patriarchæ Constant. (1244-1255).

5. Conjux manens in sæculo novum matrimonium inire poterat post certum tempus a lege præfinitum. Nota hanc causam esse vere novam, et differre tum a causa a Justiniano in novella CXVII sancita — Justinianus enim loquitur de ingressu *utriusque* conjugis in monasterium — tum a causa dissolutionis matrimonii *rati* et *non consummati* per solemnem alterius conjugum professionem vel per dispensationem a S. Pontifice gravi de causa concessam, apud Catholicos usitata. Apud Græco-Russos enim, non solum matrimonium *ratum*, sed etiam matrimonium *consummatum* dirimitur.

6. Causa a Leone VI imperatore introducta et ab Harmenopulo retenta, non obstantibus responso XV Timothei Alexandrini et Nomocanone, tit. XIII, c. 30.

7. Ex novella CXII Leonis Sapientis, necnon decretis patriarcharum Theodoti et Matthæi, Demetrii Chomateni. Nota divortium permitti non solum si conjux ab « Orthodoxia » recedens ad infidelitatem transierit, sed et si alicui sectæ hæreticæ nomen dederit.

8. De causis divortii apud Byzantinos a sæculo IX ad sæculum XV I. Sokolov longam conscripsit relationem Commissioni speciali pro causis divortii apud Synodum Dirigentem, mense februario anni 1909 oblatam, et in *Lectione christiana* a mense octobri 1909 ad decembrem 1910 inclusive publicatam. Hic canonista causas divortii viginti sex apud Byzantinos hujus temporis detegit, quarum catalogum paucis contractum per modum conclusionis invenies in *Lectione christiana*, fol. 12 anni 1910, p. 1496-1501. Ex hujusmodi causis quædam ad impedimenta dirimentia referri possunt; quas recensere supersedemus.

quædam vero aliæ, in antiquis juris byzantini fontibus non memoratæ, usu ibidem receptæ sunt, scilicet : 1° quicumque gravis morbus animi aut corporis, et non sola amentia, v. g., paralysis seu membrorum debilitas, cæcitas, oxæna, menstruorum defectus in muliere, impotentia mulieris adimplendi officia conjugalia, præsertim si vir divortio consentiat, etc. [1]; 2° indolis et morum inter virum et mulierem gravis repugnantia, τὸ ἀσυμβίβαστον τοῦ χαρακτῆρος [2]; 3° immo mutuus consensus tanquam causa sufficiens divortii quandoque κατ'οἰκονομίαν ab Ecclesia agnoscitur [3]; 4° Derelictio unius conjugum ab altero per triennium [4]; 5° Flagitium ab alterutro conjugum perpetratum, vel damnatio alterutrius ad pœnam infamantem [5].

Ante Petrum Magnum, praxis divortii in Ecclesia russica statutis apud Byzantinos et Græcos receptis plerumque regebatur. Erant tamen quædam particularitates et exceptiones. Sic causam dissolutionis præbebant : 1° dilapidatio fortunæ uxoris a marito; 2° sævities in uxorem; 3° bestialitas; 4° sterilitas mulieris. Morbus vero matrimonium subsequens non reputabatur causa sufficiens. Cæterum gravissimus abusus ex consuetudine inoleverat, quo cuilibet sacerdoti repudii epistolam conjugibus concedere, cuilibet vero hegumeno ad vitam monasticam alterutrum conjugem [6]

1. Theotocas, Νομολογία τοῦ οἰκουμενικοῦ [πατριαρχείου, Constantinopoli, 1897, p. 250-256. In hoc libro invenies quædam decreta patriarcharum œcumenicorum de divortio ab anno 1800 ad annum 1896.

2. Theotocas, *ibid.*, p. 256-260 : « Raro permittitur divortium ex hac causa, ait auctor, quia hæc a jure non refertur. »

3. « Ἡ Ἐκκλησία κατ'οἰκονομίαν δέχεται ἔστιν ὅτε, ἕνεκα δεδικαιολογημένων λόγων, ὧν ἡ ἐκτίμησις ἀπόκειται αὐτῇ τῇ ἰδίᾳ, τὸ ἐκ κοινῆς συναινέσεως διαζύγιον. » *Decretum Sacræ Synodi* mensis junii 1877. *Ibid.*, p. 258.

4. Spatium temporis triennio brevius sufficiens haberi videtur ex quibusdam decretis Synodi, in quibus nulla præfinitio temporis reperitur. Theotocas, *ibid.*, p. 266-269 : « Ὅταν ὁ σύζυγος ἐγκαταλείψῃ τὴν σύζυγόν του, αὕτη ἔχει δικαίωμα διαζεύξεως *Decretum Synodi*, 29 oct. 1877.

5. *Ibid.*, p. 269-272. V. g., si mulier homicidium voluntarium commiserit, viro conceditur ab ea recedere, et novum matrimonium inire, p. 271.

6. Plerumque uxorem, et hanc reluctantem.

tondere liceret, altero conjuge in signum assensus forficem ei porrigente [1].

Inde a sæculo XVIII, non solum abusus iste exstirpatus est, verum etiam numerus causarum divortii, prout in *Kormtchaia Kniga* notabantur, valde imminutus est. Ante recens bellum, tres tantumpro divortio proprie dicto rationes apud tribunal Synodi Dirigentis probabantur, scilicet : 1° Adulterium alterutrius conjugum juridice probatum; 2° Absentia unius conjugum per *quinquennium* (ex lege 14 januarii 1895) cum defectu omnis nuntii de absente; 3° Relegatio in Siberiam (cujus tres species lex distinguebat) propter aliquod grave crimen [2]. Recentiori tamen tempore, ait Suvorov, Synodus Dirigens conjugia dirimebat propter alias rationes. Præterea, semper viguit in Russia consuetudo postulandi divortium per viam extraordinariam; id est per supplicem libellum ad imperatorem, cui jurisperiti germani potestatem dirimendi matrimonia tribuerunt [3].

Ab anno autem 1908, nova lex de divortio a Synodo Dirigente parabatur; quæ in magna synodo totius Ecclesiæ russicæ, Mosquæ annis 1917-1918 habita, tandem promulgata est. Duplex decretum, unum die 20 aprilis 1918, alterum die 2 septembris ejusdem anni, editum est. Vi primi decreti, ut sufficientes rationes postulandi divortium ab Ecclesia,

1. Pavlov, *Cursus juris canonici*, Serghiev, 1902, p. 383-384; Suvorov, *Manuale juris ecclesiastici*, 4ª ed., 1912, p. 387. Sæculis XVI-XVII, Russi meridionales vinculum conjugale rumpere solebant ex mutuo consensu cum certis juris formulis. Suvorov, *ibid.*

2. Pavlov, *op. cit.*, p. 385; Suvorov, *op. cit.*, p. 388-389. Relegati in Siberiam in tres classes dividebantur : 1° damnati ad metalla seu ad opera publica; 2° expulsi ad coloniam constituendam; 3° exsules in omnem vitam. Tum relegato, tum ejus conjugi divortium petere licebat sub certis conditionibus a lege pro unoquoque casu præfinitis. Divortium ob ingressum unius conjugum in religionem jus russicum prohibebat. Privilegio *paulino* utuntur Græco-Russi; quod tamen laxius interpretantur. Divortium enim parti fideli concedunt, si hæc cohabitationem cum parte infideli aversetur. Ante bellum, apud Russos, divortium frequentius pronuntiabat Synodus propter secundam causam, scilicet propter absentiam affectatam, ut videre est ex publicis denuntiationibus ad calcem commentarii hebdomadalis *Tserkovnya Viedomosti* editis. Qualibet hebdomada, petitiones circa triginta hac ratione fultæ ad Synodum deferebantur.

3. Suvorov, *op. cit.*, p. 390.

quæ sola gaudet potestatem dirimendi matrimonium [1], habentur, præter impotentiam physicam antecedentem : 1° Fidei orthodoxæ derelictio ab alterutro conjuge : 2° Adulterium sive unius sive utriusque conjugis, dummodo non fuerit ex mutuo consensu de industria patratum ad obtinendam matrimonii dissolutionem. Adulterio æquiparantur tum novi matrimonii attentatio, tum vitia contra naturam, ut sodomia, tum prostitutio lucri causa exercita ; 3° Voluntaria mutilatio post matrimonium effecta alterutrum conjugem ad vitam conjugalem inhabilem reddens : 4° Lepra : 5° Morbus syphiliticus : 6° Alterutrius conjugis absentia *muta* per tres annos integros perseverans, vel per duos annos tantum, si nuntiorum defectus ex bello vel naufragio aliave publica calamitate oriri rationabiliter præsumatur ; 7° Damnatio ad pœnam conditionis præcedentis juriumque civilium jacturam inferentem : 8° In vitam conjugis vel prolis insidiæ vel molimina : item graves injuriæ, vulnera, percussiones conjugi vel proli inflictæ [2]. His causis altero decreto sequentes additæ sunt : 1° Amentia insanabilis vitam conjugalem impediens : 2° Malevola derelictio unius conjugis ab altero a tribunali ecclesiastico rite comperta ac comprobata [3]. Hæc nova de matrimonio legislatio inter Russos hodiernos jam obtinet, præsertim inter Russos extorres. Causæ ad obtinendum divortium frequentius prætensæ et ab auctoritate ecclesiastica receptæ potissimum duæ sunt, scilicet absentia muta per triennium perdurans, et derelictio malevola, quæ elapso jam secundo mense post publicam monitionem in aliquo commentario vel diario ecclesiastico denuntiatam, suum effectum sortiri potest [4].

1. Hanc potestatem Ecclesiæ soli vindicat synodus russica tum in prænotaminibus ad decretum 20 aprilis, tum in decreto die 4 martii 1918 dato, quo legi de matrimonio dissolvendo necnon de matrimonio mere civili contrahendo a potestate sovietica latæ vehementer reclamat. Cf. *Collectionem decretorum et statutorum synodi Ecclesiæ russicæ orthodoxæ*, *fascic.* 3, *supplementum* II, p. 61, et *fascic.* 4, *supplem.* II, p. 48, Mosquæ, 1918, ed. Consilii synodalis.

2. *Coll. cit.*, *fasc.* 3, *supplem.* II, p. 61-64.

3. *Ibid.*, *fascic.* 4, *supplem.* II, p. 48.

4. Cf., v. g., *Tserkovnya Viedomosti*, Carlovitsiæ, jussu metropolitæ Antonii Khrapovitskii edita pro Russis τῆς διασπορᾶς, fasc. 3-4 (14-28 februarii 1926), ubi 34 petitiones ad divortium occurrunt, quarum major pars super absentia muta innituntur.

Praxis Bulgarorum, Serborum et Rumenorum in hac materia ad normam in patriarchatu œcumenico servatam generatim accommodatur. Apud Bulgaros, ex lege 21 martii 1897, hæc particularia occurrunt : Pro causis divortii habentur : 1° Absentia *muta* mariti per quadriennium; 2° Dilapidatio bonorum familiæ ex vinolentia; 3° Obstinata detrectatio ex parte uxoris ad vitam communem redeundi, post triennem a viro separationem nulla probabili ratione excusatam [1].

Conjugi sonti, præsertim in casu adulterii, ulteriores nuptiæ olim communiter interdicebantur; progressu vero temporis, ab antiqua severitate in multis locis descitum est. Parti nocenti novum matrimonium ineundi post aliquod temporis spatium licentia conceditur, nempe postquam pœnitentiam canonicam adimpleverit, et signa dederit emendationis [2].

Quomodo tam manifestam transgressionem legis a Christo positæ : *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, explicant canonistæ dissidentes? Dicunt verba Scripturæ de solutione vinculi matrimonialis per mortem naturalem vel per adulterium ad litteram non esse sumenda, sed metaphorice etiam intelligenda, et ad casus morti vel adulterio affines extendenda. Jam vero, præter mortem naturalem et physicam, adest mors civilis, adest mors quoad vitam religiosam; præter adulterium re perpetratum, exstat adulterium præsumptum; cujus diversæ species et modalitates distingui possunt [3]. Equidem exegesis hujusmodi divortio viam latam aperit; num vero ad mentem Christi sit et apostolorum

1. De causis divortii apud Bulgaros, cf. *Revue catholique des Églises*, t. v (1908), p. 177-179.

2. Ex novella xx Justiniani, parti nocenti novum matrimonium contrahere licebat post quinquennium. Hanc ordinationem primum non recepit Ecclesia, præsertim quando de adulterio agebatur. Recentiori tamen tempore in Russia (ab anno 1904), in Monte Nigro, in Bulgaria, conjugi sonti novum matrimonium sub certis conditionibus permissum est. Cf. Milasch, *op. cit.*, p. 912.

3. Cf. Milasch, *op. cit.*, p. 897; M. Sakellaropulus, Ἐκκλησιαστικὸν δίκαιον, Athenis, 1898, p. 540 : « Posita lege civili, nulla exstabat ratio pro Ecclesia standi litteræ sacræ Scripturæ »; J. Hadschits, *De causis matrimonium dissociantibus juxta disciplinam orthodoxæ Ecclesiæ Christi orientalis*, Budæ, 1826, p. 9-19.

Ecclesiæque primitivæ, non una ratio infitiandi. Neque inter ipsos dissidentes desunt qui candide fateantur Ecclesiam antiquam praxim divortii ignorasse vel expresse damnasse, etiam in casu adulterii [1]. Immo, si documenta veteris juris canonici in nomocanonem byzantinum relata attente percurras, quædam ibi invenies divortium prorsus excludentia, et doctrinæ catholicæ de absoluta matrimonii indissolubilitate suffragantia [2].

ARTICULUS V

De subjecto sacramenti matrimonii.

De subjecto matrimonii multa dicenda essent, si de differentiis canonicis inter jus Latinorum et jus Græcorum ageremus; singularia enim haud pauca continet disciplina Orientalium circa varia impedimenta, circa matrimonii solemnitates, etc., quæ cæterum non sunt omnino eadem in singulis Ecclesiis autocephalis, et pro temporum varietate diversa fuerunt. Sed hæc omnia ad theologiam dogmaticam vix respectum habent. Unde pauca tantum dicemus de polygamia successiva, et præsertim de tetragamia, quæ olim, initio scilicet sæculi x, acerbæ controversiæ inter Romanos et Byzantinos, necnon inter Byzantinos ipsos ad invicem ansam dedit.

Notum est quosdam Patres orientales de secundis et ulterioribus nuptiis nimis dure locutos fuisse. S. Basilius trigamiam fornicationi (τῇ πορνείᾳ) assimilat. Fuerunt tamen secundæ et tertiæ nuptiæ ab Ecclesia byzantina toleratæ; sed bigamis et trigamis quoddam ἐπιτίμιον imponebatur, et coronatio denegabatur [3]. Tetragamia vero, inde ab anno 920,

1. Ita Suvorov, *op. cit*, p. 382, 385 : « Ecclesia romano-catholica strictæ rationi disciplinæ christianae primorum sæculorum stetit : societas conjugalis morte sola unius conjugum dissolvitur. »

2. Cf., v. g., canon 48 Apostolorum; canon 115 Carthaginensis. De mente sancti Basilii, ad cujus auctoritatem provocare solent dissidentes, vide acutam investigationem F. Cayré in *Échos d'Orient*, t. XIX (1920), p. 295-321.

3. De antiquo usu loquimur, quia nostris diebus bigami et etiam trigami, saltem in quibusdam Ecclesiis, et benedicuntur et coronantur. Cf. M. Sakellaropulum, *op. cit.*, p. 507.

absolute prohibita fuit. Nostrum non est per singula referre historiam controversiæ, quæ Byzantii ab anno 907 ad annum 920 exarsit ob quartas nuptias Leonis VI imperatoris, et nonnisi anno 996 omnino sopita fuit [1]. De hac sane prorsus sileremus, si patriarcha Constantinopolis, Nicolaus Mysticus, tetragamiam *jure divino* esse prohibitam aliquando contendisset, vel saltem contendere visus esset. Hujus contentionis effectus lugendus novum fuit schisma inter romanam Ecclesiam et Byzantinam; exilis vero fructus, *tomus unionis* dictus ὁ τόμος τῆς ἑνώσεως, anno 920 in quodam concilio Constantinopolitano promulgatus, quo quartæ nuptiæ districte prohibitæ sunt sub pœnis gravissimis [2], quin tamen possibilitas alicujus dispensationis ex parte Ecclesiæ negetur, sed potius subaudiatur [3]. Huic tomo Romanus pontifex anno 923 pro bono pacis tandem assensit, certe cum quibusdam exceptionibus, de quibus, etsi historice nihil comprobatum habemus, aliquid tamen conjicere merito licet [4].

Tomus unionis in omnes collectiones canonicas Græco-Russorum relatus est, vimque legis in hodiernum servavit [5]. Hoc non obstitit quominus, decursu temporum, tetragamiæ casus in Ecclesiis dissidentibus non raro acciderint, præsertim apud Russos. Sæculo XVI, in Moscovia, eorum quæ apud Byzantinos sæculo X gesta fuerant, repetitio quædam

1. Totam hanc historiam optime illustratam invenies apud Hergenröther, *Photius*, t. III, p. 655-694. Pauca, sed hæc momentosa, de hac controversia scripsimus in tomo I hujus operis, p. 281.

2. « Τέταρτον γάμον μηδενὶ τολμᾶσθαι, ἀλλ'εἶναι ἀπόβλητον παντελῶς. » Textum decreti unionis invenies apud Mansi, *Collect. concil.*, t. XVIII, col. 235-242. In hoc decreto, non solum tetragamia vetatur, sed etiam trigamia certis limitibus circumscribitur et variis pœnis canonicis mulctatur.

3. Hoc exinde colligitur, quod in decreto de quarto matrimonio Leonis imperatoris altum servatur silentium.

4. Certum est Romanum pontificem pacem cum Ecclesia byzantina renovasse; quonam autem tenore decreto synodi Constantinopolitanæ suffragatus sit, ignoratur. Omnino verisimile est eum acceptasse *tomum unionis* tanquam legem particularem et consuetudinem solius Ecclesiæ byzantinæ, et de liceitate quartarum nuptiarum in genere aliquam clausulam addidisse. Illi Euthymiani qui decreto subscribere renuerunt, auctoritate Sedis Apostolicæ, ut videtur, innitebantur.

5. Pœnæ tamen in trigamos latæ usu obsoleverunt.

contigit, occasione quarti matrimonii Joannis IV, Terribilis dicti. Asservatur enim epistola metropolitæ Mosquensis ad hoc matrimonium attinens, qua tsaro ob quartas ejus nuptias pœnitentia canonica intimatur, et simul anathema decernitur in omnes qui quartum matrimonium contrahere præsumpserint [1]. Quanquam tetragamia, inde ab anno 1649, etiam lege civili Russorum prohibita fuit, attamen adhuc anno 1767 Synodus Dirigens plures τετραγαμίας tum bona tum male fide initas dissolvebat, et conjugi bonæ fidei, non tamen jam trigamo, licentiam dabat ad novas nuptias convolandi [2]. Apud Græcos etiam et Serbos, de quartis nuptiis dissolvendis vel iterum prohibendis non unum exstat documentum [3].

De liceitate polygamiæ successivæ in genere et tetragamiæ in specie cum Græcis actum est, occasione unionis Lugdunensis (an. 1274). In textu enim latino *Professionis fidei* a Clemente IV Michaeli Palæologo proposita hæc occurrunt : « De matrimonio vero tenet quod nec unus vir simul plures uxores, nec una mulier simul habere permittitur plures viros; soluta vero lege matrimonii per mortem alterutrius conjugum, secundas et *tertias et deinde nuptias* successive licitas eses dicit, si impedimentum canonicum ex causa alia non obsistat [4]. » Mirum tamen est in versione græca ejusdem professionis fidei de secundis et tertiis nuptiis tantum mentionem fieri [5]. Item in textu græco *Professionis fidei* Joannis Vecci patriarchæ ad Joannem papam XXI anno 1277 missæ, de tetragamia siletur [6], dum hæc iterum memoratur in textu latino Confessionis a Joanne V imperatore

1. Pavlov, *op. cit.*, p. 353.

2. Cf. *Pravoslavny Sobiesiednik*, 1859, t. III, p. 145 : *Examen præscriptionum ecclesiasticarum circa matrimonium.*

3. Cf. Milasch, *op. cit.*, p. 854, nota 15.

4. Ita habetur in textu latino ab A. Theiner et F. Miklosich edito, *Monumenta spectantia ad unionem Ecclesiarum græcæ et romanæ*, Vindobonæ, 1872, p. 10. In textu vulgato, Mansi, *op. cit.*, col. 70 sq., non fit mentio de quartis nuptiis : « secundas et tertias deinde nuptias successive licitas esse dicit. »

5. « Δευτέρους καὶ τρίτους ἐντεῦθεν γάμους κατὰ διαδοχὴν θεμιτοὺς εἶναι λέγει. »

6. Theiner-Miklosich, *op. cit.*, p. 28. Textus ut in præcedenti nota.

anno 1369 coram legatis Urbani V recitatæ [1]; quod aliter explicari vix potest nisi eo quod mentio de quartis nuptiis in documentis græci idiomatis de industria omissa fuerit, ne adversariis unionis paternæ disciplinæ transgressioni ansa daretur reclamandi [2]. Hic Græco-Russorum pertinax rigorismus in quartis nuptiis prohibendis cum eorum laxa facilitate in divortiis permittendis mire pugnare nemo non videt [3].

ARTICULUS VI

De potestate ferendi leges circa matrimonium.

Concilium Tridentinum definivit Ecclesiam potestatem habere constituendi impedimenta matrimonium fidelium dirimentia, et causas matrimoniales ad judices ecclesiasticos spectare (sess. XXIV, c. 4 et 12); ex quo theologi catholici jure concludunt potestatem hujusmodi Ecclesiæ soli competere et ad Statum nullo pacto pertinere. Verba enim concilii, praxi et sensu Ecclesiæ attentis, in sensu exclusivo interpretanda sunt, ut Pius VI declaravit *(Breve ad episcopum Motulensem*, 6 sept. 1788) [4]. Auctoritati civili jus agnoscitur leges statuendi tantum circa illos effectus temporales matrimonialis contractus qui ab ipso contractu separari possunt.

1. *Ibid.*, p. 39. In textu græco habetur tantum : « δευτέρους καὶ τρίτους ἐντεῦθεν γάμους θεμιτοὺς εἶναι λέγει. » *Ibid.*, p. 42.

2. In decreto unionis Florentinæ, nulla mentio occurrit de quartis nuptiis; at in *Decreto pro Jacobitis*, Eugenius IV doctrinam catholicam his verbis authentice exprimit : « Declaramus non solum secundas, sed tertias et quartas atque ulteriores, si aliquod impedimentum non obstat, licite contrahi posse. Commendatiores tamen dicimus, si ulterius a conjugiis abstinentes, in castitate permanserint. »

3. Animadvertere tamen quis possit prohibitionem tetragamiæ, posita praxi divortii, moribus consulere, quatenus ipso divortio certos describit limites.

4. Novum jus canonicum hanc doctrinam authentice promulgat : can. 1038 : « Supremæ tantum auctoritatis ecclesiasticæ est declarare quandonam jus divinum matrimonium impediat vel dirimat. Eidem supremæ auctoritati *privative* jus est alia impedimenta matrimonium impedientia vel dirimentia pro *baptizatis* constituendi, per modum legis sive universalis sive particularis. » Can. 1960 : « Causæ matrimoniales inter baptizatos jure proprio et exclusivo ad judicem ecclesiasticum spectant. »

Quid autem de hoc capite sentiant theologi græco-russi, non tam ex ipsorum dictis quam ex Ecclesiæ dissidentis usu colligere licet. Inter eos enim pauci reperiuntur qui hanc quæstionem ex professo tractaverint; qui vero de hac aliquid habent — et hi non ad dogmatistarum, sed ad canonistarum classem plerumque pertinent — communiter dicunt jurisdictionem in matrimonium et causas matrimoniales tum Ecclesiæ, tum Statui competere, quin certum limitem statuant inter utriusque jura. Et revera historice constat efficaciam influxumque utriusque potestatis in Oriente dissidenti invicem semper commisceri seseque compenetrare, ita ut quid ad unam, quid ad alteram pertineat ægre decernere possis. Unum tamen ex factis inconcussum remanet, scilicet : auctoritatem civilem *supremam* jurisdictionem in causas matrimoniales sibi semper vindicasse, et in statuendis impedimentis dirimentibus primas partes habuisse; Ecclesiam vero in hac materia Statui plerumque morem gessisse.

Per totam epocham byzantinam, imperatores ferunt leges non solum circa temporales effectus matrimonii a contractu separabiles, sed etiam circa ipsum vinculum conjugale, ejus conditiones, impedimenta dirimentia, formam externam celebrationis. Justinianus causas divortii statuit, quas, ut supra vidimus, Ecclesia probavit. Leo Sapiens et Alexius Comnenus benedictionem Ecclesiæ ad validitatem sponsalium et matrimonii requirunt. Omnes causas matrimoniales ad judicium Ecclesiæ deferunt; at vero uterque supremam in has causas jurisdictionem jusque dispensandi sibi reservat [1]. Supremam hanc potestatem patriarchæ Constantinopolitani et canonistæ byzantini imperatoribus non denegant, sed libenter agnoscunt [2]. Patriarchæ sua decreta synodalia tum ad normam canonum, tum ad legum civilium tenorem

1. In sua novella CIX, Leo Sapiens hæc profert : « Ἔξεστι γὰρ τοῖς ἐκ Θεοῦ τὴν οἰκονομίαν τῶν κοσμικῶν ἐγκεχειρισμένοις πραγμάτων ὑπέρτερον ἢ κατὰ νόμον οἰκονομεῖν, ὅς ἄγει τοὺς ὑπηκόους. »

2. Dispensationem ab Alexio Comneno concessam in gradu prohibito consanguinitatis Ecclesia ratam habuit, *propter dominationem imperatoribus desursum datam*, κατὰ τὴν δεδομένην τοῖς βασιλεῦσι ἄνωθεν κυριότητα. Cf. Rhallis-Potlis, Σύνταγμα κανόνων, t. I, p. 283; t. V, p. 58.

concipiunt et accommodant [1]. Canonistæ item in suis ad consulta responsis, ex utroque fonte præfationes et argumenta depromunt [2].

Apud Russos, principio quidem Ecclesia sola de causis matrimonialibus cognoscebat; inde vero a Petro Magno, Status propria auctoritate præter et contra canones antiquos vel jus nomocanonicum Byzantinorum leges ferre incepit. Numerus impedimentorum dirimentium et causarum divortii imminutus est. Contra canonem 72 Trullanum, matrimonia mixta cum dissidentibus christianis inde ab anno 1721 permissa sunt [3]; quæ omnia Ecclesia russica rata habuit: verius dicendum esset : In Ecclesia russica, inde a Petro Magno, de distincta Status et Ecclesiæ potestate in hac materia vix sermo esse potest : Synodus enim Dirigens decernit quæcumque vult suprema Tsari auctoritas; quæcumque vero proponit ipsa, ut vim legis accipiant, approbatione et confirmatione tsari indigent. Ante recens bellum, legum tum civilium tum canonicarum observantiæ, formæ celebrationis, causis divortii Synodus consulebat; Status reliqua curabat [4].

In Græcia et Rumenia res ad matrimonium spectantes eodem fere modo ac in Russia agebantur : Ecclesia de causis matrimonialibus cognoscit sub suprema Status jurisdictione [5].

1. In synodalibus decretis, patriarcharum sequens formula sæpe occurrit : « Nos vero, civiles et canonicos pugillares explicantes, ex eorum summa hæc respondemus, ἡμεῖς δὲ τὰς νομικάς τε καὶ κανονικὰς ἀναπτύξαντες δέλτους, ἐκ τῆς αὐτῶν περιλήψεως ταῦτα ἀποκρινόμεθα. »

2. Cf., v. g., *Responsa Demetrii Chomateni* a Pitra edita, *op. cit.*, *passim*.

3. Ecclesia russica omnium prima inter Ecclesias autocephalas matrimonia mixta permisit, ex voluntate Petri Magni. Ut in tomo I hujus operis diximus, p. 591. Theophanes Procopovitch, jussu tsari, *libellum de matrimoniis mixtis* anno 1721 edidit, ut ostenderet hujusmodi matrimonia fidei orthodoxæ non adversari. Eamdem innovationem postea admiserunt aliæ Ecclesiæ, v. g., Serbica, ab anno 1853; Hellenica, ab anno 1861, etc. Cæterum Ecclesiæ dissidentes matrimonia mixta sub iisdem fere conditionibus permittunt, quas Ecclesia catholica pro talibus conjugiis requirit. Cf. Milasch, *op. cit.*, p. 918-919.

4. Pavlov, *op. cit.*, p. 326-327.

5. In Græcia, ab anno 1833 ad annum 1852, causæ matrimoniales ad tribunalia civilia deferebantur. Ex articulo 16 *Constitutionis*

Recentiori tempore, patriarchæ Constantinopolitani jus Ecclesiæ in causas matrimoniales non semel tuiti sunt, matrimoniumque civile damnarunt. Quidam canonistæ græci potestatem supremam et exclusivam in matrimonium synodo patriarchali Constantinopolitano tribuere visi sunt, eamdem fere quam Catholici Romano pontifici agnoscunt [1]; longe vero abest, ut hæc particularis opinio in diversis Ecclesiis autocephalis civitatem adepta sit. Canonista Milasch, cujus opus de *Jure ecclesiastico* per omnes fere Ecclesias nostris diebus vulgatum est, utriusque potestatis jura ita decernit : 1° Ecclesia jus habet leges edendi circa matrimonium et de causis matrimonialibus judicandi. Status pariter judiciariam potestatem habet circa omnes causas ad forum civile spectantes, circa eas præsertim, quæ bona temporalia respiciunt, dotem videlicet, hæreditatem, conjugum et sobolis sustentationem; 2° Status invalidum habere non potest matrimonium ab Ecclesia ratum; 3° De validitate vel invaliditate matrimonii, *quatenus est sacramentum, Ecclesia sola pronuntiat; e contra, Status jus proprium possidet statuendi circa matrimonium, quatenus est contractus;* 4° Circa impedimenta necnon circa potestatem in eis dispensandi, Ecclesia et Status ex consensione mutua propriam exserunt potestatem : Status Ecclesiæ decreta rata habet, et vice versa; 5° Causæ ad divortium spectantes ad tribunal Ecclesiæ deferuntur; quæ vero bona conjugum respiciunt tribunali civili reservantur [2].

anni 1852, matrimonium κατὰ τὸ πνευματικὸν μέρος ad Ecclesiam spectat; quod vero ad κοσμικὸν μέρος attinet, tribunalia civilia cognoscunt. Hæc distinctio obscuritate laborat, nec distinctioni theologiæ catholicæ inter essentialia et accidentalia contractus respondet.

1. Ita sentiebat I. Eutaxias : « Synodus patriarchalis Constantinopolitana, legislativa potestate gaudens, decreta circa matrimonium edidit, *utpote quæ proprie et exclusive jus possidet sententias ferendi de matrimonio*, καθὸ κεκτημένη κυρίως καὶ ἀποκλειστικῶς τὸ δικαίωμα τοῦ δικάζειν περὶ γάμου. » S. Staphylas et Petrunakis, Ἐκκλησιαστικὸν δίκαιον συνταχθὲν ἐπὶ τῇ βάσει τοῦ καθηγητοῦ I. Εὐταξίου, Athenis, 1900, p. 20-21.

2. Milasch, *op. cit.*, p. 830-831. « Hæc valent, ait auctor, apud eas nationes, in quibus relationes inter Ecclesiam et Statum planæ sunt ac benevolæ. » De tota hac quæstione circa matrimonii legislationem, præsertim apud Byzantinos, vide Zhishman, *op. cit.*, p. 179-192.

CAPUT OCTAVUM

DE EXTREMA UNCTIONE SEU EUCHELÆO

Prænotamina.

De sacramento Extremæ Unctionis, nulla unquam exorta est controversia proprie dicta inter Græcos et Latinos, quanquam non una exstat differentia inter ritum latinum et ritum byzantinum in hujus sacramenti administratione. Inde tamen a sæculo XV, præeunte Simeone Thessalonicensi, calumnia quædam in Latinos per Orientem circumferri incepit, quam ad nostra usque tempora repetere non destiterunt theologi et polemistæ dissidentes : Ecclesiam romanam videlicet solis moribundis de quorum vita desperatur, et *semel* in vita, hoc sacramentum conferre : « Latini omnia innovantes, ait Simeon, doctrinam quoque hujus sacramenti adulteraverunt, contendentes illud haud tradendum esse infirmis qui vitæ spem habent, sed morientibus tantum, quoniam peccata dimittit, ne forte ægrotus sanitati redditus in peccata relabatur. Heu! quanta insania! Dei quidem frater : *Et oratio*, inquit, *fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus;* illi autem dicunt : *Ut moriatur*... Salvatoris doctrinæ et apostolorum ejus contraria cogitant, et non alleviandis sed morientibus istud autumant esse conferendum. Unde hoc faciunt non secundum apostolicam traditionem, ab eis scilicet advocati qui opus habent, sed proprio marte illud administrant. Et sanctum quidem Evangelium dicit : *Ungebant oleo multos ægros et sanabant;* illi autem aiunt non conferri sacramentum, ut sanentur, sed ut insanabiles fiant et moriantur. O homo, ignoras mysteriorum notitiam et damnabiliter erras [1]. » Hæc præsulis Thessalonicensis verba, quæ omni carere fundamento dicere supervacuum est, ad verbum transcripsit theologus russus Sylvester Malevanskii

1. *De Euchelæo*, c. 285, *P. G.*, t. CLV, col. 517. Cf. c. 56, col. 204.

in tomo quinto suæ *Theologiæ dogmaticæ* [1]. Eadem criminatio paulum attenuata occurrit in theologiæ dogmaticæ compendiis hodiernis, necnon in *Theologiis polemicis* Russorum, quin etiam in plerisque catechismis Græcorum [2]; quod sane mirum omnino est, cum consuetudo hoc sacramentum conferendi solis moribundis in extremo agone positis, tanquam gravis abusus a nostris theologis communiter notetur. Si Græco-Russos audias, Ecclesia romana Extremam Unctionem morientibus pro *viatico* tradit, loco sacræ Eucharistiæ, quæ in antiquis traditionis christianæ monumentis verum viaticum audit [3]. Unde etiam quidam ex ipsis, aliis contradicentibus, theologos catholicos insimulant quod inter hujus sacramenti effectus ponant corroborationis gratiam adversus mortis et divini judicii terrores [4].

Aliud contentionis caput inveniunt in eo quod Ecclesia romana benedictionem olei infirmorum solis episcopis reservet, dum apud Orientales hujusmodi benedictio etiam simplici presbytero ordinarie concedatur. Hæc nova discordia vana etiam habenda est, et inter differentias disciplinares collocanda, cum Ecclesia catholica presbyteris unitis cujuscumque ritus orientalis potestatem oleum infirmorum benedicendi juxta proprium rituale agnoscat.

Gravior exstat discrepantia circa subjectum hujus sacramenti, quæ tamen non solum viget inter Catholicos et Græco-Russos, verum etiam Russos ipsos a Græcis dividit, illis quidem cum Ecclesia catholica sentientibus et solis ægrotis Euchelæum ministrantibus, his vero etiam corpore sanis tanquam præparationem quamdam ad communionem in festis diebus solemnioribus illud conferentibus.

Cum autem hujus sacramenti ritus apud Græco-Russos non unam præ se ferat particularitatem doctrinæ theologicæ affinem, non solum de hujusmodi minutis criminationibus nobis agendum est, verum etiam de aliis quæstionibus

1. *Tentamen theologiæ dogmaticæ*, t. v, p. 65-66.

2. Indicationes bibliographicas dare supersedemus. Inspice diversa compendia et catechismos in primo volumine notatos.

3. Hæc accusatio de viatici mutatione legitur in non paucis compendiis et catechismis. Vide, v. g., Macarium, *op. cit.*, t. II, p. 474-475; Malinovskii, *op. cit.*, t. II, p. 450-451.

4. Vide quæ infra dicuntur, p. 489.

ad existentiam, essentiam, ministrum, effectus spectantibus quædam dicenda. Unde sermo erit :

1° De existentia et variis nominibus hujus sacramenti apud Græco-Russos;

2° De historia ritus Euchelæi necnon de materia et forma sacramenti;

3° De ejus ministro;

4° De ejus subjecto et effectibus;

5° De Euchelæo mortuorum [1].

ARTICULUS I

De existentia et nominibus sacramenti Extremæ Unctionis apud Græco-Russos.

Græco-Russos dissidentes sacramento Extremæ Unctionis carere auctores quidam catholici, ut Guido carmelita, Prateolus, Antonius Caucus archiepiscopus Corfiensis, immo Allatius ipse, aliquando affirmarunt; quod omnino falsum appareret tum ex certis historiæ ecclesiasticæ documentis, tum ex ritualibus libris Ecclesiæ byzantinæ. Jam ante Ecclesiarum separationem, mos infirmos ungendi oleo sancto receptus erat, ut testatur monasterii Studii hegumenus Naucratius in *Encyclica de obitu sancti Theodori Studitæ :* « Theodorus, inquit, vivificorum sacramentorum (= sacræ Eucharistiæ) particeps effectus, et *pro more inunctus* consignatusque, sublatis in sublime manibus oransque, cum circa horam sextam se deficere sensisset, voce cassa submissaque cereos accendi jubet, moxque, monachis psalmum *Beati immaculati in via* recitantibus, animam suam sanctis angelis tradidit [2] »:

1. De sacramento Euchelæi in genere apud Græcos, vide Jacquemier, *L'Extrême-Onction chez les Grecs*, in *Échos d'Orient*, t. II (1899), p. 193-203.

2. *P. G.*, t. XCIX, col. 1845 : « Καὶ κατὰ τὸ εἰωθὸς ἐπαλειψάμενος καὶ κατασφραγισάμενος. » Auctor *Vitæ Theodori*, 67, *ibid.*, col. 325, eadem dicit : « Καὶ ἐπαλειψάμενος κατὰ τὸ ἔθος τὰ μέλη αὐτοῦ. » Vi verbi græci ἐπαλειψάμενος, videtur Theodorus ipse sibi membra unxisse. Auctor tractatus *De iis qui in fide obdormierunt* (non Joannes Damascenus, sed alius scriptor ejusdem fere ævi), ad Extremam Unctionem alludere etiam videtur, dum dicit : « Velut qui chrismate aliove sancto oleo ægrotum cupit ungere, primum ipse qui ungit unctionem participat, deinde et ipsum ægrotum inungit. » *P. G.*, t. XCV, col. 264.

ex quo constat : 1° Theodorum graviter ægrotantem jamque moribundum sacro oleo inunctum fuisse; 2° viaticum corporis Domini ante unctionem sumpsisse : quod cum communi praxi Ecclesiæ latinæ omnino concordat [1]. Sæculo XIII, cum de unione in concilio œcumenico Lugdunensi II pangenda actum est, Græci inter sacramenta annumerare non dubitarunt « Extremam Unctionem, τὸ ἔσχατον χρίσμα, quæ secundum doctrinam beati Jacobi infirmantibus exhibetur [2]. » Joannes Veccus patriarcha, in propria fidei professione ad Joannem papam XXI anno 1277 missa, item recipit « Extremam Unctionem, sicut et alia sacramenta; quæ apud nos, inquit, ἑπταπάπαδον (id est, a *septem presbyteris* cóllata) vocatur [3]. » Eodem tempore, Jobus *peccator*, in suo *Tractatu de septem sacramentis* pro ultimo sacramento habet *Euchelæum*, τὸ εὐχέλαιον, quod idem esse quod sacramentum pœnitentiæ falso pronuntiat : « καὶ εὐχέλαιον ἕβδομον ἤτοι ἡ μετάνοια », dum pro sexto sacramento ponit *sanctum habitum*, τὸ ἅγιον σχῆμα [4]. Hæc autem confusio Euchelæi cum pœnitentia exinde aliquo modo explicatur, quod Extrema Unctio est revera quasi quoddam sacramenti pœnitentiæ complementum, et quod solebant olim Byzantini injungere unctionem sacri olei pro *canone* seu satisfactione in sacramento pœnitentiæ [5]. Cæterum Jobus expresse dicit hoc sacramentum

1. Jamdudum vero in Ecclesia græco-russica, viget usus conferendi Extremam Unctionem post sacramentum pœnitentiæ et ante communionem seu viaticum.

2. *Confessio fidei Michaelis Paleologi.* Cf. A. Theiner et F. Miklosich, *Monumenta spectantia ad unionem Ecclesiarum*, p. 10.

3. *Ibid.*, p. 28.

4. Jobum in hoc correxit Chrysanthus in sua editione, et loco τοῦ ἁγίου σχήματος posuit τὴν μετάνοιαν.

5. Hujus consuetudinis testem habemus Innocentium papam IV in *epistola ad Ottonem cardinalem Tusculanum* (die 6 martii 1254) de quibusdam usibus Græcorum in regno Cypri. Hæc inter alia papa decernit : « Nulli autem per sacerdotes vel confessores pro satisfactione pœnitentiæ unctio aliqua solummodo injungatur. Infirmis vero, juxta verbum Jacobi apostoli, unctio exhibeatur extrema. » Mansi, *op. cit.*, t. XXIII, col. 578-582. Sæculo XV, Simeon Thessalonicensis ad eamdem praxim alludit : « In peccatum prolapsi, inquit, ad Dei viros accedimus et, voluntate mutata, confessionem agimus delictorum; *quorum præscripto sacrum oleum offerimus Deo* in imaginem ejus misericordiæ et jucunditatis... Cum autem oratio conjuncta fuerit et oleum fuerit

dari in *fine vitæ*, ἐν τέλει τοῦ βίου [1]. Sæculis vero XVI et XVII, tempore scilicet controversiarum cum Reformatoribus et occasione editionis Confessionis Cyrilli Lucaris, Ecclesia græco-russica publice professa est in libris symbolicis dictis, et per scripta theologorum suorum Extremam Unctionem seu Euchelæum unum esse ex septem Ecclesiæ sacramentis a Christo institutis et gratiæ divinæ collativis [2].

Nomen antiquius et olim usitatius hujus sacramenti apud Græcos, fuit *oleum* vel *sanctum oleum*, τὸ ἔλαιον, τὸ ἅγιον ἔλαιον. Occurrunt etiam apud auctores appellationes sequentes : *oleum infirmorum*, τὸ ἔλαιον τῶν ἀρρώστων [3]; *olei unctio*, ἐλαίου χρίσις; *unctio*, χρίσις vel χρίσμα [4]; *sacramentum septem presbyterorum*, τὸ ἑπταπάπαδον ; *oleum orationis*, τὸ εὐχῆς ἔλαιον; *Euchelæum*, τὸ εὐχέλαιον, nomen jamdudum communius usurpatum et nunc proprium hujus sacramenti. Appellatio vero latina: *Extrema Unctio*, τὸ ἔσχατον χρίσμα, ἡ τελευταία χρίσις, inde a sæculo XIII usque ad sæculum XIX, a theologis græco-russis non raro usurpata est, quanquam nostris diebus hoc ipsum nomen Latinis catholicis a polemistis dissidentibus communiter crimini vertitur. Illam invenies non solum apud Latinophronas epochæ byzantinæ, sed etiam apud rigidos *orthodoxos* sæcul. XVI, XVII et XVIII, præsertim vero apud Kiovienses et Moscovitas, qui de theologia dogmatica latino sermone

consecratum, hoc oleo uncti remissionem peccatorum inveniunt. » *De sacramentis*, c. 56, *P. G.*, *l. cit.*, col. 205 BC. Sæculo XVI, Joannes Nathanael, in *Epistola ad archiepiscopum Ananiensem*, usum Græcorum Euchelæum conferendi corpore sanis repetebat ab avaritia quorumdam confessorum, qui pœnitentibus in satisfactionem sacramentalem sacram olei unctionem ministrabant : « Κἂν τινες τῶν ψευδαββάτων καὶ ἀγραμμάτων γραικῶν ἀνοηταίνοντες δι'αἰσχροκέρδειαν συνεχῶς τοῖς ἁμαρτάνουσι διὰ κανόνα καὶ δίκην ἁγιασμοῦ ὡς μετανοουμένοις χορηγοῦσι. » Cf. F. Richardum, Ἡ Τάργα τῆς πίστεως, Parisiis, 1658, II[a] pars, p. 87. Notandum est insuper consuetudinem ungendi oleo pœnitentes multis in locis, et in Oriente præsertim, olim obtinuisse.

1. Cod. *Paris. græc. 64*, fol. 249.

2. Cf. *Confessionem Petri Moghilæ*, I p., q. CXVII; *Confessionem Dosithei*, c. XV; *Confessionem Critopuli*, c. XIII; *Confutationem capitum cyrillianorum* Meletii Syrigi, p. 89; *Responsa Jeremiæ II ad Tubingenses*, etc.

3. Simeon Thessalonicensis, *De sacramentis*, c. 57, col. 205 C.

4. Hoc χρίσμα ne confundas cum nostro chrismate, quod τῷ ἁγίῳ μύρῳ Græcorum respondet.

tractarunt [1]. Apud Russos vero, hoc sacramentum vocibus *eleosviachtchenie* et *eleopomazanie* (= *olei consecratio*, *olei unctio)* designatur.

ARTICULUS II

De historia ritus Euchelæi. De materia et forma hujus sacramenti.

Officium seu ἀκολουθία Euchelæi, prout nunc legitur in euchologio Græcorum, est inter ritus sacramentales, omnium productissimus. Constat enim : 1° introductione sat longa complectente psalmos CI et L, canonem ab Arsenio quodam compositum [2], diversa troparia *sticheria* dicta, litaniam a diacono conclamatam, orationem benedictionis olei a primo ex septem presbyteris recitatam, dum troparia quædam cantantur [3]; 2° officio proprie dicto administrationis Euchelæi, quod Metrophanes Critopulus paucis ita describit : « Ægrotante aliquo fideli, a familiaribus ipsius septem presbyteri advocantur... Et si ægrotans in templum ire potest, inibi sacra peraguntur; sin minus, in domo ægroti. Proponitur igitur in mensa vasculum, in quo vinum et oleum,

1. Hoc sacramentum vocatur a Theophylacto Gorskii, *Orientalis Ecclesiæ dogmata*, p. 257 : *oleum consecratum*, *Extrema Unctio*, *unctio sacra*. Gabriel Petrov utitur voce *Extrema Unctio* in sua *Explicatione sacræ liturgiæ* ab Eugenio Bulgari in græcum translata : Τελετουργία ἱερά,, Petropoli, 1799, p. 297 : ἡ τελευταία χρίσις. Sylvester Lebedinskii item inscribit cap. LXIII sui *Compendii theologiæ classici : De Extrema Unctione*, p. 545. Theophilus, Campaniæ episcopus, Ταμεῖον ὀρθοδοξίας, c. XX, hæc habet : « Τὸ μυστήριον τοῦ εὐχελαίου, τὸ ὁποῖον λέγεται καὶ τελευταία χρισις. » Metrophanes Critopulus, e contra, hoc nomen rejicit : « Hoc sacramentum vocatur Euchelæum, non vero extrema unctio, οὐκ ἐσχάτη χρίσις. » *Confessio fidei*, c. XIII.

2. De tempore quo vixerit hic Arsenius non una exstat sententia inter doctos. Unum tamen certum est, illum scilicet esse sæculo XI antiquiorem; nam ejus canon jam occurrit tum in *Euchologio Barberino* vetustissimo a Goario, *op. cit.*, p. 346-348, edito, tum in codice *Sinaitico 973*, anno 1153 transcripto. Ergo Arsenio Autoriano, patriarchæ Constantinopolitano (1255-1259) nullo pacto tribui potest, ut quidam voluerunt.

3. Benedictio olei, quæ est antiquissima, sic incipit : « Κύριε, ὁ ἐν τῷ ἐλέει, κτλ. » In quibusdam euchologiis, hæc benedictio ab omnibus simul sacerdotibus recitatur.

quod hæc etiam in parabola Samaritanus ei, qui in latrones inciderat, attulit... Circa vasculum illud septem ellychnia ponuntur, quibus presbyteri ægrotum inungunt. Comprehenduntur autem in hoc ritu septem precationes, septem pericopæ evangelicæ et totidem apostolicæ. Quilibet autem presbyterorum unam pericopam apostolicam unamque evangelicam, unam itidem precationem recitat. Postea uno ellychnio tincto in oleo, ægrotum ungit in fronte, in pectore, in manibus et pedibus, ubique in formam crucis, ungendo dicens hanc orationem : *Pater sancte, animarum et corporum medice, qui Filium tuum unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum omnem morbum curantem et ex morte nos liberantem misisti, sana quoque servum tuum N. a detinente illum corporis infirmitate et vivifica illum per Christi tui gratiam* [1]... Atque eadem hæc quilibet septem presbyterorum facit. Si vero pauciores sint, ut dictum est, quidam eorum dupla recitant. Si vero unus tantum adsit, legit ille omnia, et septies ungit ægrotantem, supra dictam orationem septies subjiciens [2] »; 3° conclusione : Finitis scilicet orationibus et unctionibus, infirmus coram sacerdotibus se sistit, ex quibus primus evangelium ponit super caput ejus, cæteris illi manum imponentibus; postea sacerdotum præses ultimam dicit orationem super ægrotum, qui evangelium osculatur, et ter se inclinat, dicens : *Benedicite, patres sancti, et mihi peccatori peccata condonate.* Et accepta ab eis benedictione et indulgentia, discedit, Deo gratias agens [3].

Hæc prolixior ἀκολουθία varias vicissitudines, additiones ac mutationes pro diversitate temporum et locorum experta est. Erraret enim qui putaret illam omnino eamdem fuisse in diversis Ecclesiis byzantini ritus. Multæ, e contra, differentiæ et varietates ex collatione euchologiorum manuscriptorum apparent tum in ordine totius cærimoniæ, tum in

1. Hanc sacramenti Euchelæi formam ex editione Goarii recitamus. Metrophanes enim illam paucis mutat; quam memoriter dedisse videtur.

2. Metrophanes Critopulus, *Confessio fidei*, c. XIII, ed. Kimmel, t. II, p. 153-155.

3. Ἀκολουθίαν Euchelæi invenies apud Goarium cum adnotationibus, *op. cit.*, p. 332-357; in editione romana Euchologii, Romæ, 1873, p. 181-204.

numero et textu lectionum et orationum, tum etiam in modo ungendi ægrotum [1]. Primitus quidem, ut videtur, id est usque ad sæculum IX, ritus Euchelæi duabus tantum constabat orationibus, una scilicet pro benedictione olei, altera, quæ vices formæ sacramentalis gerebat, dum unctiones fiebant. Circa finem sæculi VIII, Theodulphus Aurelianensis ritum Græcorum in administranda sacra unctione sic describebat :

« Græci, qui ipsam traditionem apostolorum imitantur, similiter tres tantum cruces cum oleo faciunt, fundentes cum ampulla oleum infirmorum in crucis modum super caput et vestimenta et totum corpus infirmi : incipientes crucem a capite usque ad pedes, in transverso a manu dextra usque ad brachia, et pectus usque ad sinistram manum, dicentes : *Ungo te in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut oratio fidei salvet te, et alleviet te Dominus, et si in peccatis sis, remittantur tibi.* Illa autem vestimenta oleo superfusa, quibus infirmandus tegebatur, non sepeliuntur; et si convaluerit, abluuntur in loco mundo, et iterum utitur eis [2]. »

Difficile credam ritum hujusmodi omnibus Ecclesiis byzantinis communem fuisse, tempore Theodulphi; valde vero probabile est illum unius vel quarumdam ex eis fuisse proprium. Revera vestigia quædam ejusdem invenimus in codice *Sinaitico 960*, qui est sæculi XIII. Ibi enim dicitur septem sacerdotes oleo inungere ægrotum *a pedibus usque ad caput*, ἀπὸ ποδῶν ἕως κεφαλῆς, dicendo formulam : *Pater sancte, animarum et corporum medice* [3], etc. »

1. De historia ritus Euchelæi apud Græco-Russos consulendi sunt : 1° A. Dmitrievskii, *Euchologia ;* 2° A. Petrovskii, *De historia officii sacramenti Euchelæi*, in *Lectione christiana*, 1903, t. II, p. 44-49 (ex documentis a Dmitrievskii publicatis); 3° Benedictus Allentov, *Ordo sacramenti Euchelæi*, Serghief-Possad, 1917. Analysim paulum confusam hujus operis invenies in *Revue de l'Orient chrétien*, t. XXI (1918-1919), p. 40-72, a M.-J. Rouët de Journel conscriptam; 4° A. Katanskii, *Adumbratio historica ritus Extremæ Unctionis*, in *Lectione christiana*, 1880, t. II, p. 92-131; 5° A. Golubtsov, *De ritu sacramenti Euchelæi*, in *Pribavleniia ad opera sanctorum Patrum*, t. XLII (1888), p. 113-130.

2. Martène, *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, 2ª ed., Antuerpiæ, 1736, t. I, p. 846.

3. Dmitrievskii, *op. cit.*, p. 199.

Inde a sæculo IX vel X, administratio Euchelæi conjungitur sive cum celebratione officii nocturni (παννυχίς) et sacræ liturgiæ simul, ita ut ἀκολουθία integra per totam noctem protrahatur [1], sive cum celebratione sacræ liturgiæ tantum [2]. In fine liturgiæ, ægrotus oleo ungitur ab unoquoque presbytero cum prolatione orationis : *Pater sancte.* Ante sæculum XIII, nulla occurrit in codicibus mentio septem illorum evangeliorum et totidem epistolarum, quæ ad ritum sacramentalem nunc spectant; bene vero, inde a sæculo X, septem orationes speciales in quibusdam Ecclesiis recitantur [3], dum alibi sola oratio *Pater sancte* memoratur [4]. A sæculo XIV, ἀκολουθία Euchelæi a celebratione missæ disjungitur, mox vero et ab ipso officio matutino. Ritus hodiernus cum tota sua ordinatione non videtur esse sæculo XV antiquior. Insuper, notandum est non solum euchologia manuscripta recentiora, sed etiam ea quæ inde a sæculo XVI prelo mandata sunt, non paucas singularitates et differentias inter se præferre [5]. Juxta codices vetustiores, post infirmum, oleo sacro inunguntur a septem presbyteris omnes circumstantes, etiam cum formula *Pater sancte;* immo portæ, fenestræ aliæque partes domus ægroti eodem oleo liniuntur [6].

Ex dictis patet veram formam sacramenti esse illam orationem quam recitat unusquisque presbyter, dum infirmum in diversis corporis partibus inungit : *Pater sancte,* etc. Hoc uno ore docent theologi græco-russi, inde a sæculo XVI. Notandum tamen Simeonem Thessalonicensem huic formæ addere in fine hæc verba : *Adjutorium nostrum in nomine Domini;* quæ in ritu hodierno non occurrunt [7].

Materia remota est oleum olivæ purum. Ita theologi fere omnes quum russi tum græci. In quibusdam tamen Ecclesiis,

1. Ita in codice *Barberino* vetustissimo a Goario edito, *op. cit.*, p. 346-348.
2. Ita in cod. *Coislino Paris. 213,* anno 1027 transcripto.
3. In codice *Barberino* supra memorato, sunt septem orationes.
4. Ita in cod. *Coisl. 213.*
5. Cf. Dmitrievskii, *op. cit., passim ;* Allentov, *op. cit.*
6. Cf. cod. *Barberinum* apud Goarium, *loc. cit.*; cod. *Coisl. 213* anni 1027; cod. *Sinaiticum 973* anni 1153, apud Dmitrievskii, *op. cit.*, p. 109, 1017-1019.
7. *De Euchelæo, P. G., loc. cit.*, col. 528 B.

parum vini oleo admiscetur, in memoriam ejus quod fecit Samaritanus in parabola. Olim vero, loco vini aqua infundebatur [1], et in quibusdam locis, tum aqua, tum vinum [2]. Oleum in ipso ritu administrationis benedicitur sive ab episcopo, si adsit, sive a primo ex septem presbyteris, sive, juxta quædam euchologia, ab omnibus presbyteris simul.

Ad materiam vero proximam quod attinet, uniformitas nunquam exstitit in diversis Ecclesiis quoad numerum unctionum et partes corporis ungendas. Modum peculiarem infirmum inungendi ex testimonio Theodulphi Aurelianensis et cod. *Sinaitici 960* supra notavimus. Juxta cod. *Coisl. 213*, unguntur : frons, aures, pectus, manus; juxta cod. *Sinait. 973*, frons, nares, mentum, collum, aures, manus; juxta Simeonem Thessalonicensem, frons, vultus et manus [3]; juxta trebnik Petri Moghilæ, caput, oculi, aures, labia, nares, manus et pectus [4]; juxta theologos russos hodiernos, frons, nares, genæ, labia, pectus, utraque manus [5]; juxta catechismum Laurentii Zizanii, frons, labia, cor, aures et manus; juxta Mesoloram, frons, pectus, manus et pedes [6]. Unctiones ope penicilli communiter fiunt.

ARTICULUS III

De ministro Euchelaei.

Extremam Unctionem a pluribus sacerdotibus simul conferri posse communis est sententia theologorum catholicorum, quamvis praxis hodierna Ecclesiæ latinæ ferat illam

1. Unde Jobus monachus, in suo *Tractatu de septem sacramentis*, Euchelæum cum baptismate conferens, hæc habet : « Τὸ βάπτισμα καὶ τὸ εὐχέλαιον τὴν ὕλην ἀνόμοιαν καὶ τὸν καιρὸν οὐ τὸν αὐτὸν ἔχουσιν· τὸ μὲν γὰρ ἐν ὕδατι, τὸ δὲ ἐν ἐλαίῳ, εἰ καὶ ἄμφω καὶ ἐν ὕδατι καὶ ἐν ἐλαίῳ πάλιν ἂν εἴποι τις. » Cod. *Paris. græc. 64*, fol. 249. Notum est enim unctiones olei fieri in baptismate.

2. Cod. *Sinait. 973*. Dmitrievskii, p. 202.

3. De *Euchelæo*, *P. G.*, *t. cit.*, col. 528 B.

4. *Trebnik*, Kioviæ, 1646, p. νμς'.

5. Cf. Macarium, *op. cit.*, t. II, p. 472; Malinovskii, *op. cit.*, t. II, p. 447. Sylvester Lebedinskii, *op. cit.*, p. 547, cum theologis hodiernis non concordat; scribit enim : « Ungitur æger in variis corporis partibus : in fronte, naribus, genibus ambobus, ore, pectore, manibus ex utraque parte, ut tota unctio fieri videatur ad modum crucis. »

6. *Symbolica*, t. II², p. 360.

ab uno tantum administrari [1]. In Ecclesia vero græco-russica, ut jam vidimus, regulariter advocantur septem presbyteri; unde et hoc sacramentum nomen ἑπταπάπαδον accepit. Singuli presbyteri successive perficiunt unctiones præscriptas pronuntiando formam : *Pater sancte.* In hanc septenariam repetitionem sacramenti invehitur Arcudius tanquam in gravem abusum [2]. Goarius, e contra, eam in bonam partem accipit, et optime explicat quatuor rationibus; quarum prima petitur ex paritate plurium sacerdotum ad unum consecrationis opus, sive ad unum Eucharistiæ mysterium perficiendum unanimi consensu concurrentium; secunda, ex iterata accusatione ejusdem peccati in foro pœnitentiæ; tertia, ex repetitione formæ sacramenti Confirmationis in unaquaque unctione, ad normam euchologii byzantini; quarta demum, ex praxi simili olim in quibusdam Ecclesiis Occidentis recepta [3].

In casu necessitatis, unum tantum sacerdotem sufficere ad valide et licite conferendum Euchelæum est communissima hodie theologorum quum russorum tum græcorum sententia. Quidam tamen contradixerunt, tres saltem presbyteros requirentes [4].

ARTICULUS IV

De subjecto et effectibus sacramenti Euchelæi.

Theologiæ catholicæ doctrina est Extremam Unctionem non præbendam esse nisi fidelibus usum rationis jam adeptis, qui gravi morbo laborant, vel senio confecti sunt. Huic doctrinæ plane assentiunt theologi russi, inde a sæculo XVII. In suo trebniko, Petrus Moghila, in instructione dogmatica et practica ad parochos officio Euchelæi præfixa, ad mentem

1. Olim, in quibusdam Ecclesiis Occidentis, hoc sacramentum a pluribus sacerdotibus conferebatur.

2. *De concordia Ecclesiæ occid. et orient.*, etc., l. V, c. VI.

3. Goar, *op. cit.*, *nota 37 in officium sancti Olei*, p. 354-356, fuse evolvit has rationes, objectionesque adversariorum convellit.

4. Sic Simeon Thessalonicensis, *Responsum XLVIII ad Gabrielem Pentapolitanum*, *P. G.*, t. CLV, col. 893 C. Cf. *De sacro ritu Euchelæi*, *ibid.*, col. 517 B; cujus tamen verba de liceitate, non de validitate intelligi possunt. Athanasius Pariensis, e contra, Ἐπιτομὴ τῶν θείων δογμάτων, p. 384, tres presbyteros omnino necessarios esse contendit : « hoc enim sacramentum, inquit, non est de necessitate salutis. »

theologorum catholicorum omnino loquitur : « Hoc sacramentum nullo modo conferendum est corpore sanis, cum Jacobus apostolus aperte dicat illud dandum esse infirmis. Cave ergo, presbyter, ne oleo sancto sanum inungas. Et non quibuscumque infirmis ministrandum est, sed iis tantum qui graviter ægrotant, et in periculo mortis versantur, vel senibus pene confectis [1]. » In euchologio patriarchæ Niconis anno 1658 edito, eadem fere repetuntur [2]. Unde theologi russi subsequentes communiter docuerunt subjectum hujus sacramenti esse fidelem orthodoxum jam confessum et gravi morbo laborantem [3]; quibus consentiunt theologi serbi et rumeni [4]. Certum est tamen olim viguisse in Russia praxim ungendi, præter ægrotum, omnes officio Euchelæi adsistentes, quemadmodum apud Græcos fiebat. Hujus consuetudinis aliquod vestigium recentissime adhuc retinebatur in laura sanctissimæ Trinitatis seu sancti Sergii, prope Mosquam, ubi, feria quinta in Cœna Domini, vel Sabbato

1. *Trebnik*, p. νμε'-νμη'.

2. Euchologium Niconis remansit exemplar authenticum euchologii Ecclesiæ russicæ.

3. Quidam theologi russi, ut Plato Levkhin, *Orthodoxa doctrina*, III pars, c. xxxix; Theophylactus Gorskii, *op. cit.*, p. 247-258; Philaretus Drozdov, *Catechismus major* (ubi traditur definitio Euchelæi, non loquuntur expresse de morbo gravi, sed de infirmis et aegrotis in genere. Plerique tamen gravitatem morbi memorant. Sic Sylvester Lebedinskii, *op. cit.*, p. 547 : « Subjectum Extremæ Unctionis, inquit, sunt soli infirmi et de vita periclitantes, baptizati, quique paulo antea patri suo spirituali quidquid deliquerant confessi sunt. Hinc nec ii qui prælium ingrediuntur, nec ii qui periculosam navigationem suscipiunt, nec qui capitis ad supplicium rapiuntur, hujus sacramenti sunt capaces; si quidem sano sunt corpore et firmo. Non debet etiam infantulis baptizatis hoc sacramentum ministrari, quia nullum adhuc peccatum actuale admiserunt, nec iis imminet aliqua tentatio gravis a dæmonibus. Porro adultis et ratione pollentibus non debet ministrari ante annos saltem duodecim, ut fert usus et consuetudo Ecclesiae (!). » Sic etiam Philaretus Gumilevskii, *op. cit.*, t. II, p. 201; Antonius Amphiteatrov, *op. cit.*, ed. græca, p. 365; Macarius, *op. cit.*, t. II, p. 470-471; Perov, *Theologia polemica*, p. 12; Bielaev, art. *Eleosviachtchenie*, in t. V *Encyclopaediæ theologiæ orthodoxæ*, col. 404-405. Auctorem cujusdam articuli de Extrema Unctione in *Pribavleniia ad opera sanctorum Patrum*, t. XVII (1858), p. 580-627, editi solum inter Russos, invenimus qui dixerit *morbum levem* sufficere ad receptionem sacramenti.

4. Cf. Firmilian, *op. cit.*, t. II, p. 130; Olariu, *op. cit.*, p. 318.

Sancto, sacro oleo ungebantur omnes in missa communicaturi [1]. Cæterum nota theologos russos qui, ut supra vidimus, in Ecclesiam romanam invehuntur quasi solis moribundis hoc sacramentum reservet, et ipsos conqueri quod in Russia fideles Euchelæum postulent solummodo cum jam infirmus in extremo agone sit positus [2].

Subjectum hujus sacramenti esse tantum corpore infirmum, non vero sanum et bene valentem, non uno probatur traditionis Ecclesiæ byzantinæ documento. Primum quidem, si officium Euchelæi inspicias, etiam prout occurrit in antiquioribus codicibus, invenies illud semper celebrari super infirmo, ἐπ 'ἀρρώστου, qui advocavit septem presbyteros et « facit Euchelæum », ποιεῖ τὸ εὐχέλαιον, ut fert græca locutio. In ipso textu diversarum orationum, canticorum vel lectionum, frequens mentio fit de infirmitate vel morbo corporali, frequens petitio sanitatis [3]. Verum quidem est in quibusdam codicibus ex vetustioribus indicari praxim oleo sacro ungi omnes circumstantes; et non solum circumstantes, sed etiam ipsam infirmi domum ejusque portas ac fenestras. Sed ex contextu satis apparet hoc ad quoddam sacramentale, de cujus liceitate et convenientia disputare fas sit, revocandum esse. Revera Jobus monachus, circa finem sæculi XIII, solos ægrotos, vel potius moribundos notat tanquam hujus sacramenti capaces [4]. Ex quibusdam vero codicibus manuscriptis sæculi XIII, colligere licet morem tunc obsolevisse ungendi circumstantes et domum infirmi [5].

1. Cf. Bielaev, *art.* et *loc. cit.*, col. 406.

2. Bielaev, *art. cit.*, col. 405. Svietlov, *Doctrina christianæ fidei*, Kioviæ, 1910, t. I, p. 193.

3. Lege, v. g., canonem Arsenii : In sola ode tertia hæc occurrunt : « Τῷ ἀσθενοῦντι δεινῶς δός, Χριστέ, τὴν χάριν σου ἄνωθεν; *Gravi infirmitate detento da, Christe, gratiam tuam desuper;* — Σῶσον ἐν ἐλέει τὸν κάμνοντα: *Misericorditer salva ægrotantem;* — Τὴν πικρὰν κάκωσιν λῦσον τοῦ νοσοῦντος : *Acerbos solve dolores laborantis.* »

4. Notabile omnino est quod Jobus de Euchelæo loquitur tanquam de sacramento prope morituris conferendo. En quædam brevia excerpta ejus tractatus : « Πρὸς ταῖς ἐσχάταις ἀναπνοαῖς ἡμῖν ὀφειλόμενον τὸ εὐχέλαιον. — Καὶ τὸ μὲν κατ' ἀρχὰς καὶ πρὸ πάντων τῶν μυστηρίων (agitur de baptismo), τὸ δὲ (= τὸ εὐχέλαιον) ἐν τέλει τοῦ βίου καὶ μετὰ πάντα. »

5. Cf. cod. *Sinait. 960*, Dmitrievskii, p. 197 sq.: cod. *189* Lauræ sancti Athanasii Athonensis, *ibid.*, p. 184 sq.

Difficilius vero probari potest Byzantinos olim tribuisse Euchelæum solis *gravi* morbo vel infirmitate laborantibus. Si res ex codicibus dirimenda sit, fatendum est hoc sacramentum sæpe datum fuisse infirmis vel senibus virium satis adhuc habentibus, ut ad Ecclésiam se conferre potuerint, imo ibidem per plures dies commorari [1]. Cæterum, cum plerique infirmi vel ægroti non ita fortunati fuerint, ut septem, vel saltem tres presbyteros advocare potuerint, omnino verisimile est illud solis divitibus ordinarie collatum fuisse. Euchelæum apud Byzantinos fuit, ut ita dicam, *un sacrement de luxe.*

De more Græcorum hoc sacramentum corpore sanis conferendi tanquam pœnitentiæ complementum et ad communionem præparationem, superest ut quædam dicamus. Hunc morem originem traxisse ex praxi supra notata ungendi omnes officio Euchelæi adsistentes, omnino certum videtur. Progrediente tempore, quidam theologi dissidentes opinati sunt hanc unctionem sanis collatam verum esse Euchelæi sacramentum in remedium morborum spiritualium. Primus qui hoc expresse docuerit videtur fuisse Simeon Thessalonicensis. In *Responsione LXXV ad Gabrielem Pentapolitanum*, hæc habet ille : « Sacrum autem Oleum omnino necessarium est ut sacer ritus et unum de septem sacramentis, pro infirmis, ut traditione accepimus, et pro fideli omni ad tremenda mysteria accedere desideranti, vel potius pro omni peccatore, qui jam pœnitentiæ canonem adimplevit, et ad communionem properat [2]. » Eamdem doctrinam invenire est apud multos theologos neo-græcos, v. g., apud Antonium Moschopulum [3]; apud Theophilum Papa-

1. Hæc enim leguntur in cod. *Sinait. 960* : « Qui debet « facere Euchelæum » (id est, illud recipere) per septem dies neque se exuit neque se lavat, sed permanet in Ecclesia usquedum septem dies compleantur; septem vero presbyteri sacrificium offerunt per septem dies successive pro infirmo illo; postquam autem septem dies completi sunt, se lavat et vestimenta mutat », etc. Dmitrievskii, p. 202. Usus ungendi infirmum per septem dies viguit etiam in quibusdam locis Occidentis. Cf. Goar, *Nota 37 ad Euchologium, op. cit.*, p. 356.

2. *P. G.*, t. CLV, col. 932 C.

3. Ἐπιτομὴ τῆς δογματικῆς καὶ ἠθικῆς θεολογίας, Cephaloniæ, 1851, p. 469.

philum [1]; apud Mesoloram [2]; apud C. Rhalli [3], Andrutsum [4], Dyvuniotam [5], in multis catechismis recenter editis [6]. Sæculo XVIII ineunte, Renaudotius putabat hanc unctionem bene valentium « Græcis non haberi tanquam verum sacramentum, sed tanquam aliquod sacramentale [7]. » Ex dictis constat hanc sententiam amplius sustineri non posse. Quamvis enim theologi neo-græci non pauci doctrinæ catholicæ suffragati fuerint [8], et adhuc favere videantur [9], plerique tamen ex illis sententiæ contrariæ hodie adhærent; quibus consentiunt etiam ex Russis aliqui contra praxim Ecclesiæ suæ [10].

Si quis vero ritum ungendi sanos oleo sancto non tanquam verum sacramentum, sed tanquam aliquod sacramentale consideret, hic quibusdam irreprehensibilis haberi poterit. Ita censet Goarius, qui similem usum in Occidente olim exstitisse probat ex sacramentario gregoriano [11].

1. Ταμεῖον ὀρθοδοξίας, Athenis, 1908, p. 51 : « Πολλοὶ γνώμην ἔχουσιν, ὅτι εἰς τοὺς ἀσθενεῖς καὶ μόνον τὸ Εὐχέλαιον ἐνεργεῖται, ἀλλ' ἡ παράδοσις τῆς Ἐκκλησίας καὶ ἐν ἄλλοις καιροῖς τὸ ἐνεργεῖ. »

2. Mesoloras, *op. cit.*, p. 365.

3. Περὶ τῶν μυστηρίων τῆς μετανοίας καὶ τοῦ εὐχελαίου, Athenis, 1905, p. 115.

4. Andrutsus, Δογματική, p. 405.

5. *Op. cit.*, p. 193.

6. Vide catechismos Baphidis, Constantinopoli, 1886, p. 109; Sungræ, p. 65; Gegle, p. 84; C. Koidakis, p. 183 : « Ἡ ὀρθόδοξος Ἐκκλησία ὡς ἄριστα πράττουσα ἐκτελεῖ τὸ μυστήριον οὐχὶ μόνον ἐπὶ τῶν ἀσθενούντων σωματικῶς, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῶν ἀσθενούντων μόνον ψυχικῶς, καὶ διὰ τοῦτο ἐκτελεῖ αὐτὸ καὶ πρὸ τῆς θείας εὐχαριστίας κατὰ τὸ πάσχα καὶ τὰ Χριστούγεννα. »

7. *Perpétuité de la foi catholique, etc., ed. cit.*, col. 925.

8. V. g., Gabriel Severus, Gregorius Chiensis, Joannes Nathanael (cf. supra, p. 477, nota 5), etc.

9. Multi catechismi græci de solis infirmis loquuntur, de bene valentibus vero omnino tacent. Ita catechismi Bernardakis, Damasceni Christopuli, Khamudopuli, Diomedis Kyriaki, Nicolai Metaxæ, etc. Præterea notandum est in moderna Græcia vulgari translationes operum Russorum, in quibus aperte docetur Euchelæum dandum non esse nisi *graviter* ægrotantibus. Cf., v. g., versionem *Theologiæ* Antonii et *Enchiridii* Macarii.

10. Cf. Maltzev, *Die Sacramente*, p. 549-550. Fuerunt etiam quidam Catholici qui validitatem Euchelæi sanis collati propugnaverint. Cf. *Slavorum litteras theologicas*, 1905, p. 8.

11. *Nota 3 ad Euchologium*, p. 349-350.

De effectibus hujus sacramenti theologi dissidentes cum Catholicis consentiunt. Quidam tamen tanquam primarium effectum ponunt sanitatem corporis, secundarium vero, remissionem peccatorum, quod ex textu sancti Jacobi manifestum esse contendunt [1]. Alii, ut supra diximus [2], in sententiam Catholicorum insurgunt, qui inter effectus sacramenti recensent gratiam confortantem animam contra difficultates occurrentes in articulo mortis [3]; cæterum, contradicunt alii non pauci [4].

ARTICULUS V

De Euchelæo mortuorum.

In quibusdam euchologiis manuscriptis sæcul. xv et xvi necnon in editis Venetianis (1544, 1559, 1570), occurrit novus ac mirandus ritus Euchelæi mortuorum, τὸ νεκρώσιμον ἔλαιον, a septem pariter presbyteris persolvendus « ad cujuspiam defuncti animam piis precibus, canticis, epistolis, evangeliis, alterius vitæ pœnis acerbioribus sublevandam; qui ritus idem fere est [mutatis tamen precibus ac lectionibus sacræ Scripturæ] ac ritus Euchelæi vivorum, nisi quod in defuncti sepulcro papyrus oleo tincta ab unoquoque sacerdotum accenditur, qua, velut sacrificio, delictis ab omnibus anima promittitur expianda et quibuscumque pœnis eximenda [5]. » Hujusmodi officium saltem a sæculo xiii repe-

1. Ita Athanasius Pariensis, *op. cit.*, p. 383 : « Προηγουμένως ὑπὲρ ὑγείας τῶν σωματικῶς ἀσθενούντων ὑπὸ τοῦ ἁγίου Πνεύματος διατεταγμένον. » Dyovuniotis, *op. cit.*, p. 193.

2. P. 475.

3. Macarius, p. 474; Mesoloras, p. 364-365; Malinovskii, p. 450-451; Dyovuniotis, p. 194-195.

4. Sylvester Lebedinskii, p. 550 : « Ad unctionem extremam libenter suscipiendam commovere nos debent : 1) *necessitas;* cum enim in ultimo agone pugna pugnanda sit, a quo tota pendet æternitas, merito omnia media, quæ ad felicem illius successum præcipue conducunt, adhibentur », etc.; Philaretus Gumilevskii, p. 198-199; Gabriel Severus, *op. cit.*, p. 139-140 : « Si quis unctus defunctus fuerit, et abeat hinc ad mansiones æternas, oleum præbet ipsi facile ascendere, cum impuri spiritus aerii non audeant ipsi appropinquare, ἂν τῶν ὠδὶ ἀπέλθῃ ὁ χρισθεὶς πρὸς τὰς ἐκεῖθεν μονάς, ῥᾳδίως ἀνέρχεσθαι αὐτὸν παρασκευάζει, τῶν ἀερίων ἀκαθάρτων πνευμάτων προσεγγίσαι οὐ τολμώντων αὐτῷ. »

5. Goar, *op. cit.*, p. 317.

tendum esse [1] exinde compertum est, quod Nicephorus II, patriarcha Constantinopolis (1260-1261), de eo tanquam de abusu damnando decretum edidit [2]. Ex hoc vero decreto colligitur sæculo XIII τὸ εὐχέλαιον νεκρώσιμον iisdem ad verbum constitisse precibus ac lectionibus, quibus Euchelæum infirmorum, ita ut totum cum vero mortuorum statu mire pugnaverit. Postea vero, ordine ἀκολουθίας eodem fere remanente, preces speciales concinnatæ sunt lectionesque scripturales delectæ, ad statum defunctorum fidelium accommodatæ [3]. Hoc modo reformatum, Euchelæum mortuorum speciem alicujus sacramentalis induit, de cujus opportunitate dubitandi remanet locus; periculum enim est ne pro vero sacramento a quibusdam habeatur. Simeon Thessalonicensis hujusmodi ritum non damnat, sed expresse docet eum non esse sacramentum [4]. Cæterum, nostris diebus, penitus obsolevit.

1. Quidam illud tribuunt Nicolao Haghiotheodoritæ, Athenarum metropolitæ, qui sæculo XII vivebat. Cf. Lequien, *Oriens christianus*, t. II, col. 173-174.

2. Hoc edidit Mai in t. IV *Bibliothecæ novæ* ex codice *Ottob. 418* (in *P. G.*, t. LXXXVI, col. 2400 in nota, et t. CXL, col. 805-808), et M. Gedeon, Κανονικαὶ διατάξεις, t. II, p. 43-45.

3. Cf. Dmitrievskii, *op. cit.*, p. 336, 444, 659, 843-844, etc.

4. « Pro mortuis in Christo, inquit, quidam hic observant ritum, quem nonnulli pontificum fieri prohibent, ut nusquam ex Scripturis traditum, alii non item, ut qui pro animabus fiat. Ego, quantum licuit, de his perscrutatus, non illicite fieri, et observare volentes non esse prohibendos comperi; verumtamen oleum istud non est a Salvatore aut ejus apostolis traditum. » *P. G.*, t. CLV, col. 521 BC. In quibusdam monasteriis græcis, mos olim exstitit celebrandi officium Euchelæi in cœmeterio fratrum; quo persoluto, unus ex septem presbyteris ad monasterium se conferebat, ubi oleum benedicebat et singulos monachos ungebat. Cf. Golubtsov, *art. cit.*, p. 125.

I

AUCTORUM INDEX ALPHABETICUS[1]

A

Adrianus, patriarcha Mosquensis, 291, 300.
Alexander I, papa (S.), 248.
Alexander II, tsarus, 159.
Alexander Halensis. 336.
Alexius I Comnenus, 451, 471.
Allatius L., 105, 185, 190, 193, 197, 226, 247, 250, 276, 280, 320, 389.
Allentov B , 481.
Almazov A. J., 20, 63, 109, 302, 396, 456.
Ambrosius, starovierus, 431.
Amvrazis N., 250.
Anastasius Sinaita, 203, 325, 336, 446.
Andreas Cretensis (S.), 203, 236.
Andrieu L., 219, 226, 231, 232.
Andrutsus Chr., 12, 36, 37, 41, 44, 46, 51, 52, 53, 55, 60, 61, 68, 721 78, 83, 88, 96, 98, 99, 101, 102, 118, 120, 150, 162, 181, 213, 231, 239, 251, 292, 329, 331, 337, 341, 342, 350, 376, 398, 419, 437, 439.
Anselmus Havelbergensis, 250.
Anthimus VI, patriarcha Constant., 383.
Anthimus VII, patriarcha Constant., 70, 251, 292, 376.
Antonius Amphiteatrov, 35, 67, 161, 168, 349, 352, 413, 454, 485.
Antonius Khrapovitskii, Kioviensis, 24, 25, 100.
Arcudius P., 6, 39, 83, 84, 87, 122, 133, 140, 146, 171, 193, 225, 266, 276, 303, 340, 383, 402, 413, 414, 443, 484.
Argentis Eustratius, 67, 72, 78, 241, 251, 292, 302, 310, 329,
Arnauld A., 193.
Arsenii, epsicopus, 240, 251.
Arsenius, melodus, 479, 486.
Asterius Amasiensis (S.), 139.
Astrov Iv., 425.
Athanasius (S.), 89, 262, 326.
Athanasius Cydonius, 250.
Athanasius Pariensis, 14, 25, 52, 72, 78, 96, 123, 212, 267, 325, 397, 405, 458, 484, 489.
Athanasius III Patellarus, patriarcha Constant., 381.
Augustinus (S.), 89, 262, 326.
Auxentius, monachus, 78, 111.
Avvakum, 94, 301.

B

Balanus)S.), 41, 217.
Balduinus, imperator Constantinopolis, 365.
Balsamon Theodorus, 105, 108, 152, 155, 156, 224, 337, 364, 402, 420, 421, 437, 456.
Bandinelli Rolandus, 194.
Baphides C., 97, 455, 488.
Barsov E. V., 156.
Basilakis, 318
Basilius (S.), 47, 97, 121, 122, 262, 326, 394.

1. Compendiorum dogmaticæ theologiæ auctorum nomina, cum ubique fere et quandoque haud semel in eadem pagina occurrant, non indicantur nisi ubi eorum locus aliquis ad verbum exscribitur, aut latine vertitur.

Basilius Akridensis, 104.
Basilius Smyrnensis, 59, 433.
Batiffol P., 202, 204.
Bell K. A., 440.
Bellarminus (B.), 171, 413.
Benedictus XIV, papa, 404, 444.
Benzelius Henricus, 383
Berdnikov J. C., 458
Bernardakis, 52, 78, 97, 292, 336, 351, 427, 440, 445.
Bessarion, cardinalis, 197, 208, 270, 275, 295-296.
Beveridge, 137.
Bielaev A., 485, 486.
Bieliaev N. I., 217, 345, 348, 378.
Blastares Matthaeus, 72, 87, 224, 225, 250, 402.
Bogomili, 184, 185.
Bonacursius, 196.
Borgia Nilus, 313, 316.
Boris Godunov, starus, 258.
Bretz A, 139.
Brightman, 145, 152, 268, 269, 272.
Brinktrine, 272.
Brooks W., 123
Bryennius Josephus, 19, 25, 62, 81, 251, 368, 438.
Bukovvski A., 346, 349, 377.
Bulgaris Nicolaus, 6, 50, 316, 335, 399, 407, 412, 413, 452.

C

Cabasilas Nicolaus, 6, 48, 147, 154, 180, 206, 222, 223, 229, 269, 284-287, 305-307, 315, 326-329.
Cærularius Michæl, 62, 70, 104, 225.
Calecas Manuel, 19, 33, 197, 207.
Calixtini, 178.
Callinicus, 338.
Callinicus II, patriarcha Constans., 195, 213, 214, 231, 383, 387.
Callinicus IV, patriarcha Constant., 112.
Callinicus V, patriarcha Constant., 78.
Callistus I, patriarcha Constant., 71.
Callistus III, patriarcha Constant., 133.
Cassianus Joannes, 350.
Catharina II, imperatrix Russorum, 158.
Catoire A., 433.
Cavallera F., 123.
Cayré F., 467.
Cedrenus, 280.
Chardon, 170.
Christodulu Apostolus, 52, 78, 118, 350.
Christophorus Ætolus, 78.
Chrysanthus, patriarcha Hierosolymitanus, 6, 198, 214, 335, 362, 374, 375, 382, 419.
Cinnamus J., 104, 320.
Clugnet Leo, 405.
Codex juris canonici latini, 135, 447, 470.
Confessio fidei Michaelis Palæologi, 16, 134, 163, 196, 197, 234, 333, 353, 396, 369, 477.
Confessio orthodoxa (Petri Moghilæ), 13, 22, 25, 34, 87, 95, 129, 130, 136, 139, 142, 149, 187, 188, 198, 213, 290, 298, 309, 329, 359, 404, 406, 411, 412, 449.
Constantius I, patriarcha Constant., 132, 383, 387.
Constitutiones apostolicæ, 202, 401.
Contra Francos, 237.
Corais D., 395.
Coressius Georgius, 288, 361, 444.
Cosmas (S.), melodus, 236.
Cosmas II Atticus, patriarcha Constant., 185.
Critopulus Metrophanes, 14, 21, 30, 87, 215, 237, 243, 303, 334, 360, 361, 404, 459, 479, 480.
Crusius Martinus, 382, 383, 385.
Cyprianus I, patriarcha Constant., 113, 114.
Cyprianus Carthaginensis (S.), 89.
Cyprianus Kioviensis, 74.
Cyrillus Alexandrinus (S.), 203, 260, 311.

Cyrillus V, patriarcha Constant., 72, 78, 85, 95, 111, 112, 124.
Cyrillus VI, patriar Constant., 101.
Cyrillus, Cypri metropolita, 440.
Cyrillus Hierosolymitanus (S.), 47, 89, 137, 139, 204, 261, 262, 326, 329.

D

Damalas N., 52, 78, 96.
Damascenus Chirstopulus, 101.
Damascenus Studita, 20, 21.
Damianus, patriarcha Hierosolymitanus, 440.
Delicanis, 433.
Demetracopulus A., 320.
Demetrius Chomatenus, 101, 106, 133, 153, 249, 252, 253, 421, 437, 438, 460, 461.
Demetrius Tuptalo, Rostoviensis, 300.
Didymus Alexandrinus, 89.
Dionysius Alexandrinus (S.), 89.
Dionysius Areopagita, 8, 15, 202.
Dionysius IV, patriarcha Constant., 22, 189.
Dmitrievskii A., 135, 136, 138, 140, 141, 185, 270, 415, 481-483, 486, 487, 490.
Dometskii Gabriel, 300.
Dorotheus Mitylenensis, 164, 190, 221, 442.
Dositheus, patriarcha Hierosolymitanus, 9, 13, 22, 49, 51, 60, 77, 86, 96, 99, 129, 130, 149, 178, 188, 189, 195, 198, 211, 222, 230, 290, 301, 330, 352, 360, 378, 399, 422, 423.
Doto Andreas 196.
Duchesne L., 171.
Duglas S. A., 121.
Duperron, cardinalis, 276.
Dyovuniotis K. I., 6, 11, 12, 30, 36, 37, 41, 44, 51, 52, 53, 55, 60, 69, 73, 78, 85, 88, 96, 99, 101, 102, 121, 130, 140, 142, 150, 216, 239, 289, 329, 335, 350, 376, 397, 407, 413, 420, 439, 445, 459.

E

Economul St. Calinescu, 349, 455.
Ekzemplarskii V. I., 424.
Epiphanius (S.), 71, 401.
Euchologium Graecorum : 80, 82, 132, 143, 145-147, 151, 182, 183, 199, 228, 257, 264-272, 312, 313, 338, 339, 378, 383, 384, 385, 396, 402, 405, 406, 408-410, 412-415, 417, 419, 453, 454, 480-482, 489, 490.
Eugenius IV, papa, 295.
Eulogius Alexandrinus (S.), 67.
Eunomiani, 71.
Eusebius Cæsariensis, 202, 312, 329.
Eusebius, Vinitzæ episcopus, 6, 80.
Eustathius Dyrrachiensis, 318.
Eustratiades S., 230, 231.
Eustratius Nicænus, 208, 318.
Eutaxias I, 473.
Euthymius, monachus, 291.
Euthymius Zigabenus, 185, 205, 208, 236, 238, 282.
Eutychius, patriarcha Constant. (S.), 190, 203, 228, 311, 312, 314.

F

Felix II, antipapa, 249.
Feodorus, diaconus, 301.
Feodorus Ivanovitch, tsarus Russorum, 157.
Ficker G., 184, 185, 281.
Firmilian, 349, 455, 485.
Firmilianus Cæsariensis, 89.
Fortunatov, presbyter, 23.
Franciscus de Vouillé, 307.
Friedrich, 36.

G

Gabriel Severus, 6, 9, 13, 26, 30, 31, 32, 34, 37 43, 49, 65, 67, 68, 69, 84, 140, 167, 181, 192, 193, 210, 221, 239, 245, 247, 249, 288, 334, 340, 341, 358, 359, 375, 396, 398, 404, 411, 418, 446, 448, 449, 489.

Gabriel III, patriarcha Constant., 265.
Gagarin, 369.
Galtier, 171, 172.
Gasparri P., 413.
Gedeon M., 95, 111, 113, 196, 280, 490.
Gegle G. S., 81, 401, 459.
Georgius II Xiphilinus, patriarcha Constant., 105, 108, 324.
Gerasimus II, patriarcha Alexandrinus, 265.
Germanus I, patriarcha Constant. (S.), 313, 315, 316.
Germanus II, patriarcha Constant., 105, 108, 324.
Germanus Pessimandrus, Cyprius 16, 383, 384, 385.
Ghermogen, episcopus, 6.
Ghisel Innocentius, 297.
Giannopulus N, J., 384.
Glykas Michael, 43, 206, 230, 238, 242, 281, 306, 321-325, 333, 353, 367, 446.
Goarius, 81, 82, 132, 137, 171, 337, 338, 340, 343, 414, 484, 487, 488, 489.
Golubinskii E., 92, 110,
Golubovich G., 197, 234, 254.
Golubtsov A., 481, 490.
Gorskii A. V., 152, 156, 157, 158.
Gorskii Theophylactus, 9, 11, 14, 75, 291, 341, 347, 450, 479, 485,
Gortchakov M. J., 424.
Goudal E., 393.
Gregoras Nicephorus, 153, 186.
Gregorius VI, patriarcha Constant., 376.
Gregorius IX, papa, 92, 281.
Gregorius Chiensis, 210, 335, 361.
Gregorius Magnus (S.), 70, 164.
Gregorius Naziamzenus (S.), 67, 89, 101, 102, 312, 421.
Gregorius Nyssenus (S), 195, 204, 259, 310, 446.
Grenkov A., 72, 79, 92, 93, 115, 117.
Grigorevskii, 345.
Guibert (de), 135.
Gulielmus Antisiodorensis, 336.

H

Habertus Isaac, 413.
Hadschits J., 466.
Hallier F., 413.
Hanssens J. M., 417.
Harmenopulus C., 174, 226.
Hauler E., 271.
Hefele, 171, 434.
Hergenröther, 67, 105, 145, 170, 184, 426, 468.
Hesychius Hierosolymitanus, 260, 311, 325.
Holl Karl, 365.
Holstenius L, 170.
Honorius III, papa, 92.
Hugo Etherianus, 91, 441.
Humbertus, cardinalis, 91, 177, 178, 237, 242.
Hurmuzaki, 94, 282.
Hypsilantis, 113.

I

Iastrebov M. 6, 42, 289, 291, 297, 336, 348, 424.
Iavorskii Stephanus, 211, 212, 300, 301, 361.
Ignatius, archiepiscopus, 6, 160.
Ignatius Antiochenus (S), 401.
Ignatius, patriarcha Mosquensis, 92.
Ilinskii Th, 66, 449.
Innocentius papa I (S), 89.
Innocentius IV, papa, 404, 477.
Innocentius Novogorodov, 348, 377.
Irenaeus (S.), 258, 259.
Isidorus Kioviensis, 288, 295.
Ivanus IV, Isarus Russorum, 157, 469.

J

Jacquemier G., 476.
Jeremias II, patriarcha Constant., 13, 21, 25, 31, 34, 57, 62, 66, 77, 130, 131, 215, 329, 331, 334, 354, 359, 378, 382, 400, 426, 446, 452.

Jeremias III, patriarcha Constant., 77, 93, 113, 114, 124.
Joachimus II, patriarcha Constant., 124.
Joakimus, patriarcha Hierosolymitanus, 381.
Joannes Cantacuzenus, imperator, 154, 186.
Joannes Caryophyllus, 214.
Joannes Chrysostomus (S.), 6, 84, 195, 236, 238, 240, 259, 261, 263, 274, 275, 291, 311, 312, 329, 446.
Joannes Damascenus (S.), 38, 47, 66, 67, 183, 195, 203-205, 208, 218, 273-277, 304, 446.
Joannes Eugenicus, 238, 239.
Joannes Hierosolytaminus, 240, 244, 245.
Jaonnes Kitrius, 106, 456.
Joannes Moschus, 82
Joannes IV Oxita, patriarcha Antiochenus, 234, 238, 242, 247, 250, 364.
Joannes II, Kioviensis, 107, 452.
Joannes III Scholasticus, patriarcha Constant., 435.
Joannes X Camaterus, patriarcha Constant., 324.
Joannes XIII Glykys, patriarcha Constant., 462.
Joannes V, Palæologus, 469.
Joannes III Dukas. imperator Nicænus, 153.
Joasaphus Ephesius, 20, 396.
Joasaphus II, patriarcha Constant., 157.
Jobus Iasita, 6, 17-19, 25, 26-30, 33, 34, 47, 48, 60, 61, 105, 106, 108, 147, 154, 174, 333, 410, 411, 452, 477, 478, 483, 486.
Jobus monachus (sæc. VI), 264, 265.
Jobus, patriarcha Mosquensis, 426.
Jonas, metropolita Mosquensis, 92.
Jonas, metropolita Saraiensis, 92.
Josephus Methonensis, 207.
Josephus, patriarcha Mosquensis, 450.
Jugie M., 144, 196, 279, 347.
Justinianus I, imperator, 265, 401, 460, 461, 466.
Justinus (S.), 258.

K

Kalaidovitch, 107.
Kalogheras N., 109.
Karamsin, 74.
Katanskii A., 481.
Kattenbusch F., 218, 367.
Kephalas Nectarius, 6, 166, 292, 351, 400.
Khamudopulus, 52, 176.
Khotovitskii A. A., 425.
King Johan, 386.
Kireev, 217.
Kodeko, 381.
Koidakis C. G., 52, 69, 96, 136, 395, 413, 433, 459, 488.
Kormtchaia Kniga, 450, 457.
Korolevsky C., 336, 339.
Kossovius Sylvester, 297.
Kovalev, 100.
Kursulas Nicolaus, 361, 378, 379, 383.
Kuznetsov N. D., 425.
Kymenites Sevastus, 222, 291.
Kyriakus Diomedes, 445.

L

La Taille (M. de), 276.
Lazarus, starovierus 301
Lebedev A. P., 381, 382.
Lebedinskii Sylvester, 10, 11, 22, 30, 35, 38, 43, 46, 64. 66, 67, 72, 76, 129, 130, 139, 151, 160, 181, 215, 232, 291, 335, 341, 347, 348, 397, 405, 407, 413, 420, 450, 451, 459, 479, 483, 485, 489.
Leib B., 234.
Leo VI Sapiens, imperator, 451, 462, 463, 468, 471.
Leo Achridanus, 237, 316.
Leontius Byzantinus, 203.

Lequien, 20, 196, 253, 322, 364, 366, 490.
Leunclavius, 106, 254, 366, 403, 456.
Likhudes (Fratres), 291, 299, 300.
Liturgia S. Basilii, 202.
Loch Valentinus, 361
Lucaris Cyrillus, 22, 187.
Lucas Chrysoverges, patriarcha Constant., 456.

M

Macarius Amidensis, 438.
Macarius Ancyranus, 104, 108, 236, 238, 242, 245, 251.
Macarius Antiochenus, 93, 133, 382, 438.
Macarius Bulgakov, 35, 52, 93, 100, 101, 142, 144, 160, 162, 168, 239, 289, 331, 348, 377, 391, 397, 413, 419, 437, 439, 453, 454, 459, 475, 483, 485.
Macarius Magnes, 203.
Macarius, metropolita Mosquensis, 157.
Macedo Franciscus, 245, 247.
Macræus Sergius, 113, 357.
Mai A, 146, 490.
Malatakis M., 384.
Maldonatus, 35, 171.
Malevanskii Sylvester, 127, 292, 348, 377, 424, 475.
Malinovskii N., 11, 14, 26, 35, 37, 42, 45, 54, 59, 60, 62, 65, 68, 80, 100, 127, 136, 138, 142, 160, 175, 239, 255, 289, 329, 331, 337, 348, 377, 391, 392, 399, 405, 419, 439, 454, 459, 475, 483.
Maltzev A. P., 6, 52, 116, 134, 157, 161, 190, 289, 349, 386, 399, 405, 424, 439.
Malvy A. — M. Vllier, 214, 298, 412.
Mansur Petrus, 283, 322.
Manuel Comnenus, imperator, 104, 319,
Manuel Corinthius, 83, 288.
Manuel II, patriarcha Constant., 462.
Many Ser., 413.
Marcovitch, 92.
Marcus Ephesius, 77, 106, 109, 287, 288, 295, 353, 354, 378.
Martène, 481.
Maximus Confessor (S.), 446.
Medviedev Sylvester, 299.
Meletius, confessor, 62.
Meletius IV Metaxakis, patriarcha Constant., 440.
Meniates Elias, 251, 296, 352, 361, 362.
Mesoloras J., 41, 52, 59, 65, 68, 78, 88, 96, 100, 101, 118, 131, 137, 150, 161, 239, 292, 339, 376, 398, 413, 455, 483.
Methodius Smirnov, 22, 76.
Methodius I, patriarcha Constant., 146.
Methodius III, patriarcha Constant., 211, 221.
Metrophanes Smyrnensis, 170.
Michael Thessalonicensis, 310.
Michael VII, patriarcha Antiochenus, 382, 395.
Michael II Kurkuas, patriarcha Constant., 279.
Michael III, Anchialensis, patriarcha Constant., 104, 456.
Michalcescu, 349, 455.
Mikhaïl, hieromónachus, 74, 80.
Miklosich F., 71, 109, 133, 433 (voir Theiner A.).
Milasch Nicodemus, 51, 69, 118, 162, 349, 397, 428, 431, 433, 437, 439, 456, 460, 466, 472, 473.
Miliarakis, 153.
Mirkovitch, 266, 291, 297, 300.
Mislavskii Samuel, 347.
Mnischek Marina, 92, 115.
Moghila Petrus, 34, 49, 59, 68, 75, 94, 95, 116, 150, 174, 213, 223, 255, 290, 297, 299, 335, 339, 359, 368.
Morinus Joannes, 171, 396, 401-404, 406, 409-411, 414, 415, 418, 431-433, 449, 483, 484, 485.

Morozov, 75, 300.
Moschopulus A., 52, 335, 362, 453, 487.
Müller J., voir Miklosich.
Muraviev N. A., 94, 381, 426.
Murkos G., 382.

N

Nathanael Joannes, 299, 316, 478.
Nectarius Hierosolymitanus, 77.
Neophytus Reclusus, 324.
Neophytus Rhodinus, 81, 413.
Neophytus VII, patriarcha Constant., 490.
Nicephorus Chartophylax, 366.
Nicephorus I, patriarcha Constant. (S.), 184, 205, 278.
Nicephorus II, patriarcha Constant., 490.
Nicetas Acominatus, 146, 152, 153, 186, 230, 317, 320, 324.
Nicetas Mitylenensis, 456.
Nicetas Nicænus, 237, 249.
Nicetas Nicomediensis, 250.
Nicetas Pectoratus, 177, 207, 251.
Nicetas Seides, 236, 240, 247, 250.
Nicodemus Haghiorita, 338, 352.
Nicolaus Haghiotheodorita, metropolita Atheniensis, 490.
Nicolaus Hydruntinus, 177.
Nicolaus Methonensis, 185, 195, 206, 218, 229, 283, 304.
Nicolaus Mysticus, patriarcha Constant., 468.
Nicolaus I, papa (S.), 98, 126.
Nicolaus III Grammaticus, patriarcha Constantinopolis, 220.
Nicole, 193.
Nicon, patriarcha Mosquensis, 299, 450.
Nicon Raithuensis (Montis Nigri), 91, 104, 173.
Nilskii I., 80, 88, 94, 98, 117.
Nilus, Rhodi metropolita, 109, 302.
Niphon Novogrodiensis, 105, 107.
Novikov, 157.

O

Œconomus Constantinus, 73, 78, 100, 101, 395.
Olariu, 349, 455, 485.
Origenes, 202.

P

Pachymeres G., 166.
Paisius Alexandrinus, 93.
Paisius I, patriarcha Constant., 58, 215, 221.
Paisius II, patriarcha Constant., 152, 155, 420.
Palamas Gregorius, 186.
Palamitæ, 186.
Palladius, 202.
Pallavicini, 444.
Palmer W., 23, 73, 111, 124, 382, 426.
Palmieri A., 111, 114.
Palmov J., 178.
Panaretus (Matth. Angelus), 63, 177, 178, 224, 236, 240, 246, 247, 251, 254, 255, 293, 309, 390.
Papadopulus Chrysostomus, 79, 111, 113, 217, 440.
Papadopulus Kerameus, 383, 387.
Papaphilus Theophilus, 35, 52, 68, 133, 212, 316, 458, 459, 479, 487.
Parastron Joannes, 197.
Pargoire J., 16, 223, 248, 333, 363.
Paris A., 193, 305.
Parker Matthæus, 440.
Parthenius II, patriarcha Constant., 94, 95, 114.
Parthenius Hierosolymitanus, 382, 383.
Paschaleus Nicephorus, 338
Pauliciani, 184.
Paulus, Alepensis diaconus, 382,
Pavlov A., 237, 452, 464, 472.
Pepanus Demetrius, 219,
Pavlov A., 237, 452, 464, 472.
Pepanus Demetrius, 219.
Perov, I., 42, 83-85, 127, 176, 348, 391, 392, 445.

Persides Nicolaus, 351.
Pesch Chr., 374, 395.
Petit L., 77, 101, 111, 113, 116, 132, 144, 196, 198, 353, 384, 388, 389.
Petrides S., 109, 133, 219, 313, 316, 438.
Petrov Gabriel, 291, 347, 479.
Petrovskii A., 481.
Petrus Antiochenus, 104, 251.
Petrus Aurelius, 171.
Petrus Magnus, tsarus, 368, 472,
Petrus Siculus, 184.
Philaretus Drozdov, Mosquensis, 13, 46, 51, 64, 66, 76, 94, 100, 116, 124, 129, 134, 158, 159, 181, 198, 214, 215, 289, 316, 317, 348, 349, 397, 422-424, 427, 453, 485.
Philaretus Gumilevskii, Tchernigoviensis, 35, 52, 67, 136, 174, 215, 289, 413, 426, 444, 485.
Philaretus Nikititch, Mosquensis, 72, 92, 93, 124, 426.
Photius Kioviensis, 74.
Photius, patriarcha Constant., 67, 88, 103, 126, 144, 152, 169, 170, 172, 184, 205, 236, 318, 426, 437.
Pidalion, 53, 72, 78, 87, 97, 98, 103, 123, 222, 247, 251, 429, 433.
Pierling, 92.
Pigas Meletius, 13, 210, 232, 349, 350.
Pitra J. B., 101, 106, 121, 122, 133, 137, 153, 177, 249, 254.
Pitzipius J., 383.
Pius IX, papa, 448.
Plantinus Petrus, 322.
Plato Levkhin, 9, 22, 31, 64, 100, 174, 181, 215, 341, 395, 450, 485.
Plato, metropolita Mosquensis, 159.
Plotnikov K., 30, 55, 56, 59, 117, 176, 220, 303, 362, 393, 457.
Pokrovskii N., 156, 157, 159.
Polycarpov Fedor, 301.
Polyeucta, patriarcha Constant., 152, 155, 420.
Popler Guilelmus, 92.
Popov K., 156.
Popov N. G., 425, 434.
Procopovitch Theophanes, 75, 301, 472.
Psellus Michael, 156.
Pseudo-Germanus, 283.
Puller, 120.

R

Rascolniki Russi (popovtsy, bezpopovtsy, etc.), 30, 54, 55, 56, 59, 80, 88, 94, 98, 117, 176, 220, 301, 303, 362, 392, 393, 431, 457, 458.
Ratramnus, 170.
Renaudotius E., 193, 194, 198, 266, 314, 488.
Repa V., 374.
Rhallis C., 350, 434, 488.
Rhallis et Potlis, 110, 235, 471.
Richardus F., 478.
Richardus Simon, 192, 194.
Risso P., 63, 177, 233.
Romanus Lecapenus, imperator, 363, 364.
Rossum (cardinalis van), 413.
Rouët de Journel M. J., 481.
Russnak N., 297.

S

Sabbas, metropolita Serborum, 110.
Sakellraopulus, 52, 78. 96, 466, 467.
Salaville S., 257, 280.
Saltet L., 135, 170, 171, 430, 434, 435.
Samonas Gazensis, 208, 283.
Samuel Khanzeris, patriarcha Constant., 112.
Saphonovitch Theodosius, 297.
Sathas C. N., 113, 156.
Schaguna, 149.
Schelstrate, 194, 361.
Schliapkin, 300.

Schlumberger G., 152.
Scholarius Georgius, 107, 109, 177, 178, 191, 192, 198, 208, 230, 234, 237, 244, 293, 294, 356-358, 389, 430.
Schwarzlose K., 184.
Seraphimov A., 75, 80, 105, 117.
Serapio Thmuiensis, 202.
Seredinskii, 380.
Sergius Mosquensis, 160.
Sergius Viatkiensis, 49, 110, 118, 438.
Sickel W., 152.
Simeon Thessalonicensis, 6, 19, 20, 25, 31, 38, 39, 48, 56, 57, 62, 66, 82, 83, 85, 86, 127, 133, 142, 148, 154, 155, 157, 178, 191, 206, 221, 224, 226, 227, 229, 232, 236, 238, 266, 285-287, 302, 329, 333, 334, 335, 356, 366, 367, 368, 392, 395, 406, 407, 408, 415, 416, 419, 446, 448, 474, 477, 478, 482, 483, 484, 487, 490.
Simeon, Novus Theologus, 352, 365.
Simeon, patriarcha Hierosolymitanus, 240, 247, 249
Simeon Polotskii, 299.
Sirmondus, 171.
Skilitzes Joannes, 146.
Slavinetskii Epiphanius, 299.
Smirnov K., 24, 25.
Smirnov P., 80, 94, 301, 348.
Smirnov S. I., 65, 338, 358, 367.
Smirnov S. K., 458.
Sokolov I. I., 463.
Sokolov P., 94.
Sokolov V., 439.
Soterichus Panteugenus, 317-319.
Souarn S., 369.
Sozomenus, 71.
Spacil Th., 63, 121, 194, 257.
Staerk A., 63.
Staphylas-Petrunakis, 473.
Steitz, 194, 218.
Stourdza Alexander, 375, 376.
Strelbitskii I., 98, 117.
Subbotin, 301.
Suciu B., 347.
Suvorov N., 51, 365, 464, 467,
Svietlov P. I., 217, 349.
Synodicon Ecclesiæ Constantinopolitanæ, 319, 320.
Synodus Constantinopolitana (381), 90.
Synodus Constantinopolitana (920), 468.
Synodus Constantinopolitana (1156), 318.
Synodus Constantinopolitana (1158), 319.
Synodus Constantinopolitana (1484), 77, 108, 235.
Synodus Constantinopolitana (1638), 22, 187.
Synodus Constantinopolitana (1672), 22, 189.
Synodus Constantinopolitana (1722), 239, 245, 249.
Synodus Constantinopolitana (1727), 374, 375 Vide : Chrysanthus.
Synodus Constantinopolitana (1879), 59, 433.
Synodus Cypria (sub Germano), 16, 33, 34, 396, 400.
Synodus Florentina (1438-1439), 82, 98, 135, 164, 190, 224, 235, 294-296, 355, 442, 443.
Synodus Iasiensis (1642), 22, 187, 298.
Synodus Kioviensis (1640), 297, 298.
Synodus Lateranensis IV (1215), 91, 98, 195, 196.
Synodus Leopoliensis Ruthenorum (1891), 413.
Synodus Mosquensis (1620), 79, 92, 93, 115.
Synodus Mosquensis (1666-1667), 93, 115, 124.
Synodus Mosquensis (1690), 300.
Synodus Mosquensis (1917-1918), 425, 464, 465.
Synodus Nicæna I (325), 89, 394, 434.

Synodus Nicæna II (787), 90, 277, 278, 435.
Synodus Tridentina, 15, 40, 45, 162, 200, 201, 227, 301, 308, 342-344, 443, 444, 470.
Synodus Trullana (691), 90, 91, 248, 390, 407, 435, 436.
Synodus Zamosciencis (1720), 193, 223, 225, 409, 413.
Syrigus Meletius, 49, 195, 214, 215, 221, 419, 449, 459.
Syropulus Sylvester, 295.

T

Tarasius, hieromonachus, 23, 24, 447.
Tarasius (S.), 395, 429.
Tertullianus, 89, 142.
Theiner A.-F. Miklosich, 17, 128, 133, 164, 197, 333, 353, 477.
Theodoretus, 171, 202, 312.
Theodorus Abu-Qurra, 209, 278.
Theodorus Andidensis, 207, 229, 280, 314.
Theodorus Doukas, 152, 153.
Theodorus Heracleensis, 203.
Theodorus Lector, 82.
Theodorus Melitiniota, 206, 282.
Theodorus Mopsuestenus, 203.
Theodorus protospatharius, 363.
Theodorus Studita, 15, 184, 279, 314, 429, 430, 433, 436, 473, 476.
Theodosius Græcus, metropolita Kioviensis, 107.
Theodulphus Aurelianensis, 481.
Theognostus Saraiensis, 73.
Theophanes Nicaenus, 208, 218.
Theophanes, patriarcha Hierosolymitanus, 426.
Theophilus Alexandrinus, 123.
Theophylactus Akridensis, 104, 195, 205, 209, 236, 282.
Theophylactus Riazanensi,, 76.
Theorianus, philosophus, 104, 196, 218, 252, 253, 282, 283.
Theotocas, 113, 124, 149, 438, 460, 463.
Theotokis Niecphorus, 212, 303.
Thomas Aquinas (S.), 82, 139, 207, 208, 209, 224, 399.
Thomassinus, 307.
Timotheus, presbyter, 90, 172, 436.
Titov G , 377.
Tixeront J., 47, 90, 95.
Tolstoi A. P., 422.
Tondini C., 369.
Triodion, 236.
Truskovskii I., 127, 348, 391, 445.
Turrecremata, 295
Tyszkiewicz, S., 125.
Tzimitses Joannes, imperator, 152, 155.

U

Urbanus VIII, papa, 444.
Uspeniski E., 345, 348.

V

Valdemarus, Danorum princeps, 93.
Vassiliev Paulus, staroviera, 393.
Veccus Joannes, 17, 129, 134, 163, 197, 234, 283, 333, 396, 469, 477,
Vinogradov I., 377.
Vita Barlaami ac Joasaphi, 263, 264.
Volpe, 92.

W

Wadding, 281.
Witasse, 135, 139, 171.

Y

Yanychev, 217.

Z

Zaozerskii N., 458.
Zhishman J., 443, 451, 473.
Zizanii Laurentius, 66, 68, 176, 297, 335, 359, 449, 483.
Zonaras Joannes, 105, 395, 437,

II

CODICUM ET COMMENTARIORUM LAUDATORUM INDEX ALPHABETICUS

Acta Academiæ Velehradensis, 374.
Acta II Conventus Valehradensis, 347.
Archivium Franciscanum historicum, 234
Bogoslovskii Viestnik, 65, 156, 217, 338, 358, 458.
Bulletin de l' Institut catholique de Toulouse, 135.
Byzantinische Zeitschrift, 152.
Codices græci :
Atheniensis 483 : 236.
Barberinus 336 (= S. Marci = *III, 55*) *:* 132, 135, 140, 172, 228, 265, 266, 267, 268, 269, 275, 482.
Barberinus 390 : 16, 401.
Coislinus 213 : 145, 185, 415, 482, 483.
Coislinus 364 : 220.
Cryptogerratense 28 : 13, 145, 402, 414.
Kutlumutsiensis Athonensis 170 : 141.
Lauriotanus Athonensis 7 : 141.
Lauriotanus Athonensis 135 : 186.
Lauriotanus Athonensis 189 : 138.
Metochiensis S. Sepulcri Constant. 8 : 141.
Monacensis 68 : 105, 106, 109.
Mosquensis synodalis 279 : 141,
Pantocratorinus Athonensis 127 : 178, 237, 294.
Pantocratorinus Athonensis 149 : 141.
Parisiensis suppl. 64: 6, 18, 19, 26-30, etc. Vide : Jobus Iasita.
Patmiacensis 690 : 138.
Sinaiticus 956 : 138, 415.
» *957 :* 141.
» *960 :* 481, 483, 486, 487.
» *961 :* 135, 140.
» *962 :* 138.
» *968 :* 138.
» *973 :* 482, 483.
» *978 :* 138.
» *984 :* 141.
» *991 :* 141.
Vaticanus 1872 : 415.
Codices slavici :
Mosquensis Acad. 191 : 74.
Δελτίον τῆς ἱστορικῆς καὶ ἐθνολογικῆς ἑταιρίας τῆς Ἑλλάδος : 384.
Dictionnaire de théologie catholique (Vacant), 135, 171, 194, 201, 257.
Documentation catholique, 440.
Échos d'Orient, 109, 111, 113, 116, 132, 133, 144, 150, 219, 313, 393, 433, 438, 439, 467, 476.
Ἐκκλησιαστικὸς Φάρος, 79, 111, 113.
Éphemerides liturgicæ, 272.
Études, 125.
Études franciscaines, 307.
Givaia Tserkov (Ecclesia vivens), 425.

Gregorianum, 417.
Journal du Ministère de l'Instruction publique (russe), 381.
Καινὴ διδαχή, 150.
Khristianskoe Tchtenie (Lectio christiana), 80, 88, 92, 94, 98, 110, 178, 215, 345, 348, 463, 481.
Νέα Σιών, 217.
Orientalia christiana, 23, 64, 194, 234, 240, 242. 298.
Pravoslavnyi Sobiesiednik, 72, 74, 79, 93, 94, 115, 237, 345, 378, 469.
Pribavleniia (Supplementa) ad opera SS. Patrum), 74, 80, 100, 152, 159, 237, 458, 481, 485, 490,
Questions actuelles, 156.
Recherches de science religieuse, 171.
Revue augustinienne, 74, 383, 386, 387, 388.
Revue bénédictine, 111, 114.
Revue catholique des Églises 466.
Revue de l'Orient chrétien, 95, 111, 316, 481.
Revue des sciences religieuses, 219, 226, 232.
Revue internationale de théologie, 217.
Roma e l'Oriente, 63, 177, 224, 233, 242, 313.
Slavorum Litteræ theologicæ, 283, 488.
Stoudion, 336.
Tchteniia Societatis amatorum culturæ religiosæ, 93.
Tchteniia societatis imperialis historiæ et antiquitatum apud universitatem Mosquensem, 76, 156, 298.
Texte und Untersuchungen, 139.
Trudy Academiæ Kioviensis, 6, 42. 66, 75, 80, 105, 117, 289 291, 297, 336, 348, 424, 449.
Tserkov (Starovireorum), 450.
Tserkovnyia Viedomosti Carlovitsiana, 465.
Tserkovnyia Viedomosti Petropolitana, 464.
Tserkovnyi Viestnik, 156, 159, 160, 217.
Viestnik Synodi Renovatorum, 98, 425.
Vizanstiiskii Vremennik, 365.

INDEX RERUM ANALYTICUS

TRACTATUS DE SACRAMENTIS SEU MYSTERIIS

Prænotamina 5

CAPUT PRIMUM

De sacramentis in genere.

ARTICULUS I

De notione mysterii in genere necnon de diversis speciebus mysteriorum seu sacramentorum 8

ARTICULUS II

De definitione, numero, ordine, multiplici divisione et convenientia sacramentorum Novæ Legis 12
I. — De definitione sacramenti 12
II. — De numero sacramentorum 15
III. — De ordine sacramentorum 25
IV. — De sacramentorum multiplici divisione 26
V. — De sacramentorum convenientia 31

ARTICULUS III

De constitutione signi sensibilis seu de materia et forma sacramentorum 33

ARTICULUS IV

De auctore sacramentorum 37

ARTICULUS V

De ratione operandi sacramentorum 40

ARTICULUS VI

De effectibus sacramentorum ac præsertim de charactere indelebili 44
I. — De gratia sacramentali 45
II. — De charactere indelebili 47

ARTICULUS VII

De sacramentorum ministro 54

I. — De persona ministri 54
II. — De fide ministri 55
III. — De probitate seu sanctitate ministri 56
IV. — De canonica legitimitate ministri 58
V. — De intentione ministri 59

ARTICULUS VIII

De subjecto sacramentorum 60

CAPUT SECUNDUM

De sacramento Baptismi.

Prænotamina 62

ARTICULUS I

De definitione, nominibus, figuris, institutione ac speciebus baptismi 64
I. — De definitione baptismi 64
II. — De nominibus baptismi 65
III. — De figuris baptismi 65
IV. — De tempore institutionis hujus sacramenti 66
V. — De speciebus baptismi 67

ARTICULUS II

De materia baptismi remota et proxima 68
I. — De materia remota 68
II. — De materia proxima 69
1. De baptismo per unam immersionem collato 70
2. De baptismo per trinam infusionem vel aspersionem collato 73

ARTICULUS III

De forma baptismi 80

ARTICULUS IV

De effectibus baptismi 85

ARTICULUS V

De ministro baptismi 87
I. — De ministro orthodoxo laico 87
II. — De ministro hæretico 89
III. — De ministro schismatico 97
IV. — De ministro sacerdote deposito vel degradato ... 98
V. — De ministro infideli 98

ARTICULUS VI

De necessitate baptismi ad salutem 99
1. De sorte infantium sine baptismo decedentium. 101
2. De baptismo sanguinis et de baptismo flaminis. 102

ARTICULUS VII

De receptione Catholicorum et Protestantium in Ecclesiam græco-russicam 103
I. — Num Catholici a Byzantinis et Græco-Russis ut hæretici habiti fuerint 103
II. — De modo quo Catholici et Protestantes in Ecclesiam græcam proprie dictam temporum decursu recepti fuerunt 107
III. — De receptione Catholicorum et Protestantium in Ecclesiam russicam 114
IV. — De variis explicationibus a theologis græco-russis prolatis, ut Ecclesiæ suæ variationes in recipiendis heterodoxis, ac præsertim Latinis et Protestantibus, excusent 117

CAPUT TERTIUM

De sacramento Confirmationis seu Sacri Unguenti.

Prænotamina 126

ARTICULUS I

De nominibus, definitione et institutione sacramenti Confirmationis 128

ARTICULUS II

De materia remota et proxima Confirmationis 131
I. — De materia remota 131
I. — De materia proxima 134

ARITCULUS III

De forma sacramenti Confirmationis 138

ARTICULUS IV

De effectibus sacramenti Confirmationis 141
I. — De gratia sacramentali 141
II. — De charactere Confirmationis 143
III. — De reconfirmatione apostatarum 144
IV. — De significatione theologica chrismationis imperatorum 151

ARTICULUS V

De ministro ordinario et extraordinario Confirmationis. Prænotamina 162
I. — De diversa potestate episcopi et presbyteri quantum ad Confirmationis administrationem secundum doctrinam Græco-Russorum 166
II. — Utrum doctrinæ catholicæ de ministro ordinario Confirmationis revera contradicant 168
III. — De reconfirmatione Bulgarorum a latinis episcopis tempore Photii 169
IV. — De validitate Confirmationis heterodoxorum secundum doctrinam Græco-Russorum 170

ARTICULUS VI

De subjecto Confirmationis 175

CAPUT QUARTUM

De sacratissimo Eucharistiæ sacramento ac sacrificio.

Prænotamina 177

ARTICULUS I

De nominibus, definitione, figuris Eucharistiæ ut sacramenti ac sacrificii 180

ARTICULUS II

De mysterio præsentiæ realis 182

ARTICULUS III

De Transsubstantiatione 193
I. — De verbis quibus transsubstantiatio designatur. De voce « μετουσίωσις » 194
II. — De conceptu transsubstantiationis apud Græcos a sancto Joanne Damasceno usque ad sæculum XVI 199
III. — De conceptu transsubstantiationis apud Græco-Russos post sæculum XV 209
IV. — De transsusbstantiatione aquæ vino immixtæ .. 218
V. — De transsubstantiatione particularum seu τῶν μερίδων 219
VI. — De transsubstantiatione τοῦ ζέοντος necnon de consecratione per contactum apud Græcos 223
VII. — De effectu transsubstantiationis seu de modo præsentiæ realis Christi in Eucharistia 227

ARTICULUS IV

De materia Eucharistiæ. Controversia de pane azymo post sæculum XI 232
I. — De momento controversiæ circa azymum et fermentatum in Ecclesia græco-russica..... 233
II. — De azymo et fermentato in ultima cœna Domini. Variæ sententiæ apud Græco-Russos..... 235
III. — De argumento pro pane fermentato ex voce ἄρτος desumpto 241
IV. — De quibusdam argumentis symbolicis contra panem azymum a polemistis adinventis 244
V. — De quibusdam argumentis positivis pro pane fermentato et contra azymum facientibus..... 246
VI. — De origine azymorum in Ecclesia latina secundum dicta Græco-Russorum..... 248
VII. — De valididate consecrationis in azymo juxta Græco-Russos 251

ARTICULUS V

De forma sacramenti Eucharistiæ. De epiclesi..... 256
I. — Doctrina Patrum græcorum de forma Eucharistiæ. 258
II. — De significatione verborum Christi et epiclesis ex contextu ac rubricis liturgiæ byzantinæ..... 264
III. — De mente sancti Joannis Damasceni circa formam Eucharistiæ 273
IV. — De doctrina Byzantinorum post Damascenum usque ad Nicolaum Cabasilam..... 277
V. — De doctrina Nicolai Cabasilæ ejusque discipulorum 284
VI. — De theologis qui formam sacramenti in sola epiclesi ponunt..... 290
VII. — De theologis qui post Nicolaum Cabasilam doctrinam catholicam tenuerunt ac propugnarunt.. 293

ARTICULUS VI

De necessitate et effectibus sacramenti Eucharistiæ..... 301
I. — De necessitate Eucharistiæ..... 301
II. — De effectibus Eucharistiæ 303

ARTICULUS VII

De modo sumptionis sacramenti. De communione sub una specie 307

ARTICULUS VIII

De veritate sacrificii missæ 310
Praenotamina..... 310

I. — Conceptus generalis sacrificii missæ juxta Byzantinos 313
II. — Controversia de veritate sacrificii missæ contra Soterichum Panteugenum..... 317
III. — Controversia de corruptibilitate Corporis Christi intra missæ sacrificium..... 321

ARTICULUS IX

De essentia sacrificii missæ 325

ARTICULUS X

De effectibus seu fructibus sacrificii missæ 329

CAPUT QUINTUM

De sacramento Pænitentiæ.

Prænotamina..... 331

ARTICULUS I

De essentia sacramenti pænitentiæ apud Græco-Russos.... 332

ARTICULUS II

De materia hujus sacramenti..... 334

ARTICULUS III

De forma sacramenti pænitentiæ apud Græco-Russos..... 338

ARTICULUS IV

De natura satisfactionis sacramentalis necnon de pœna temporali peccato per absolutionem remisso debita..... 342
I. — Doctrina catholica 342
II. — Græco-Russorum recentiorum doctrina 345
III. — Antiquorum theologorum doctrina..... 352

ARTICULUS V

De ministro sacramenti pænitentiæ..... 362

ARTICULUS VI

De indulgentiis pro vivis et pro defunctis in Ecclesia græco-russica..... 369

ADNOTATIO AD CAPUT QUINTUM

De historia indulgentiarum apud Græcos. Συγχωροχαρτίων *seu chartarum condonativarum specimina*..... 380
I. — Συγχωροχαρτίων pro vivis specimina 384
II. — Specimina συγχωροχαρτίων pro defunctis..... 386

III. — Συγχωροχάρτια pro defunctis a patriarchis græcis concessa 387

CAPUT SEXTUM

De sacramento Ordinis.

Prænotamina..... 390

ARTICULUS I

De nominibus, definitione ac institutione sacramenti Ordinis. 394
I. — De nominibus 394
II. — De definitione..... 397
III. — De tempore institutionis 398

ARTICULUS II

De numero et distinctione ordinum..... 401

ARTICULUS III

De materia et forma sacramenti Ordinis..... 408
I. — De materia 408
II. — De forma 412

ARTICULUS IV

De effectibus hujus sacramenti ac præsertim de charactere indelebili 418
I. — De gratia ab Ordine producta 419
II. — De charactere indelebili 422
III. — De reordinationibus..... 426
IV. — De reductione clericorum ad statum laicalem .. 427

ARTICULUS V

De ministro sacramenti Ordinis..... 428
I. — De ministro simoniaco..... 429
II. — De ministro deposito et degradato..... 430
III. — De ministro schismatico et hæretico..... 434
IV. — De ministro catholico 438
V. — De ministro Anglicano 438

CAPUT SEPTIMUM

De sacramento Matrimonii.

Prænotamina..... 441

ARTICULUS I

De origine matrimonii ut contractus naturalis..... 446

ARTICULUS II

De matrimonio ut Novæ Legis sacramento 447

ARTICULUS III

De essentia necnon de ministro sacramenti matrimonii 447

ARTICULUS IV

De matrimonii indissolubilitate. De causis divortii apud Græco-Russos 459

ARTICULUS V

De subjecto sacramenti matrimonii 467

ARTICULUS VI

De potestate ferendi leges circa matrimonium 470

CAPUT OCTAVUM

De Extrema Unctione seu Euchelæo.

Prænotamina 474

ARTICULUS I

De existentia et nominibus sacramenti Extremæ Unctionis apud Græco-Russos 476

ARTICULUS II

De historia ritus Euchelæi. De materia et forma hujus sacramenti 479

ARTICULUS III

De ministro Euchelæi 483

ARTICULUS IV

De subjecto et effectibus sacramenti Euchelæi 484

ARTICULUS V

De Euchelæo mortuorum 489

Auctorum index alphabeticus 491
Codicum et commentariorum laudatorum index alphabeticus 501
Index rerum analyticus 503

Imprimerie Letouzey et Ané, 87, Boul. Raspail, Paris-VI. — 94-1929.
Imprimé en France.

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX320.J8 C001 V003
THEOLOGIA DOGMATICA CHRISTIANORUM ORIENT
3 0311 00038 7030

C'

17339

C'


3 0311 00038 7030